Digitized by Google

37
27 D
15

MAG 1162

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE IMMACULATO

DEIPARAE

SEMPER VIRGINIS

CONCEPTU

CAROLI PASSAGLIA

SAC. E S. I.

COMMENTARIUS

Pars II.

ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLIV.

Digitized by Google

IMPRIMATUR — Fr. Dominicus Buttaoni O. P. S. P. A. M.
IMPRIMATUR — Fr. A. Ligi Archiep. Iconien. Vicesgerens.

Digitized by Google

PRAEFATIO

Duarum sectionum genus, quas altera pars huiusce nostri operis complectitur, titulus plane aperteque definit quem inscripsimus singulis: adeo inter se duo illa *Scripturarum ad Virginem accommodatio* et *Scripturarum de Virgine testimonia* differre intelliguntur non modo verbis, sed etiam sensu. Habet praeterea utraque sectio prooemium suum, in quo utriusque ratio quae sit et quo spectet, videmur satis declarando assecuti. Iuvabit tamen hoc loco rem ipsam et propositum quam brevissime explicare, ne forte ancipites haereant legentium animi, vel aliter de veritate atque oportet secum ipsi iudicent. Ambae sectiones illud sibi assumunt *commune*, ut in *Scripturis* tamquam in eadem materia versentur, verum quod non eodem modo, id sibi vindicant *proprium*. Discrimen autem triplex notari debet. Testimonia Bibliorum sectionis quartae, si textus integram orationem inspicias, vel ad beatam Virginem haudquaquam pertinere dixeris, vel utrum de illa pronuntiata fuerint merito dubitaveris; e contrario testimonia quintae sectionis ad beatam Virginem pertinere ac de illa pronuntiata fuisse citra omnem dubitationem. Hinc patrum et scriptorum ecclesiasticorum commentaria quae continet quarta sectio sententiam habent *accommodationis*, non interpretationem *proprietatis;* at vero commentaria quae continet quinta sectio, pro exegeticis habenda omnino sunt, atque ita ut sensum Scripturarum exponant modo luculentius, modo uberius. Quapropter sectio quarta totum suum firmamentum constituit in auctoritate patrum et scriptorum ecclesiasticorum, sectio autem quinta in auctoritate Scripturae tota nititur, cui ab ecclesiae patribus et doctoribus accedit gravissima confirmatio. Igitur si quis obiiciat, quartae sectionis testimonia aut non probare immaculatum Deiparae conceptum, aut certe ex biblica dictione non probare, utrumque obiiciet praepostere. Ea enim allegavimus ut usurpata a maioribus cum ad reliquas Deiparae laudes, tum ad conceptionem labis expertem significandam; adeoque probandi vim qua insita carent adscititiam mutuantur, dum aliorum sententiam verbis quodammodo expromunt suis.

Digitized by Google

Nunc quale demum cumque iudicium de labore nostro, quem unanimes una cum reverendo p. Clemente Schrader suscepimus atque unanimes persequimur, lectores laturi sint, illud novimus in libros commode convenire, quod apud poetam legimus de convivio dictum:

Tres mihi convivae prope dissentire videntur
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter,
Quod petis id sane est invisum acidumque duobus.

Nos quidem ea etiam de caussa sapiens Nazianzeni consilium exsequi pro virili conati sumus:

Εἰ νέα τέρπουσιν, δίδομεν νέα, εἰ δὲ παλαιά,
Μίξαμεν, ὡς τί νέον καινοπάλαιον ἔχῃς.

Restat ut quae humani ingenii est imbecillitas, nos cogat libenter hoc et verissime profiteri:

Emendanda siqua viris doctis hic erunt,
Non ero stulte repugnans aut amans prave mea,
Quin statim culpanda delens, praebeam rectis locum.

Digitized by Google

INDEX

SECTIO QUARTA

SCRIPTURARUM AD VIRGINEM ACCOMMODATIO

Digitized by Google

Digitized by Google

SECTIO QUINTA

SCRIPTURARUM DE VIRGINE TESTIMONIA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SECTIO QUARTA

SCRIPTURARUM AD VIRGINEM ACCOMMODATIO

De accommodato Scripturarum sensu in patrum operibus librisque ecclesiasticis frequenti: de huiusce sensus ratione: quo is pertineat, quidve ex illo rite colligatur: de oraculis Scripturarum ad Deiparam accommodatione translatis: quid ex eiusmodi oraculis illorumque receptis apud maiores commentariis sit consequens: et quam apte iis sive thesis de omnimoda Deiparae innocentia, sive hypothesis de immaculato eiusdem conceptu comprobentur.

596. Si proprie loquimur, non alterius rationis sensus divinis litteris subest, nisi quem *litteralem* et *spiritalem* nuncupamus. Quidquid ad alterutrum sensum non pertinet, id neque Scripturis contentum, neque Dei Spiritu significatum, neque eius auctoritate suffultum videri debet aut etiam potest. Nihilominus penes Christianos seculorum prorsus omnium invaluit, ut in Bibliis enarrandis praeter utrumque eiusmodi sensum, tertius etiam isque accommodatus et investigaretur subtiliter et pie excoleretur. Hunc enim sensum, cui et Philonem [1] et [2] Therapeutas impense studuisse novimus, praeclare excoluerunt [3] vetustissimi patres, Pantaenus, Clemens alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus: excoluerunt [4] patres insequuti, Basilius, uterque Gregorius nazianzenus et nyssenus, Epiphanius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus: excoluerunt [5] mediae aetatis doctores, Beda, Oecumenius, Theophilactus, Euthimius, Hervaeus, Rupertus: et ii etiam excoluerunt atque excolere

1) De Philone, qui ab Iosepho antiquitt. iudaic. lib. XVIII. cap. IX. audit ἀνὴρ τὰ πάντα ἔνδοξος, accommodatae Scripturarum interpretationis studioso, conferri possunt quae tradunt Eusebius H. E. lib. II. cap. XVIII., Hieronymus de Scriptt. ecclesiast. n. II., et Photius in Bibl. cod. CV.

2) Videsis Philonem de vita contemplativa et Eusebium Hist. Eccles. lib. II. cap. XVII., lib. V. capp. X-XI. et lib. VI. capp. XIV-XV.

3) Cf. Danielis Heinsii praefat. ad opp. Clementis alexandrini, qui et illud scite notat, tria praeclara opera Protrepticon, Paedagogon et Stromata sic ab eo fuisse digesta ut gentilium mystagogorum veterumque philosophorum exemplo tres gradus ἀποκάθαρσιν, μύησιν καὶ ἐποπτείαν referrent. Cf. etiam Suiceri thesaurum ad voces θεωρία, ἱστορία, ἀναγωγὴ καὶ διάνοια.

4) Hoc pluribus diligenterque ostendit Nicolaus Antonellus in praefat. ad opus Athanasii *de titulis psalmorum*, §§. XVIII. seqq. pagg. XXVIII. seqq.

5) Notius hoc est quam ut auctoritate testimoniisque confirmari debeat.

Digitized by Google

pergunt qui nostris hisce temporibus ad enarrandas Scripturas suam operam conferunt.

597. Equidem non ignoro, reprehensum vehementer fuisse Origenem [1]) ab Eustathio, Basilio, Iohanne chrysostomo, Epiphanio, Theophilo, Hieronymo, aliisque quod in Scripturis interpretandis ab eo quod aequum rectumque est, praepostere deflexerit: sed et illud scio non propterea fuisse reprehensum quod idoneos, etsi accommodatos, sensus exquireret, sed quod ingenio nimium indulgens et litteralem sensum spernens nonnisi allegorias et accommodationes deperire videretur. Hoc fuit Origenis vitium, hoc quod Ecclesia damnavit, quin tamen improbatos reiectosque vellet accommodatos et opportunos sensus, quos a patribus noverat semper adhibitos, quosque ipsamet in suis Officiis librisque liturgicis constantissime [2]) usurpaverat. Probe ista vidit Cardinalis Thomasius, nulloque aptiori vocabulo accommodatos hosce sensus insigniri posse existimavit, quam si illos [3]) *christianos sensus* appellaret. De quibus [4]) loquens Bernardus, adductis primum Scripturae verbis, *hodie scietis, quia veniet Dominus*, continuo subdit: « Verba haec quidem suo loco et tempore in Scriptura posita sunt; sed non incongrue illa vigiliae dominicae nativitatis Ecclesia mater aptavit. Ecclesia inquam illa quae secum habet consilium et spiritum sponsi et Dei sui, cui dilectus inter ubera commoratur, ipsam cordis sui sedem principaliter possidens et conservans. Nimirum ipsa est quae vulneravit cor eius, et in ipsam abyssum secretorum Dei oculum contemplationis immersit; ut et illi in suo, et sibi in eius corde pe-

1) Serm. de Pythonissa, in Hexaem. Hom III. n. 9., in Genes. Hom. XIII., ad Pammachium epist. XXXVIII., praefat. ad lib. V. comm. in Isaiam, et praefat. in Malachiam.

2) Scite Petrus Lazzari praefat. in comm. super quatuor Evangelia sancti Brunonis astensis pag. XXXI.: « Deinde explicationes alias illas quae intentae a Spiritu sancto nequaquam videntur, sed ab auctoribus illis de suo veluti penu depromptae, qui damnandas et reiiciendas putant, considerasse oportet quid improbent, et quos sibi auctores condemnandos repellendosque sumant. Sunt enim explicationes eaedem in patrum scriptis frequentissimae, ut si demptas eas ex eorum scriptis velis, peritura huiusmodi sint opera fere tota. Neque ego Gregorium aut Bedam dico dumtaxat, quos notum est istis plurimum delectari, aut ex antiquioribus Origenem, quem scimus de allegoriarum nimia frequentia, neglecto litterali sensu, crimen sustinuisse; sed omnium sententia et vocibus probatissimos laudatissimosque antiquos patres Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum. »

3) Dabo verba Cardinalis sanctissimi ex praefat. ad Psalterium: « Porro, *inquit*, ne aliquis saltem deesset vel brevis manuductio ad secretiora mysteria sensaque psalmorum tum de Christo et ipsius corpore Ecclesia universa, et particularibus huius corporis sive collegii membris, idest, fidelibus, tum etiam de caelesti patria, quos sensus recte appellaveris sensus christianos patefactos nobis tamquam scisso templi velo, morte Christi qui apostolis aperuit sensum ut intelligerent Scripturas. »

4) In vigilia nativit Domini Serm. III. n. 1. pag. 767. D-F. opp. T. III. Hinc etiam faciunt quae habet pag. 761. *in excusatione quod locum evangelii Luc. I. post alios expositores tractandum sumpserit.*

Digitized by Google

rennem faciat mansionem. Cum ergo ipsa in Scripturis divinis verba vel alterat vel alternat, fortior est illa compositio quam positio prima verborum: et fortassis tanto fortior, quantum distat inter figuram et veritatem, inter lucem et umbram, inter dominam et ancillam. »

598. Ceterum est cur non antea ad alia progrediamur, quam paucis compendioque explicemus tum quae sit propria accommodati sensus ratio, tum quid nobis pro tuendis comprobandisque veritatibus ex eiusmodi genere interpretandi non iniuria polliceamur. Itaque accommodationis ratio sita in eo est, ut Scripturarum voces quae in seipsis spectatae et a contextu avulsae id sinunt, ad rem aliam ac ea sit quam auctor expressit, significandam declarandamque transferantur. Certe verba [1]) Psalmi, *cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris,* ex serie ductuque orationis nihil cum iis commune habent quae ex hominum consuetudine bona pravaque oboriuntur; comparata tamen sic sunt ut ex sese atque seorsum inspecta eiusmodi effectus significare non inepte queant. Si ergo de hisce effectibus accipiantur, id nonnisi accommodatione factum existimari debet.

599. Qua praestituta accommodati sensus ratione, nemo non videt quae eo confirmantur, Scripturarum auctoritate [2]) nullatenus confirmari. Unde ergo eiusmodi sensus vim suam mutuatur, quidve ex eo eruere prudenter licet? Quemadmodum vim suam omnem ex illorum auctoritate ducit, qui eo utuntur; ita duo potissimum sunt quae ex eo dimanant. Inprimis enim dimanat, accommodationis auctoribus visum esse, *obiectum* cui Scripturae aptantur, ita sese habere iisque dotibus insigniri, ut illarum verbis scite convenienterque exprimatur. Tum vero dimanat aptatas Scripturarum formulas non

1) Ps. XVII. 27. Refert Agellius in commentario vetus scholion quod sic habet: Ἐν μὲν τοῖς ὁσίοις ὅσιός ἐστιν ὁ Θεός, ἐν δὲ τοῖς ἀθῴοις ἀθῷος· ἐν δὲ τοῖς ἐκλεκτοῖς ἐκλεκτός· ἐν δὲ τοῖς στρεβλοῖς οὐ στρεβλός, ἀλλὰ συστρεβλούμενος αὐτοῖς, διὰ τὸ εὔφημον· στρεβλὸν γὰρ εἰπεῖν τὸν Θεὸν ἐφυλάξατο· τούτους τοὺς στίχους οἱ ἁπλούστεροι ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων πολλάκις λαμβάνουσι· οὕτω δὲ συστρεβλοῦται Θεὸς ὡς ἐν τῷ δευτερονομίῳ λέγει· ἐὰν εἰσελεύσησθε πρός με πλάγιοι, εἰσελεύσομαι κἀγὼ πρὸς ὑμᾶς ἐν θυμῷ πλαγίῳ. « In sanctis sanctus est Deus et in innocentibus innocens, in electis etiam electus; sed in perversis non item perversus, sed simul cum ipsis pervertetur, boni ominis gratia. Nam perversum dicere Deum refugit. Hos versus simpliciores quique de hominibus frequenter usurpant. Sic autem simul pervertitur Deus, ut in Deuteronomio idem dicit: si ingrediemini adversum me obliqui, ingrediar et ego adversum vos in ira obliqua. » Ceterum quod dicitur, alexandrinos interpretes religiose vitasse ne scriberent, *perversus eris,* quum in reliquis scripsissent, *sanctus, innocens, electus eris,* non usque adeo verum est, quum in codicibus praestantissimis legatur non ὅσιος ἔσῃ, sed ὁσιωθήσῃ *sanctificaberis.*

2) Agerent ergo inepte qui propterea quae a nobis deinceps statuentur, non satis probarent, quod illa Scripturarum verbis sententiisque non contineantur. A nostro enim consilio alienissimum nunc est auctoritate Scripturarum pugnare, eaque caussam quam defendimus communire.

Digitized by Google

aliter ex eorumdem sententia [1]) spectandas esse, ac totidem veluti *signa* quibus *obiectum accommodationis* eiusque proprietates repraesententur.

600. Inter haec autem obiecta nulli posthabenda est Deipara, de qua non immerito affirmaveris, perpauca esse caelestium oraculorum effata quae ad illius innocentiam, sanctitatem, praestantiamque efferendam maiorum pietas non transtulerit. Ipsorum namque animis penitissime insederant quae de typis symbolisque [2]) disserentes retulimus, quaeque [3]) Bernardus his verbis complexus est: « Missus est Angelus ad Virginem nec noviter nec fortuito inventam, sed a seculo electam, ab Altissimo praecognitam et sibi praeparatam, ab angelis servatam, a patribus praesignatam, a prophetis promissam. Scrutare Scripturas, et proba quae dico. Visne ut ego aliqua ex his testimonia hic inseram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: *inimicitias ponam inter te et mulierem?* Quam vero aliam Salomon requirebat cum dicebat: *mulierem fortem quis inveniet?* Quid deinde rubus ille quondam mosaicus portendebat flammas quidem emittens sed non ardens, nisi Mariam parientem et dolorem non sentientem? Quid, rogo, virga Aaron florida et non humectata, nisi ipsam concipientem et virum non cognoscentem? »

601. Quaenam vero sint sin minus omnia, praeclariora saltem Bibliorum oracula usu maiorum ad Deiparam accommodata, ut illius puritas atque innocentia significaretur, exponendum illustrandumque in praesentia suscipimus. Quibus curis praeter alia consequemur, initio quidem ut lectores suis prope oculis eam usurpent Deiparae speciem, quam patres scriptoresque christiani insculptam animis gerebant: deinde vero ut iidem plane intelligant quid patres scriptoresque christiani censuerint sive de ea thesi qua summum creatae puritatis apicem Virgini deferimus, sive de ea hypothesi qua omnem culpae labem ab eiusdem ablegandam primordiis tuemur.

1) Quibus tritae occurrimus difficultati, eos non esse accommodatos sensus qui ad christianas veritates asserendas admodum conducant. Quod enim accommodatis sensibus ex sese deest, illud abunde suppetit testificationi eorum qui accommodationem usurpant.

2) nn. 451. seqq.

3) Hom. II. super *Missus est*, nn. 4-5. p. 744. C-F. opp. T. III.

CAPUT I.

De cantico canticorum deque sumptis ex eo testimoniis et ad Deiparam accommodatis, ut eius puritas atque innocentia exprimatur: cuiusmodi illa sint et quibus ea commentariis maiores explanarint: quid ex ipsis testimoniis, quidve ex illorum commentariis sit consequens, ut non minus thesis de omnimoda Virginis innocentia, quam hypothesis de immaculato eiusdem conceptu rite comprobentur.

602. Plurimos omnino novimus patres scriptoresque ecclesiasticos, qui sollicitam dederunt operam ut caelestem sapientiam eo contentam libro qui inscribitur שִׁיר הַשִּׁירִים, ᾆσμα ᾀσμάτων, *canticum canticorum,* minime vero [1]) *cantica canticorum,* editis lucubrationibus patefacerent. Ne autem sim prolixior, contentus ero nominatim recensere sive Gregorium nyssenum, Nilum et Maximum e quorum commentariis [2]) Psellus continentem paraphrasim defloravit, suisque auctam animadversionibus in lucem edidit: sive eumdem Gregorium nyssenum, Cyrillum alexandrinum, Origenem, Philonem carpathium, Apollinarium, Eusebium caesariensem, Didymum, Isidorum, Theodoritum et Theophilum, e quibus [3]) suam epitomen Procopius collegit: sive tandem Aponium, vulgatum Cassiodorium, Bedam, Iustum orgelitanum, Bernardum, Honorium augustodunensem, Philippum abbatem Bonae Spei et Rupertum tuitiensem.

603. Horum vero omnium concors sententia est atque unanime suffragium, huic canticorum libro *mysticum* dumtaxat *sensum* inesse, quod ipse etiam Dynamius Grammaticus Christianus significavit, quum [4]) interrogationi, *prudentiae intelligentia quot primas partes habet?* E vestigio respondit: « Trifaria est: nam aut historia tantum, ut decem verba legis: aut utrumque commixtum, ut Sara et Agar;

1) Consulantur Origenes in prologo et Eusebius qui H. E. lib. VI. cap. XXV. sic habet: ᾆσμα ᾀσμάτων, οὐ γάρ, ὡς ὑπολαμβάνουσί τινες, ᾄσματα ᾀσμάτων.

2) Apud Gallandium T. VI. pagg. 645. seqq.

3) Apud Mai Classic. auctor. T. IX. pag. 257. seqq. Operis inscriptio sic habet. Προκοπίου χριστιανοῦ σοφιστοῦ εἰς τὰ ᾄσματα τῶν ᾀσμάτων ἐξηγητικῶν ἐκλογῶν ἐπιτομὴ ἀπὸ φωνῆς Γρηγορίου Νύσσης, καὶ Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας, Ὠριγένους τε καὶ Φίλωνος τοῦ Καρπαθίου, Ἀπολλιναρίου, Εὐσεβίου Καισαρείας, καὶ ἑτέρων διαφόρων, ἤγουν Διδύμου, τοῦ ἁγίου Ἰσιδώρου, Θεοδωρήτου καὶ Θεοφίλου. Apud eumdem vero T. VI. pagg. 348. seqq. praeterea leguntur Προκοπίου χριστιανοῦ σοφιστοῦ τὰ λειπόμενα εἰς ᾆσμα.

4) Apud Mai in Nova PP. biblioth. T. I. P. II. pag. 184.

Digitized by Google

vere enim homines fuerant, et tamen mystice duo testamenta praefigurarunt: aut mystice [1]) tantum, ut cantica canticorum. »

Quum vero ad mysticum sensum definiendum propius accedunt, in duas potissimum sententias abeunt, quae licet prima fronte ab invicem dissitae videantur, penitius tamen inspectae in unam eamdemque concurrere deprehenduntur.

604. Priorem sententiam enarrat [a]) Gregorius nyssenus inquiens: « Sub epithalamii specie coniunctionem humanae animae cum Deo *auctor* describit. » Enarrat, et multo quidem plenius Theodoritus, qui in illos principio [b]) animadvertens qui sensus nescio quos historicos profanosque comminiscebantur, scribit: « Atqui debebant isti se longe vel sapientia vel spiritu praestantiores agnoscere sanctos patres, qui librum hunc inter divinas Scripturas collocarunt, eumque ut spiritu refertum comprobantes, Ecclesia dignum censuerunt. » Quinam vero hi patres fuerint, explanare [c]) pergit subdens: « Quin etiam multi ex veteribus illum commentariis et interpretationibus illustrarunt; et qui deinceps non sunt interpretati, eius tamen sententiis scripta sua decorarunt. Nec solum Eusebius palaestinus, et Origenes aegyptius, et martyrii corona redimitus Cyprianus

a) Apud Mai, Classic. auctor. T. IX. pag. 257. Ἐν ἐπιθαλαμίου τρόπῳ τὴν πρὸς τὸ θεῖον ἀνάκρασιν τῆς ἀνθρωπίνης ἐξηγεῖται ψυχῆς.

b) Praefat. ad interpret. in cant. pag. 3. Ἐχρῆν μὲν οὖν αὐτοὺς συνιδεῖν, ὡς πολὺ λίαν αὐτῶν καὶ σοφώτεροι, καὶ πνευματικώτεροι τυγχάνουσιν οἱ μακάριοι πατέρες, οἱ τοῦτο τὸ βιβλίον ταῖς θείαις γραφαῖς συντεταχότες, καὶ ἅτε δὴ πνευματικὸν κανονίσαντές τε αὐτὸ, καὶ ἐκκλησίᾳ πρέπειν ἀποφηνάμενοι.

c) Ibid. pagg. 4-5. Πολλοὶ δὲ αὐτὸ τῶν παλαιῶν καὶ ἡρμηνεύκασιν· οἱ δὲ τοῦτο ἐφεξῆς μὴ πεποιηκότες, ταῖς ἐκεῖθεν χρήσεσι τὰ οἰκεῖα συγγράμματα κατεκόσμησαν· καὶ οὐ μόνον Εὐσέβιος ὁ Παλαιστῖνος, καὶ Ὠριγένης ὁ Αἰγύπτιος, καὶ Κυπριανὸς ὁ Καρχηδόνιος, ὁ καὶ τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἀναδησάμενος, καὶ οἱ τούτων παλαιότεροι, καὶ τῶν ἀποστόλων πλησιέστεροι· ἀλλὰ καὶ μετ᾽ ἐκείνους ἐν ταῖς ἐκκλησίαις διαπρέψαντες, πνευματικὸν ἔγνωσαν τὸ βιβλίον, Βασίλειός τε ὁ μέγας τὴν ἀρχὴν τῶν παροιμιῶν ἑρμηνεύων, καὶ Γρηγόριος ἑκάτερος, ὁ μὲν τὴν ἐκείνου συγγένειαν, ὁ δὲ τὴν φιλίαν αὐχῶν, καὶ Διόδωρος ὁ γενναῖος τῆς εὐσεβείας πρόμαχος· καὶ Ἰωάννης ὁ τοῖς ῥεύμασι τῆς διδασκαλίας μέχρι καὶ σήμερον πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἀρδεύων, καὶ οἱ μετ᾽ ἐκείνους ἅπαντες, ἵνα συνελὼν εἴπω, καὶ τοῦ λόγου διαφύγω τὸ μῆκος.

1) Quibus verbis Em. editor hanc subiicit adnotationem: « En ut Dynamius librum cantici Salomonis mystico tantum sensu scriptum existimat, non autem historico; quam esse communem sanamque sanctorum patrum sententiam, alibi nos diximus. » Dixerat autem in praefatione ad T. IX. Classic. auctorum pagg. VI-VII. ubi et istud adiecerat: « Qui vero, praesertim ex recentioribus, aliter sentiunt, hi partim inani abrepti curiositate vagantur, partim vero impietate subversi in praeceps ruunt. »

Digitized by Google

carthaginensis, et his antiquiores, apostolisque propinquiores; verum etiam qui post in ecclesiis excelluere, magnus ille Basilius Proverbiorum principium exponens, et uterque Gregorius, quorum alter sanguine, alter amicitia Basilio coniunctus fuit, et fortis ille pietatis propugnator Diodorus, et Iohannes qui ad hunc usque diem doctrinae fluentis irrigat universum orbem terrarum, et denique, ut paucis rem complectens consulam brevitati, qui postea fuere, librum hunc omnes spiritualem esse censuerunt. » Quibus hoc subtexit [a]) epiphonema: « *Quae quum ita se habeant, consideremus, an aequum sit ut tot tantisque viris despectis, contemptoque ipso sanctissimo Spiritu, proprias opiniones consectemur.* »

605. Quod pressius circumscribens et reliqua [1]) Scripturarum cantica cum hoc conferens [b]) ait: « His igitur in canticis regis victoriam celebrant prophetae, cumque laudibus efferunt quod ca-

a) Ibid. Συνίδωμεν τοίνυν, εἰ δίκαιον τοσούτους καὶ τοιούτους ἄνδρας διαπτύσαντας, καὶ αὐτοῦ δὲ τοῦ παναγίου καταφρονήσαντας πνεύματος, ταῖς οἰκείαις ἐννοίαις ἀκολουθεῖν.

b) Ibid. pagg. 23-24. Ἐν μὲν οὖν τούτοις τοῖς ᾄσμασι τὴν νίκην τοῦ βασιλέως οἱ προφῆται διεξίασι, καὶ ἐπὶ τῇ τῶν αἰχμαλώτων αὐτὸν ὑμνοῦσιν ἐλευθερίᾳ· τὸ δὲ ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων τὸν γάμον αὐτοῦ διαγράφει, καὶ τὸν περὶ τὴν νύμφην ἔρωτα διαγράφεται· νύμφην δὲ προσαγορεύει τοὺς ἐν ἐκείνοις τοῖς ᾄσμασι τῆς αἰχμαλωσίας ἀπαλλαγέντας, καὶ τῆς ἐλευθερίας τετυχηκότας, καὶ προσοικειωθέντας τῷ βασιλεῖ, καὶ ἄληστον τῶν εὐεργεσιῶν τὴν μνήμην ἐσχηκότας, καὶ πολλὴν περὶ αὐτὸν εὔνοιαν καὶ στοργὴν ἐπιδεικνυμένους, καὶ διηνεκῶς αὐτῷ ἑπομένους· εἶτα τῶν ἄνω δυνάμεων πυνθανομένων, τίς ἐστιν ὁ βασιλεὺς δόξης, συνεῖναι ἱμειρομένους, καὶ οὐδὲ πρὸς βραχὺ μορίον ἡμέρας χωρισθῆναι τοῦ σεσωκότος ἀνεχομένους· τούτου χάριν ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων καλεῖται τοῦτο τὸ βιβλίον, σημαίνοντος τοῦ λόγου, ὡς ἐκεῖνα τὰ ᾄσματα διὰ τοῦτο τὸ ᾆσμα γεγένηται, κἀκεῖνα πρὸς τοῦτο ἄγει· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ κεφάλαιον τῶν ἀγαθῶν, καὶ θείας φιλανθρωπίας ὁ κολοφών, ἡ ἄρρητος ἀγαθότης, ὁ ἀμέτρητος ἔλεος, ὁ ἀστάθμητος οἶκτος, ἡ ἄφραστος ἀγάπη, τὸ ἀνεχέσθαι τὸν ποιητὴν, καὶ πλάστην, καὶ δημιουργὸν, καὶ κύριον, καὶ θεὸν, καὶ δεσπότην, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχοντα, τὸ πήλινον τοῦτο ζῶον, καὶ παθητὸν, καὶ φθαρτὸν, καὶ ἄγνωμον, καὶ ἄχρηστον, μὴ μόνον ἀπαλλάξαι θανάτου, καὶ διαβολικῆς τυραννίδος, ἀλλὰ καὶ ἐλευθερίαν δωρήσασθαι, καὶ μὴ μόνον ἐλευθέρους ἀποφῆναι, ἀλλὰ καὶ υἱοὺς καταστῆσαι· καὶ μὴ μόνον τῆς υἱοθεσίας δωρήσασθαι χάρισμα, ἀλλὰ καὶ νύμφην προσαγορεῦσαί τε καὶ ποιῆσαι, καὶ νυμφίῳ παραπλησίως συναρμοσθῆναι αὐτῇ, καὶ ἕδνα μυρία προσενεγκεῖν, καὶ νυμφῶνα, καὶ θάλαμον προευτρεπίσαι· καὶ γυμνὴν οὖσαν ἀμφιάσαι, καὶ γενέσθαι αὐτῇ περιβόλαιον, καὶ τροφὴν, καὶ πόμα, καὶ ὁδὸν, καὶ θυρεὸν, καὶ ζωὴν, καὶ φῶς, καὶ ἀνάστασιν· διὰ τοῦτο τοίνυν ᾆσμα τῶν ᾀσμάτων προσαγορεύεται τὸ βιβλίον, ὡς τὰ μείζω τοῦ θεοῦ ἀγαθότητος εἴδη διδάσκον ἡμᾶς, καὶ τὰ ἐνδότατα, καὶ ἄδυτα, καὶ ἁγίων ἅγια τῆς θείας ἡμῖν φιλανθρωπίας ἀποκάλυπτον μυστήρια.

1) Ibid. pag. 22.

ptivos vindicarit in libertatem. At Canticum canticorum illius nuptias describit, et erga sponsam amorem explicat. Sponsam autem appellat eos, qui in illis canticis a servitute liberati memorantur, et libertatem consequuti ad regis partes se applicuerunt, eiusque beneficia immortali memoria complectentes, magnamque in illum benevolentiam atque amorem declarantes, ipsum assidue sectantur; immo quoque caelestes potestates, quae dum quaerunt, ecquis sit iste rex gloriae, simul cum illo esse concupiscunt, ac ne exiguo quidem temporis momento ab eo, per quem salutem acceperunt, se disiungi patiuntur. Hac de caussa Canticum canticorum hic liber inscribitur, quoniam reliqua cantica propter hoc Canticum facta sunt, et ad hoc illa perducunt. Hoc enim est bonorum caput, divinae benignitatis summa, ineffabilis bonitas, incredibilis misericordia, immensa clementia, inenarrabilis caritas, quod auctor ipse et effector et procreator et Dominus et Deus et princeps, et qui semper idem est, luteum hoc animal et passionibus obnoxium et corruptibile et ingratum et inutile non solum a morte et servitute diabolica eripuerit, sed etiam libertatem illi largitus sit, ut non solum nos liberos constituerit, sed in filios quoque adoptaverit: neque solum tribuerit adoptionis munus, verum etiam sponsam et vocarit et fecerit, eodemque modo quo sponsus cum ea connubio iunctus fuerit, atque innumerabilia dona sponsalia dederit, et cubile et thalamum adornarit, et nudam induerit, et denique factus ipse sit sponsae et amictus et cibus et potus et via et scutum et vita et lux et resurrectio. Canticum igitur canticorum hic liber inscribitur propterea quod maiora Dei bonitatis genera nos edocet et maxime recondita atque arcana, et sanctissima divinae benignitatis mysteria nobis patefacit. »

606. Sentiunt igitur patres eo dirigi Canticum canticorum, ut eximium ac plane summum divinae in homines pietatis pignus argumentumque celebretur, atque adeo celebretur hinc quidem Unigeniti incarnatio, inde vero eiusdem [1]) cum Ecclesia, et in Ecclesia atque per Ecclesiam [2]) cum iusto quovis penitissima copulatio. Scite Drepanius Florus:

1) De quo Christi cum Ecclesia connubio disertissima sunt quas in veterum commentariis passim occurrunt.

2) De coniunctione Christi cum cuiusque iusti anima, singulari nimirum sponsa, prae ceteris Canticum interpretantur Origines, Gregorius nyssenus, Philo carpathius, Theodoritus, et Bernardus.

Digitized by Google

» Quid loquor insigni tumidum Salomona cothurno,
Qui thalamos Christi psallit et Ecclesiae.

Neque minus ad rem opportune Theodulphus aurelianensis:

» Protinus Ididae resident tres ordine libri,
Cui nomen Salomon sive Coheleth inest.
» Alloquitur primus sub prolis nomine cunctos,
Corrigit et mores, Ethice, lege tua.
» Omnia vana canit rutilo sub sole secundus,
Cui res est physicas enumerare labor.
» Tertius Ecclesiae thalamum Christique perornat,
Rebus et in logicis vertitur eius opus.

607. Hanc sententiam altera excipit neque maiorum suffragio, neque eiusmodi quae a priori penitus seiuncta existimari debeat. Nimirum plures sunt qui cum Psello, Honorio augustodunensi, Alano Magno de Insulis, Ruperto tuitiensi, Hailgrino Cardinali et Dionysio carthusiano arbitrantur, canticum ad Virginem nominatim referri, et ipsam esse Virginem quae sponsae appellatione nominatim significatur. Omnium loco audiatur [a]) Psellus qui sic habet: « Sapientissimus ille Salomon, mirabilis ille propheta tamquam in speculo propheticis oculis, animarum quae salutem assequuntur, mores et virtutes, immo ut vere dicam, ordines et gradus aspexit. Tres enim, ut mihi persuasi, sunt ordines eorum qui salvantur. Aut enim sunt filii, aut mercenarii, aut servi. Has classes atque hos ordines Salomon ille prospiciens, et divino afflatus spiritu, tanto ante

a) Comm. in Cant. pag. 696. A-D. apud Gallandium T. VI.
Ὁ Σολομὼν ὁ πάνσοφος, ὁ θαυμαστὸς προφήτης,
Προφητικοῖς ἐν ὄμμασιν εἶδεν, ὡς ἐν κατόπτρῳ,
Τοὺς τρόπους καὶ τὰς ἀρετὰς ψυχῶν τῶν σεσωσμένων,
Μᾶλλον δ' εἰπεῖν ὡς ἀληθῶς, τὰς τάξεις καὶ τὰς βάσεις.
Τρεῖς γάρ εἰσιν, ὡς πέπεισμαι, τάξεις τῶν σεσωσμένων,
Υἱότης, μισθαρνότης τε, καὶ μετ' αὐτὴν δουλότης·
Ταύτας τὰς τάξεις κατιδὼν ὁ Σολομὼν ἐκεῖνος,
Προκατιδὼν δὲ μάλιστα τῷ πνεύματι τῷ θείῳ,
Καὶ τὴν τοῦ λόγου σάρκωσιν τοῦ καθαροῦ νυμφίου,
Καὶ τὴν γεννήσασαν αὐτὸν ἀσπόρως θεοτόκον,
Τὴν ὄντως παναμώμητον, τὴν καθαρὰν Μαρίαν,
Ἥντινα μακαρίζουσι φωναῖς ἀκαταπαύστοις
Αἱ γενεαὶ τῶν γενεῶν ἁπάντων τῶν ἀνθρώπων,
Ὅτι Σωτῆρα τέτοκε τῆς ὅλης οἰκουμένης·
Ταύτην ἐξεῖπε τὴν ᾠδὴν προσώπῳ τοῦ νυμφίου.

Digitized by Google

cernens Verbi sponsi purissimi incarnationem, et quae ipsum sine semine genuit, sanctissimam Dei genitricem Mariam illam immaculatissimam, quam omnibus omnem omnium hominum generationes vocibus numquam cessantibus beatissimam praedicant, quia totius mundi peperit Salvatorem; hoc in sponsi persona canticum cecinit. »

608. Arctissimum vero esse vinculum quo haec sententia cum superiore devincitur, tam ipsis rerum naturis, quam maiorum auctoritate comprobatur. Quemadmodum enim celebrari nequit Unigeniti cum humana natura connubium, quin eius celebretur connubium cum Deipara ex qua humanam naturam accepit, ita neque connubium efferri potest sive cum Ecclesia universim, sive cum singulis iustorum animis, quin pariter connubium significetur cum Deipara, quae est gemma et gloria Ecclesiae, quaeque inter animas iustas tamquam omnium iustissima resplendet. Hinc receptae apud maiores formulae quibus Deipara salutatur nunc [a]) veluti *unionis naturarum officina*, nunc [b]) veluti *thalamus in quo sibi Verbum carnem desponsavit*, nunc [c]) veluti *gloriosissima sponsa unionis hypostaticae duarum naturarum Christi veri sponsi caelestis*, et nunc [d]) veluti *sponsa Trinitatis et dispensationis arcanus plane thesaurus*. Hinc quod [1]) in praefatione ad canticum Honorius augustodunensis scribit: « Cum canticum amoris, scilicet epithalamium Salomonis specialiter et spiritualiter ad Ecclesiam referatur, tamen specialissime et spiritualissime ad gloriosam Virginem reducitur. » Atque hinc quod ex maiorum doctrina [2]) Salmeronius repetit inquiens: « Quandoquidem omnia dona quae Christi sunt, a capite in membra diffunduntur; potissimum tamen in praecipuum et selectum Ecclesiae membrum, nimirum beatam Deiparam, illa derivantur. Hinc factum est ut laudes et praeconia, quae aeternae Sapientiae aut Ecclesiae eius sponsae tribuuntur, ob summam coniunctionem inter caput et ipsam, quae

a) Proclus Orat. I. in Deiparam pag. 302. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἐργαστήριον τῆς ἑνώσεως τῶν φύσεων.

b) Ibidem. Ἡ παστὰς, ἐν ᾗ ὁ λόγος ἐνυμφεύσατο τὴν σάρκα.

c) Modestus Encom. in Deiparam §. III. pag. 17. Πανένδοξος νυμφὼν, τῆς καθ' ὑπόστασιν ἑνώσεως τῶν φύσεων Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ ἐπουρανίου νυμφίου.

d) Pseudo-Epiphanius Orat. in Deiparam pag. 292. C. Τριάδος γὰρ νύμφη ὑπάρχει ἡ ἁγία Θεοτόκος κόρη Μαρία, τὸ πανάῤῥητον τῆς οἰκονομίας κειμήλιον.

1) In sigillo beatae Mariae pag. 1217. T. XX. Biblioth. max. PP.

2) Proleg. XIX. in Evangel. Can. XI. pag. 441. opp. T. I.

veluti Ecclesiae collum est, beatae Mariae adscribantur. Hinc liber cantici canticorum illi peculiariter assignatur, et in eius solemnitatibus legitur. Item illud, *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* et quae sequuntur. Et id: *ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Et similia multa, quae de Verbo carnem induto ad litteram accipiuntur, cuivis tamen membro et sancto, suo modo, possunt competere, sed longo post Virginem sanctissimam intervallo. » Etenim [1]) teste Driedone primi subsellii theologo « Operae pretium est advertere, quod quae sub tropis et metaphoris aut etiam aperte de magnificentia, decore, pulcritudine et sanctitate Ecclesiae in sacris litteris dicuntur, ea omnia non absurde in universis ecclesiis per universum orbem gloriosae Dominae Virgini attribuuntur, propterea quod inter omnia Ecclesiae membra sit excellentissima, cui totum est collatum [2]) quidquid gratiae ceteris membris per partes est distributum. Hinc ergo factum est quod antiquus Ecclesiae ritus in honorem huius gloriosae Dominae recitat, canit et praedicat Scripturas, quas secundum litteralem sensum ipsa sacrae Scripturae series indicat esse dictas de tota Ecclesia Christi. Neque negandum est, etiam Spiritum sanctum de hac loquutum esse, quum appellat *arcam sanctificationis, tabernaculum Dei, domum Dei, et civitatem Dei.* Amplius autem et in honorem gloriosae Virginis per universum orbem Ecclesiae canunt ea, quae in Psalmis, Proverbiis et in Ecclesiastico leguntur de aeterna Dei patris sapientia, utpote de Iesu ipsius filio. Siquidem ea quae Christo sunt propria, sunt participatione quadam communia Ecclesiae, et huic gloriosae Dominae quae eiusdem Ecclesiae constituta est mater et regina. »

609. Ne qui vero probationem, qua continuo utemur, secus accipiant ac sumendam illam esse arbitramur, quo fieri disertissime potest monemus, non id nobis esse consilii ut divinarum Scripturarum auctoritate sive thesim de plenissima Deiparae innocentia, sive hypothesim de innoxio eiusdem conceptu, sive utramque demonstremus; sed nos eo unice spectare ut initio quidem declaremus

1) De Regulis et Dogmat. sacrae Scripturae lib. III. tract. II. cap. IV. de tropologicis loquutionibus.

2) Hinc illud Pauli Sherlogi in Salom. cantic. anteloq. II. sect. I., *Mariam inter creaturas divini esse medullam amoris*; quod continuo maiorum suffragiis demonstrat. Atque hinc illa Andreae Ramirez in proleg. ad cant. §. XII. « Sacrum istud volumen hoc differt a sacris ceteris, quod perpetua quadam allegoria sub cortice dramatis nucleum abscondat mysterii. Tendit igitur declarandis lillatis nuptiis agni et sponsae, Christum intelligo et Ecclesiam, aut quamvis animam et maxime Marianam. Sic omnes catholici, a quibus in hac re nefas discedere. »

Digitized by Google

quaenam Scripturarum oracula tam Ecclesia quam patres scriptoresque christiani ad Virginem traduxerint: deinde vero quibus illa commentariis explanarint, quamve virgineac innocentiae sanctitatisque speciem exhibuerint. In summa non doctrinam exquirimus Scripturarum, sed sententiam promimus christianae traditionis quae occasione Scripturarum innotuit.

ARTICULUS I.

De capite primo cantici canticorum: de illius ad Deiparam ecclesiastica accommodatione: quae sint cum hac accommodatione coniuncta: et quam praeclare commentariis maiorum tum ea confirmentur, tum Deiparae conceptus labis expers ostendatur.

610. Nullum est cantici caput, quod maiorum fides atque religio ad Deiparam non retulerit. Ut igitur ab eo ordiamur quod primum est, illud accommodatum ad Virginem legimus tam in missali mozarabico in festo [1]) nominis Mariae, quam in breviario romanae Ecclesiae, in quo de Virgine adhibetur [2]) in festo Assumptionis et in utroque eiusdem officio, sive quod [3]) *parvum* dicitur, sive quod [4]) in sabbato frequentatur. Quemadmodum ergo de ecclesiastica huius capitis ad Deiparam accommodatione non licet ambigere, ita neque fas est dubitare, utrum quae illo continentur, Deiparae conveniant, eiusque dotes atque ornamenta apte repraesentent.

611. En vero quae hoc in capite prae ceteris animadverti debent. I. Sistitur [5]) sponsa ut quae sponsi osculum depereat; *osculetur me osculo oris sui*. II. Sistitur [6]) digna quam sponsus impense diligat, quamque propter insitas dotes singulari eximioque amore complectatur; *quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguen-*

1) In quo leguntur verba ea Cant. 1. 1-8.

2) Lectiones enim primi nocturni non aliunde quam ex hoc cantici capite sumuntur.

3) Cf. Offi. parvum B. M. ad vesp. Antiph. I-III.

4) Cf. Offic. B. M. in Sabbato ad laudes Antiph. I-III.

5) Cant. 1. 1. Vulgatus reddens *osculo* legit מִנְּשִׁיקַת. Textus in usitatis editionibus habet מִנְּשִׁיקוֹת *ex osculis*, cui lectioni suffragantur interpretes alexandrini qui reddunt *ἀπὸ φιλημάτων*.

6) Cant. 1. 1-2. Particula *quia*, כִּי, ὅτι heic non tam vim refert *causalem*, quam *adversativam*, atque apte redditur *verumtamen*, *sed*, *nihilominus*. Lectio autem vulgati *ubera tua*, cui respondet Alexandrina interpretatio, *μαστοί σου*, dissidet a communi textus lectione דּוֹדֶיךָ *amores tui*. Scilicet vulgatus et alexandrini idem vocabulum legerunt ac si scriptum esset דַּדֶּיךָ *ubera tua*.

tis optimis. III. Sistitur ut quae [1]) a sponso prae omnibus dilecta fuerit atque selecta; *introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus et laetabimur in te, memores uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te.* IV. Celebratur [2]) tamquam formosa; *nigra sum sed formosa, filiae Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Immo V. celebratur [3]) veluti mulierum pulcherrima, et idcirco sponsi amica; *si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea. Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis, collum tuum sicut monilia.* VI. Admiratur [4]) sponsus sponsae venustatem; *ecce pulcra es amica mea, ecce tu pulcra es: oculi tui columbarum.* Denique VII. sponsae [5]) venustas cum sponsi pulcritudine contenditur; *ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.*

612. Age iam, et Ecclesia praeeunte ad Deiparam ista referto. Cuiusmodi illa censenda erit? Nimirum censenda erit digna *quae pulcra, quae formosa, quae amica* simpliciter dicatur, immo *quae pulcherrima quaeque speciosissima* nuncupetur, *quam sponsus unice amaverit, prae omnibus elegerit, cuius venustatem suspexerit,* et *quam perfectissimum suimetipsius ectypum constituerit.* Haec autem talia sunt, quae nisi ab ea quam praeferunt significatione detorqueantur, profecto non sinunt sive ut creata puritas cogitetur ea potior qua Virgo nituit, sive ut Virgo aliquo infuscata naevo videatur.

613. Quae quidem non pro arbitrio a nobis fingi, sed ad maiorum fidem sententiamque expressa referri, adducti in medium eorumdem commentarii demonstrabunt. Rupertus itaque enarrans [6]) verba, *dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem*

1) Cant. I. 3. Nomen *cellaria*, quo vulgatus utitur, communem habet significationis originem cum hebraico חֶדֶר, quod a celando dicitur. Unde *cellaria* sunt intimi secretique loci, in quibus res magni pretii reponuntur.

2) Cant. I. 4. Vox hebraica שְׁחוֹרָה non atrum modo colorem significat, qualis est Aethiopum, verum etiam dilutiorem, cuiusmodi in iis cernitur quae a perfecto candore deficiunt. Quare non male Ambrosius in apologia Davidis legit *fusca*. Pro insequente particula *sed*, in hebraeo, syro et arabo est ו, in Graeco καί.

3) Cant. I. 7-9. Quemadmodum particulae *si* non conditionalis sed affirmativa significatio inest, et valet *quandoquidem*; ita pronomen *te* nonnisi vim expletivam habet. Quod subditur, *o pulcherrima inter mulieres*, hebraice est, *pulcra in mulieribus*, et graece ad verbum, καλὴ ἐν γυναιξίν, sed citra quodvis significandi discrimen. Denique *amica* hebraice et רַעְיָה *conviva, mulier, socia mensae, sodalis*, apud Symmachum ἑταίρα *socia*, et apud Aquilam φίλη *amica*.

4) Cant. I. 14. Particula הִנָּךְ *ecce tu*, non tam vim demonstrandi quam admirandi praefert, eiusque geminatio hunc affectum vehementer amplificat.

5) Cant. I. 15.

6) Cant. I. 11.

Digitized by Google

suum; Virginem [1]) inducit sic loquentem: « Ipse priusquam ego essem, imo et antequam Abraham fieret, est et erat, et in illo accubitu suo erat. Nam in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. Dum ita esset, nardus mea dedit odorem suum, et hoc odore delectatus descendit in uterum meum. Olim in Eva malo superbiae foetore offensus, et ob hoc ab humano genere aversus fuerat: nunc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meae, sic ad genus humanum conversus est. » Ubi vero cetera [2]) interpretatur, haec Virgini verba [3]) adscribit: « Tu pulcher et decorus, ita pulcher ut sis ipsa substantia pulchritudinis: ita decorus ut sis ipsum decus humani generis. Vere ergo dicis mihi, *ecce tu pulcra es*, et dico tibi, *ecce tu pulcher es* quia tu pulcritudo mea es. » Consentit [4]) Amedeus episcopus lausanensis inquiens: « Bonus odor qui regem in accubitu suo per Virginem provocavit, ut ad nos veniens nostra reciperet, sua daret constituens nobiscum amicitias lege immobili et pace sempiterna. Sic itaque fragrantia vestimentorum sanctae Mariae hostes fugat, bonos invitat, Deum placat. » Consentiunt Bernardus et Anselmus, iisque testimoniis consentiunt quae esse praeclariora nequeunt.

614. Et Bernardus sane non modo [5]) Virginem semel iterumque vocat antonomastice *pulcram*, verum etiam de ea [6]) subdit: « Virgo Dei genitrix virga [7]) est, flos Filius eius. Flos itaque Filius Virginis, flos candidus et rubicundus, electus ex millibus. Flos in quem prospicere desiderant angeli: flos ad cuius odorem reviviscunt mortui. Et sicut ipse [8]) testatur, flos campi est et non horti. Campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, sic Virginis [9]) alvus floruit: sic inviolata, integra et casta Mariae viscera, tamquam pascua aeterni viroris florem protulere, cuius pulcritudo non videat corruptionem, cuius gloria in perpetuum non marcescat. O Virgo virga sublimis, in quam sublime verticem sanctum erigis, usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum maiestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O vere cae-

1) In Cant. lib. 1. cap. I. pag. 9. A-C.
2) Cant. I. 14-15.
3) Ibid. pag. 11. col. 1. E.
4) Hom. II. de laudibus Deiparae pag. 1265. col. 1. B. in Max. PP. Biblioth. T. XX.
5) Serm. I. de adventu Domini et sex circumstantiis eius, pag. 20. col. 1. D-E. apud Combefisium in Biblioth. PP. Concionat. T. 1.
6) Ibid. pag. 20. col. 2. B-D.
7) Is. XI. 1.
8) Cant. II. 1.
9) Cant. I. 6.

lestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis. O vere lignum vitae quod solum fuit dignum portare fructum salutis. » Et [1]) mox; « Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis: ut per te nos suscipiat qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas [2]) Deo grata nostrae veniam impetret vanitati. » Quae vero quantave fuerit integerrima Deiparae puritas, uberius declarat [3]) Bernardus inquiens: » Factor hominum ut homo fieret, nasciturus ex homine talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit igitur esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit et humilem, de qua mitis et humilis corde prodiret. Ut igitur quae sanctum sanctorum conceptura erat pariter et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis: ut esset et mente, accepit et humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decore praefulgida, specie sua et pulcritudine sua in caelestibus cognita, caeli civium in se provocavit adspectus; ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et caelestem nuntium ad se de supernis educeret. »

615. Neque aliter [4]) Anselmus qui Virginem sic alloquitur: « O femina mirabiliter singularis, et singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediantur, daemones conculcantur, homines salvantur, Angeli redintegrantur! O femina plena et superplena gratia, de cuius plenitudinis exundantia respersa sic revirescit omnis creatura! O Virgo benedicta et superbenedicta, per cuius benedictionem benedicitur omnis natura, non solum creata a creatore, sed et creator a creatura! O pulcra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum! » Et [5]) paullo post: « Mira res, in quam sublimi contemplor Mariam locatam. Nihil est aequale Mariae: nihil, nisi Deus, maius Maria. » Et [6]) rursum: « Deus et pater rerum creatarum, et Maria mater rerum recreatarum. Deus est pater constitutionis omnium, et Maria est mater resti-

1) Ibid. pag. 20. col. 2. D-E.

2) De qua humilitate in sermone IV. de Assumptione ait: « Digna plane quam respiceret Dominus, cuius odore suavissimo ab aeterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. »

3) Hom. II. super *Missus est.*

4) Orat. LI. ad sanctam Virginem Mariam p. 281. col. 1. D.

5) Ibid. pag. 281. col. 1. E.

6) Ibid. pag. 281. col. 2. A.

Digitized by Google

tutionis omnium. O vere *Dominus tecum,* cui dedit Dominus, ut omnis natura tantum tibi deberet secum. »

616. Succedunt Iohannes damascenus et Germanus constantinopolitanus, e quibus ille [a]) exclamat: « Ave nardus [1]) fluens, unguentariorum more puritatis aromata irrigans, quorum evaporatio suavissimus illi odor est qui in canticis dicit, *nardus mea dedit odorem suum.* Ave stacte, ex virginalis balsami confectione sanctitatis sive lactis Christo stactem stillans, quae rursum in canticis [2]) canis: *fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Ave unguentum, compositio omnium pretiosissima virtutum, omnigenae puritatis unguenta spirans, ex qua Dominus idem tecum nomen gerens prodiit; ait [3]) enim *unguentum effusum nomen tuum.* » At Germanus descripta Salvatoris oeconomia, illico [b]) pergit: « O ineffabilem exinanitionem! O bonitatem! quod per mulierem cognatam et consanguineam haec nobis supra naturam et gratiam Deus erogaverit: per mulierem, inquam, cuius animae pulcritudo eo immensitatis excrevit, ut Christum ipsum qui summa pulcritudo est, in sui desiderium attraxerit, effeceritque ut secundam ex ea sine patre generationem elegerit. Cuius etiam corpus speciosum adeo fuit, tantaque florens puritate, ut vel ipsam caperet incorpoream immensamque superessentialis naturae maiestatem, per unam e tribus eius

a) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 855. C-E. *Χαῖρε νάρδος νάουσα, καὶ ἀρδεύουσα κατὰ τὰ μυρεψικὰ τῆς ἁγνείας ἀρώματα, ὧν ἡ διάδοσις ὀσμὴ ἡδεῖα τῷ φήσαντι ἐν ᾄσμασι· νάρδος μου ἔδωκεν ὀσμὴν αὐτοῦ· χαῖρε στακτὴ, ἡ ἐκ παρθενικῆς βαλσαμουργίας ἀποστάξασα Χριστῷ στακτὴν ἁγιάσματος, ἤτοι γάλακτος, ἡ ψάλλουσα ἐν ᾄσμασιν· ἀπόδεσμος τῆς στακτῆς ἀδελφιδοῦς μου ἐμοὶ, ἀναμέσον τῶν μαστῶν μου αὐλισθήσεται· χαῖρε μύρον, τὸ τῶν ἀρετῶν μυριότιμον σύνθημα, ἡ παναγνείας μύροις μυρίζουσα, ἐξ ἧς ὁμώνυμός σοι προῆλθεν ὁ κύριος· μυρόν γὰρ, φησὶν, ἐκκενωθὲν ὄνομά σου.*

b) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1323. E. et 1326. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. *Ὦ τῆς ἀφράστου κενώσεως· ὢ τῆς χρηστότητος· ὅτι διὰ γυναικὸς ὁμοφύλου ταῦτα, καὶ συγγενοῦς, ὑπὲρ φύσιν καὶ θέσιν Θεὸς ἡμῖν ἐχαρίσατο· γυναικὸς, ἧς τὸ μὲν τῆς ψυχῆς κάλλος ἀπειράκις ἀπείρως εἰς τοσοῦτον ἐξῆρπται, ὅπως καὶ Χριστὸν αὐτὸν τὸ ἀμήχανον κάλλος εἰς ἐπιθυμίαν τοῦ ταύτης κάλλους ἐλθεῖν, καὶ τὴν ἐξ αὐτῆς ἑλέσθαι δευτέραν γέννησιν, καὶ ἀπατορίαν· οὕτω δὲ καὶ τοῦ σώματος εὐπρεπὴς ἡ κατάστασις, καὶ πρὸς τοσοῦτον καθαρότητος φθάνουσα, ὅσῳ καὶ αὐτὴν χωρῆσαι τὴν ἀσώματόν τε καὶ ἀπερίληπτον τῆς ὑπερουσίου φύσεως μεγαλειότητα, δι' ἑνὸς τῶν τριῶν αὐτῆς ὑποστάσεων· αὕτη ἐστὶν ἡ Θεοτόκος Μαρία, τὸ κοινὸν ἁπάντων τῶν χριστιανῶν καταφύγιον· ἡ πρώτη τοῦ πρώτου πτώματος τῶν προγόνων ἀνάκλησις· ἡ πρὸς ἀπάθειαν τοῦ πεπονθότος γένους ἐπάνοδος.*

1) Cant. 1. 11.
2) Cant. 1. 12.
3) Cant. 1. 2.

Digitized by Google

hypostasibus. Haec est Dei genitrix Maria, commune christianorum omnium perfugium: prima primi lapsus primorum parentum revocatio: lapsi generis in rectum statum restitutio. »

617. Prae his tamen etsi splendidissimis non minus ea censeri luculenta debent, quibus Zacharias, auctore [1]) Germano, Virginis parentes compellavit inquiens: « O nostrae salutis auctores, quo vos appellem nomine? Quomodo vocem? Obstupesco. Videtis ne qualem protulistis fructum? Talis enim est ut puritate sua Deum alliciat ad inhabitandum in ea. Numquam similis ulla fuit, numquam erit hac pulcritudine fulgens. » Neque ea item quibus ipsam alloquens [2]) Virginem, dixit: « Accede tu quoque ad me, Puella caelis sublimior: accede quae infans conspiceris, et officina Dei intelligeris. Accede et sanctuarii limina tu potius sanctifica. Neque enim tu purgata sanctificaris, sed magis sanctificas. Ingredere per sanctuarii limina, quae mortis limina conteris. Intuere in velum quae tuo fulgore illuminabis eos, quos gustus oculos offuscans excaecavit. Ecce enim senectutis te baculum teneo, naturaeque lapsu debilitatae erectionem. »

618. Sed [3]) alibi commemoratis verbis [4]), *ecce tu pulcra es, amica mea*, e vestigio Germanus subiicit: « Immortalis sponsi verba sunt ista sponsae Mariae suffragantia, omnibus nempe creatis praeesse, et in natura creata ad increatam ob puritatis excellentiam accedere. » Quibus haec respondent [a]) Gabrielis ad Deiparam: « Scias palam animoque persuasum habeas, me magis te obstupuisse quum tuam divinis affusam gratiis pulcritudinem spectarem: ac te iam videns, mei Domini gloriam mihi videor intueri. » Hinc Isidorus thessalonicensis [5]) praemissis verbis, *sed paulo altius ordienda est historia Virginis, ut e sacro ipsius ortu incipiendo deducat ordine quodam oratio purissimam in ingressum ad sancta sanctorum*, continuo [6]) pergit: « Nascitur ergo sacratissima haec pulcritudo expres-

a) Orat. in Deiparae annunciat. pag. 1426. D. apud Combefisium Auctar. T. I. *Γνῶθι σαφῶς καὶ πιστώθητι, ὅτι μᾶλλον ἐγὼ ἐν ἐκπλήξει γέγονα θεασάμενος τὸ τοιοῦτόν σου θεογράφιστον κάλλος· καὶ βλέπων σε λοιπὸν, νομίζω δόξαν κυρίου μου καταμανθάνειν.*

1) Orat. I. in Deiparae praesent. pag. 48. edit. Maraccii.

2) Ibid. pag. 49.

3) Orat. in Deiparae annunciat. p. 100. edit. Maraccii.

4) Cant. I. 14.

5) Orat. II. in Deiparae praesent. pag. 34. edit Maraccii.

6) Ibidem pag 34.

Digitized by Google

sissime Deum referens; et summe deiforme speculum, divinitus micans splendor, Deum oblectans iubar, Deum decens formositas, et sponsa et filia Deo reservata Maria. » Tum sermone ad Ioachimum et Annam converso [1]) addit: « Impetrant egregie quod petebant, fructumque generant hunc admirabilissimum, orbis universi decorem et pulcritudinem, mysticum alimentum, melle supra captum dulcius, delectamentum quasi umbrosa arbore iucundius et omni florum odore suavissimo gratius. Decebat enim et illos tanta nobilitate animi praestantes, tanta iustitiae laude florentes, tanto ardore Deum rebus omnibus praeferentes, tanta mentis deiformitate vigentes non aliam sed hanc generare prolem, et ipsam, cuius beatam excellentiam praetermittit oratio quia non potest exprimere, non alios sed hos habere parentes. Decebat etiam illius congressus qui concipiendae Virginis caussa fuit, primordialem et antecedentem caussam non esse aliud quam Dei congressum, ut qua fieri posset, sola purissima, propheticum quoque illud [2]) evitare posset, *in iniquitatibus conceptus sum,* possetque de seipsa affirmare, *solam non in peccati concepit me mater mea.* »

619. Venio ad libros ecclesiasticos, in quibus neque pauciora, neque minus ad rem praesentem accommodata reperiuntur. In illis namque [a]) legimus: « Agite, puram illam mente similiter pura beatam celebremus; pulcritudinem scilicet Iacob quam Deus dilexit, quamque a se electam veluti tabernaculum sanctificationis incoluit; illam ipsam ut creatis omnibus honoratiorem hymnis efferamus. » Tum [b]) legimus Divinarum adolescentularum chorus Numine afflatus te in mulieribus pulcram decantat, te, o domina et Dei genitrix, divinitatis splendoribus adornatam; nam super omnem mentis captum peperisti Verbum quod omnem pulcritudinem con-

a) Men. die IV. Ianuarii Ode α′ pag. 33. col. 1. D. *Τὴν ἁγνὴν ἁγνεύοντι νοῒ, δεῦτε, μακαρίσωμεν· τὴν καλλονὴν Ἰακὼβ, ἣν ἠγάπησε Θεὸς, ἐκλεξάμενος ἣν κατῴκησεν, ὡς σκηνὴν ἁγιάσματος, ὡς τιμιωτέραν πάντων τῶν κτισμάτων ἀνυμνήσωμεν.*

b) Men. die XI. Ianuarii Ode α′. pag. 103. col. 1. B. *Νεανίδων θείων ὁ χορὸς ἐνθεαστικώτατα ἐν γυναιξί σε καλὴν ᾀσματίζουσι, θεοτόκε δέσποινα, καλλοναῖς ὡραϊζομένην θεότητος· τὸν καλλοποιὸν γὰρ λόγον ὑπὲρ λόγον ἀπεκύησας.*

1) Ibid. pag. 36. Cum his autem e re fuerit contulisse quae tradunt Theodorus studita epistt. lib. II. epist. CXXVIII. pag. 579. inter opp. Sirmondi T. V., antiquus auctor libelli inscripti *corona beatae virginis Mariae* cap. IX. pag. 408. in collectt. patrum eccles. tolet. T. I. et Irimbertus abbas admontensis in Cant. I. pagg. 371-374. apud Pezium T. II. P. I.

2) Ps. L. 7.

didit. » Ad haec, praecinente [a]) Iosepho, legimus: « Ut pulcra, [1]) ut florida, et puritatis nitore circumfulgens Verbum pulcritudine florens corpore ex te sumpto induisti, atque in lucem, o Virgo mater, illum edidisti, qui, utpote bonitate praedives, rebus omnibus ut exsistant, vi divina largitur. » Itemque, praeeunte [b]) Iohanne damasceno, legimus: « Laetare o superimmaculata, ut quae ipsammet laetitiam sinu conceperis: laetare o superinnocens laetare o innocentiae flos purpurascens et dulce fragrans, laetare o rubicunda et cocco tincta virginitatis rosa: laetare o suave spirans Numinis olfactorium. » Legimus [c]) chori duce Theophane: « Te, o penitus immaculata, quae apparuisti alabaster divini unguenti et vas eximium fragrantiae Christi, deprecor, ut me liberes a foetore passionum lutoque peccati. » Ac tandem [d]) legimus: « Verbum, o Puella, in sinu tuo inhabitans illum vas effecit novi unguenti; ideo, o Virgo, divinae sanctorum animae post te fervide currentes clamabunt, pulcra es, pulcra es, o Puella domina. »

620. Quibus mutuo collatis assequimur, non modo pleraque omnia ex priore Cantici capite ad Deiparam suffragatione maiorum accommodari; verum etiam sic de illa accipi disertisque commentariis enarrari, ut dici omnino possit et debeat I. Deiparam esse *antonomastice pulcram, haud aliter pulcram ac pulcher sit sponsus, esse pulcherrimam, ipsamque pulcritudinem:* II. eam esse *immaculatam ut immaculatum est germen ex ea ortum, esse superim-*

a) Men. die XIII. Ianuarii Ode ε'. pag. 113. col. 2. E. Ὡς καλὴ, ὡς ὡραία, ὡς τῇ καθαρότητι περιαστράπτουσα τὸν ὡραῖον κάλλει ἐσωμάτωσας λόγον καὶ τέτοκας, τὸν τὸ εἶναι πᾶσι θεουργικῶς, παρθενομῆτορ, παρεχόμενον πλούτῳ χρηστότητος.

b) Men. die XXVII. Ianuarii Ode ε'. pag. 204. col. 2. C. Ὡς χαρὰν συλλαβοῦσα, χαῖρε ὑπεράμωμε· χαῖρε ὑπέραγνε· χαῖρε τῆς ἁγνείας πορφυρόχροον ἄνθος ἡδύπνοον· χαῖρε παρθενίας κοκκοβαφὲς ἐρυθρὸν ῥόδον, καὶ θεοῦ τὸ εὐῶδες ὀσφράδιον.

c) Men. die XXVI. Octobris Ode α'. pag. 154. col. 2. C. Φανεῖσαν, πανάμωμε, μύρου τοῦ θείου ἀλάβαστρον καὶ σκεῦος ἐξαίρετον τῆς εὐωδίας Χριστοῦ, ἱκετεύω σε, παθῶν τῆς δυσωδίας βορβόρου τε λύτρωσαι τῆς ἁμαρτίας με.

d) Ibid. Ode ε'. pag. 156. col. 2. C. Ὁ λόγος ἐν μήτρᾳ σου, κόρη, σκηνώσας εἰργασται ταύτην μυροθήκην καινοῦ μύρου· ὅθεν, παρθένε, ἁγίων θείων ψυχαὶ ὀπίσω σου δράμον θερμῶς, εἶ καλὴ, βοῶσαί σοι, εἶ καλὴ, κόρη δέσποινα.

1) Quibus haec sunt similia ex Anthologio in ἀκολουθίᾳ τῆς ὅλης ἑβδομάδος, pag. 96. Ode ε'. col. 1. A. Ἡ καλὴ καὶ ἄμωμος ἁγνὴ ἐν γυναιξὶ τὴν ταλαίπωρόν μου ψυχὴν ἐμπαθῶν ὀρέξεων νῦν ἐλευθέρωσον, καὶ ἀγνῶς βιῶσαί με μεσιτείαις σου εὐόδωσον. *Pulcra et immaculata, innocentissima mulierum miseram animam meam a vehementia passionum nunc libera, mihique tua mediatione concede ut innocenter vivam.*

Digitized by Google

maculatam, superinnocentem, sanctam corpore, sanctam spiritu, omnibus sanctiorem et eo usque sanctiorem, ut in creata natura propter excellentiam puritatis ad increatam proxime accedat: III. eam esse *benedictam et superbenedictam, plenam et superplenam gratia, solam purissimam, non excaecatam interdictae arboris gustu, in peccatis non conceptam atque eiusmodi propterea conditam quae Deum deceret, divinamque benevolentiam promereretur:* IV. eam esse *plantam caelestem, lignum vitae dignum quod salutis fructum ederet, ita vero puritate fragrans ut Evae foetorem expelleret, et Unigenitum e sinu Patris in proprium sinum attraheret:* V. *per eam expugnatum esse peccatum, devictam mortem, et pacem Deum inter hominesque restitutam:* VI. *illi cum Filio quadamtenus esse commune, ut caussa habeatur reconciliationis, ut eodem unguenti nomine appelletur, ut decus humani generis credatur, tanta vero gratiae ubertate insignis sit, ut ex redundante illius plenitudine omnis creatura reviresceat:* tandem VII. *nihil esse aequale Mariae, nihil praeter unum Deum illa maius, cuius ea est gloria ut ipsam referre Domini gloriam videatur.* Putarem vero me luci tenebras offundere si disputando contenderem, his et thesim de summa Deiparae innocentia, et hypothesim de immaculato eiusdem conceptu demonstrari. Quare multo esse satius duco verbis [1]) Petri cellensis absolvere: « Replicatis apud Patrem unicus Filius regalibus ornamentis, quibus insignitus splendor paternae gloriae in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus irradiabat, hodie a regalibus sedibus descendit, et cellam vinariam, cellam aromaticam seipsum exinaniendo intravit. O cella benedicta! O cella beata! Paradiso iucundior, caelo sublimior, angelis beatior, pande sinum, aperi ostium, resolve pessulum festinanti, venienti et currenti ad nostrum suffragium, ad naufragantis subsidium, ad desperantis remedium: grande habet negotium sed secretum; idcirco in secreto tuo silentio excipe illum. Postponit palatia regum propter discursantium tumultum: Synagogam respuit sacerdotum propter avaritiam et calumniam pauperum. Ab initio aeternitatis radius beneplaciti sui in te directus, donec veniret tempus miserendi, te sibi fabricare distulit: et postquam in fine seculorum viscera pietatis suae continere non potuit, de grandi silva generis humani in securi beatricis potestatis et ascia inconvulsae caritatis

1) In Annuntiat. Serm. VII. pag. 82.

praecidit ad umbraculum suae operationis ramusculos pulcherrimae arboris, et opere incomparabili officinam Verbo incarnando aptam et solius Dei receptivam construxit. Hanc extra circumlinivit specie et pulcritudine quam Rex concupisceret: intus replevit optimis caeli mercibus, nullo modo ante pretio emptis vel adeptis. »

ARTICULUS II.

De altero cantici capite, eiusque ad Deiparam ecclesiastica accommodatione: quae hoc capite potissimum contineantur: et quae ex iis, adiecta interpretatione maiorum, ad conceptum Virginis innoxium tuendum sua sponte dimanent.

621. Huius capitis usus et ad Deiparam accommodatio in ecclesiasticis Officiis est omnino solemnis. Quemadmodum enim generatim adhibetur [1]) in Virginis festis, ita nominatim usurpatur [2]) in festo Conceptionis, in festo [3]) Nativitatis, in festo [4]) Visitationis, et [5]) in festo quo septem eiusdem dolores pia commemoratione recoluntur. Neque ab ecclesia [6]) occidentali orientalis dissidet, immo cum ea ita consentit, ut in efferendis Deiparae laudibus verba ex hoc capite saepissime mutuetur, aut certe ad illa non obscure respiciat.

622. Sane in alexandrino Coptitarum Missali sacerdos ter adolens coram Virginis imagine [7]) dicit: « Gaude Maria, pulcra columba, quae Deum Verbum nobis peperisti. Te salutamus cum Gabriele angelo dicentes: ave gratia plena, Dominus tecum.

Ave Virgo regina vera: salve honorificentia generis nostri; tu peperisti nobis Emmanuel.

Rogamus, memento nostri o fidelis advocata in conspectu Domini nostri Iesu Christi, ut dimittat nobis peccata. » Qui autem [8]) in sanctuario sunt, canunt: « Laudemus cum angelis et ordinibus caelestibus Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Sanctus es Deus

1) In antiphonis ad Laudes et ad Vesperas.
2) In responsoriis.
3) In antiphonis et responsoriis.
4) In primo nocturno et in responsoriis.
5) In antiphonis ad Laudes.
6) Cuius praeterea contulisse iuverit liturgiam mozarabicam, in qua pro festo Visitationis et Assumptionis nonnulla ex hoc ipso cantici capite deflorantur.
7) Apud Assemanum in cod. liturg. Ecclesiae univ. T. IV. P. IV. p. 2. pagg. 20-21.
8) Ibid. pag. 50.

Digitized by Google

noster, sanctus es salvator noster, sanctus es creator, sanctus es vivificator, sanctus es cui ministerium debetur, sanctus es magne, sanctus es benedicte, sanctus es liberator, sanctus es spes nostra, sanctus es Fili Dei, sanctus es Iesu Christe: mater tua Virgo, columba electa, Maria Deipara, Maria mater Iesu. » Quibus haec [a]) insigniter respondent: « Ave pulcra columba, quae nobis annuntiasti Dei pacem hominibus conciliatam. »

623. Suffragatur plus semel Armeniorum ecclesia, et primo quidem ubi [1]) de Virgine canit: « Immarcescibilis flos, sine condemnatione ramus, te Isaias praenunciavit septem luminum gratiae Spiritus receptaculum esse. » Deinde vero [2]) ubi exclamat: « O admirabilis flos! qui ex Eden dedisti odorem immortalitatis filiis Evae, ex qua diffusa est mors per universum. » Ac postremo [3]) ubi de Virgine sic habet: « Ager purus a spinis peccatorum, qui segetem caelestem sine semine produxisti; quo panem vitae dedisti esurienti naturae nostrae. » Quae conferri cum his debent [4]) ex Ambrosii in Lucam commentario: « *Ego flos* [5]) *campi et lilium convallium*. Et bene lilium Christus, qui est flos sublimis, immaculatus, innoxius, in quo non spinarum offendat asperitas, sed gratia circumfusa clarescat. » Ex hac enim comparatione intelligimus, iisdem metaphoris, iisdem imaginibus ac verbis iisdem immaculatam Christi et Deiparae innocentiam exhiberi.

624. Ceterum longe sunt plura quae in publicis graecae ecclesiae monimentis passim reperiuntur. Ut enim nonnulla promam, en quae [b]) in Menaeis, auctore Iosepho, legimus: « Te purus ille, o intaminata, veluti rosam instar unguenti fragrantem in convallibus invenit, et habitans in medio tui humanum genus suavitate odoris replevit. » En quae in iisdem [c]) legimus auctore Iohanne damasceno:

a) Theotoch. pag. 137. tetrast. II.

Χερε ϯϭρομπι εοπεсωс, θη εταсϩιωεппотϥι пап ⲛ̀ϯϩιрнпн, θη εταсωωπι ωα пιрωмι·

b) Men. die XV. Ianuarii Ode γ'. pag. 120. col. 1. E. *Μυρίπνοον ὡς ῥόδον ἀπὸ κοιλάδων, ἄχραντε, ὁ καθαρός σε εὕρατο, καὶ ἐν μέσῳ σου κατεσκήνωσεν, εὐωδίας πληρώσας τὸ ἀνθρώπινον.*

c) Men. die XXII. Ianuarii pag. 173. col. 2. E. *Χαίροις περιστερὰ ἐκλεκτὴ, κεχρυ-*

1) Confess. eccles. Armen. pag. 41.
2) Ibid. pagg. 41-43.
3) Ibid. pag. 35.
4) Apud Combefisium in biblioth. PP. concionat. T. V. pag. 422. col. 2. E.
5) Cant. II. 1.

« Salve columba electa, pennis virginitatis inaurata: salve speciosissima turtur, et hirundo eximia, et passercule omni ex parte purissime: salve agna quae agnum Dei nostri peperisti: salve divina iuvenca, quae portasti iugum peccata nostra portantis. » Et en quae [a]) legimus auctore Theophane: « Te solam, o Dei mater, inter medias [1]) spinas ceu purissimum lilium, floremque convallium inveniens Verbum, sponsus ille tuus, ex tuo sinu processit. »

625. Simillima sunt quae [b]) subdimus: « Te totam perfectam immaculatamque columbam, et praefulgentissimum lilium, floremque convallium, o Dei mater, inveniens spiritalis sponsus, in te habitavit. » Neque alio ista pertinent [c]) ex Anthologio: « O puella penitus immaculata, tamquam speciosa eum peperisti qui speciosus est, quique nunc deformitatem nostram ad pristinam similitudinem redigit; cui et psallimus: benedictus es Dominus et Deus patrum nostrorum. » Quo pariter et ista [d]) referuntur Andreae cretensis: « Innocentem columbam in utero Anna concipiens spiritali gaudio

σωμένη παρθενίας ταῖς πτέρυξι· τρυγὼν τε ὡραιοτάτη, καὶ χελιδὼν ἐκλεκτὴ, καὶ στρουθίον ὅλον καθαρώτατον· ἀμνὰς ἡ κυήσασα τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν· δάμαλις θεία τὸν ζυγὸν ἡ βαστάσασα τοῦ βαστάζοντος τὰ ἡμῶν ἁμαρτήματα.

a) Men. die XXIX. Ianuarii Ode ς'. pag. 217. col. 1. B. Σὲ μόνην τῶν ἀκανθῶν ἐν μέσῳ εὑράμενος, ὡς καθαρώτατον κρίνον καὶ κοιλάδων ἄνθος, ὦ Θεομῆτορ, ὁ νυμφίος ἐκ τῆς γαστρός σου λόγος προέρχεται.

b) Men. die XXVII. Maii Ode ς'. pag. 209. col. 2. D. Ὅλην σε περιστερὰν τέλειαν καὶ ἄμωμον, καὶ τηλαυγέστατον κρῖνον, καὶ κοιλάδων ἄνθος, ὦ Θεομῆτορ, ὁ νυμφίος ὁ νοητὸς εὑρὼν, σοὶ ἐσκήνωσεν.

c) Antholog. die XX. Novembris Ode ζ'. pag. 124. col. 2. C. Ὡς ὡραία τὸν ὡραῖον ἀπεκύησας, τὴν ἀμορφίαν ἡμῶν προσεπανάγοντα νῦν εἰς πρώτην ἐμφέρειαν, κόρη παναμώμε· ᾧ καὶ ψάλλομεν· ὁ τῶν πατέρων κύριος καὶ Θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

d) Antholog. die IX. Decembris Ode ς'. pag. 182. col. 1. A. Τὴν ἁγνὴν περιστερὰν

1) Per spinas, inquit Wangnereckius in pietate mariana Graecorum pag. 371, heic intelliguntur omnes homines qui concipiuntur in peccato: inter has spinas lilium Mariam Christus sponsus invenit. Nimirum ex mente Menaeorum, Christus Mariam inter homines in peccatis conceptos invenit non tamquam similem illis, idest tamquam spinam inter spinas: sic enim ex spina debuisset primum facere lilium, cum revera non lilium invenisset Mariam sed spinam: quod autem artifices faciunt, hoc excogitare seu invenire dicuntur. Asserunt proinde Menaea, Christum inter spinas non spinam sed lilium invenisse Mariam, quia illam inter spinas non spinam, nec ex spina lilium, sed ab initio lilium fecit, idest, sine ulla originis macula exsistere iussit. Adstipulatur hic Menaeis Adamus a s. Victore, qui in Rhythmis suis Deiparam sic affatur:

Salve Verbi sacra parens,
Flos de spina, spina carens,
Flos, spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spinae nescia. »

Adstipulatur et antiquum romanum Missale, in quo, referente Balinghau in Parnasso mariano pag. 23. legebatur:

Haec concepta miro modo
Est ut rosa cum nitore,
Et ut candens lilium.
Ut fructus exit a flore
Est producta cum pudore,
Praeventa per Filium.

Digitized by Google

vere replebatur, hymnosque eucharisticos Deo offerebat. » Hinc quod [a]) in solemnibus officiis frequentatur: « Quum te Dei Verbum, o filia vitae, electam in convallibus rosam invenerit tuae pulcritudinis amore captus et incarnatus odore mundum perfudit. »

626. Igitur non compertissima dumtaxat est ecclesiastica huius capitis ad Deiparam accommodatio, verum etiam plenissime constat sic illud in ecclesiasticis libris ad Deiparam referri, ut ea describatur nunc veluti *ager a spinis peccatorum purus;* nunc veluti *flos admirabilis, immarcescibilis, et e quo non secus vitae odor efflaverit ac ex Eva faetor mortis dimanaverat;* nunc veluti *ramus sine condemnatione ac filia vitae;* nunc veluti *rosa fragrantissima;* nunc veluti *lilium praefulgentissimum, atque solum inter spinas repertum;* nunc veluti *columba pulcra, electa, immaculata, immaculatissima, tota perfecta, tota immaculata, tota purissima atque in ipsa sui conceptione columba speciosa;* et nunc veluti *honorificentia generis nostri, quae speciosa speciosum peperit, dignaque inventa fuit in qua ille qui purus est inhabitaret, atque ex ea ceu flos purissimus erumperet.* Quibus descriptionibus non minus Deiparae asseritur nullis deficiens partibus innocentia, quam eidem nescius labis conceptus vindicetur.

627. His autem illustrandis e re fuerit animadvertere, in eo quod versamus capite I. sponsum [1]) dici florem campi, liliumque convallium: *ego flos campi, et lilium convallium.* II. sponsam abeo [2])

συλλαβοῦσα ἐν γαστρὶ, χαρμονῆς πνευματικῆς ἐπληρώθη ἀληθῶς, προσάγουσα χαριστηρίους ᾠδὰς ἡ Ἄννα Θεῷ.

a) Men. die IX. Novembris Ode η'. pag. 67. col. 1. D. Ῥόδον ἐκλεκτὸν ἐν ταῖς κοιλάσι, κόρη τοῦ βίου, εὑρηκὼς, ἠράσθη σου τοῦ κάλλους λόγος τοῦ Θεοῦ καὶ σαρκωθεὶς, εὐωδιάσε τὴν οἰκουμένην.

1) Cant. II. 1. Nomen חֲבַצֶּלֶת non invenitur nisi heic et Is. XXXV. 1. et heic quidem ἄνθος *flos*, illic autem κρίνον *lilium* ab Alexandrinis et a vulgato redditur. Ab Aquila in priore loco καλύκωσις, in altero κάλυξ. Est autem Hesychio κάλυξ, τὸ ἄνθος τοῦ ῥόδου τὸ μὴ ἐκπετασθὲν, *flos rosae non explicatus*, vel ut Suidas habet, μεμυκός *clausus*, et Hieronymus *tumens rosa et nondum foliis dilatatis.*

2) Cant. II. 2. Hoc in loco appellatio *filiae* non tam aetatem ut puella, aut statum ut virgo, quam sexum designat, ut Prov. XXXI. 29, et Gen. XXX. 13. ubi vulgatus, *beatam me quippe dicent mulieres*, Graece γυναῖκες, et textus בָּנוֹת. Ad sensum quod pertinet, scite Dionysius carthusianus in Cant. Art. VIII: « Quamvis fuerint virgines sanctae, tamen respectu Virginis quasi spinae fuisse videntur, in quantum aliquid culpae habebant: et quamvis in se fuerint mundae, non tamen fuit in eis fomes prorsus extinctus: fuerunt et aliis spinae, qui ex earum intuitu concupiscentia pungebantur. Porro Deipara Virgo ab omni culpa fuit prorsus immunis, fuit fomes in ea prorsus extinctus, et tam intensa castitate erat repleta, quod intuentium corda sic penetravit sua inaestimabili castitate virginea, quod a nullo potuit concupisci, imo potius extinxit ad horam illorum libidinem. »

vocari lilium inter spinas et amicam inter filias: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. III. Sponsum vicissim [1]) a Sponsa uti eum celebrari, qui non aliter sit dilectus inter filios ac malus inter ligna silvarum excellat: *sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios*. IV. Eximiam [2]) efferri Sponsi in Sponsam benevolentiam, profectaque ex ea beneficia, e quibus repeti debeat hinc quidem quod Sponsa sub umbra Sponsi sederit eiusque fructum dulcem persenserit; inde vero quod introducta a Sponso fuerit in cellam vinariam, quod in se vexillum caritatis receperit, nullasque Sponsi curas desiderarit: *sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Laeva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*. V. Sponsam a Sponso non alio [3]) censeri numero, quam quo unice dilecta inter ceteras filias habetur: *adiuro vos, filiae Ierusalem, per capreas cervosque camporum ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit*. VI. Propterea illam prae omnibus [4]) honestari titulis amicae, columbae, formosae: *surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni*. VII. Hosce titulos [5]) repeti, illique multo etiam vehementius secundo deferri: *surge, amica mea, speciosa mea, et veni; columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora*. Tandem VIII. penitissimam eamque purissimam [6]) Sponsi

1) Cant. II. 3. Quod in vulgato est *malus*, in textu est תַּפּוּחַ, quod de arbore dicitur aequa ac de fructu. Hunc tamen videntur intellexisse Alexandrini, qui verterunt μῆλον.

2) Cant. II. 3-6. Utitur vulgatus verbo *ordinandi* significatione militari, cui in textu respondet incisum, וְדִגְלוֹ עָלַי אַהֲבָה *et vexillum eius super me amor*. Ceterum hisce omnibus explanandis non minimum conferunt ista Bernardi ex Serm. 1. super *Missus est*: « Quid dicebas o Adam? Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno et comedi. Verba malitiae sunt haec, quibus magis augeas quam deleas culpam. Verumtamen sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniae quam a te Deus interrogando elicere tentavit sed non potuit, in thesauro indeficienti suae pietatis invenit. Redditur enim femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quae pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitae, at pro venenoso illo cibo amaritudinis dulcedinem pariat fructus aeterni. » Atque ista rursum sapientis Idiotae in contemplatione de virgine Maria cap. II: « Non defuit puritas angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia prophetarum, non zelus apostolorum, non patientia martyrum, non sobrietas confessorum, non innocentia aut humilitas virginum. In summa, nullo genere vacasti virtutum, o Virgo plusquam beata. Quodcumque donum alicui sanctorum umquam datum fuit, tibi non fuit negatum, sed omnium sanctorum privilegia omnia habes in te congesta: nemo aequalis est tibi, nemo maior te nisi Deus. »

3) Cant. II. 7. In textu pro *adiuro* est praeteritum הִשְׁבַּעְתִּי *adiuravi*, graece ὥρκισα. Sed proprium est consuetudinis hebraicae uti praeterito vel futuro pro praesenti. Hinc et Graeci in catena a Meursio edita monent ὥρκισα heic positum ἀντὶ τοῦ ὁρκίζω, et Nilus in catena Procopii semper habet ὁρκίζω.

4) Cant. II. 10. Sunt haec epitheta plena amoris, quaeque lucem ex iis mutuantur quae occurrunt Prov. VIII. 4. et Sap. VIII. 2.

5) Cant. II. 13-14.

6) Cant. II. 16.

Digitized by Google

cum Sponsa societatem coniunctionemque significari: *dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.*

628. Quae si ad Deiparam ex Ecclesiae sententia traducantur, praeclarissime ostendunt I. singulares atque omnino eximias fuisse Dei in Virginem curas: II. studiose congeri quaecumque omnia ad summum illius nitorem exprimendum conferre possunt: III. metaphoris atque imaginibus non tantum geminis sed plane iisdem tam illius quam Christi innocentiam significari: IV. non minus illam a ceteris mulieribus secerni, quam Christus supra reliquos homines efferatur: denique V. ita Virginem cum Christo coniungi, ut ex ambobus par existat quo nihil purius, nihilque ab universa Adami posteritate secretius. Sed quae, amabo, in votis esse possunt splendidiora, ut innocentia Deiparae nullo umquam infuscata naevo censeatur? Praesertim quum in eamdem sententiam commentarii patrum iique luculentissimi conspirent.

629. Ac Methodius [a]) enimvero de Virgine loquens scribit: « Te enim sanctissima, tamquam die clarissima mundo affulgente, solemque illum iustitiae producente, odiosus tenebrarum horror depulsus est, tyranni potentia facta irrita, mors destructa, infernus absorptus, inimicitia omnis ante pacis conspectum dissoluta, universusque terrarum orbis veritatis clarissimae purissimaeque luce perfusus est. Ad quae Salomon [1]) in Canticis alludens ita orditur: *dilectus meus mihi et ego illi, qui pascit in liliis donec respiret dies et dimoveantur umbrae.* » Hieronymus autem ubi enarrat [2]) Ecclesiastis verba, *beata terra, cuius rex tuus filius ingenuorum,* sic [3]) habet: « Beata terra Ecclesiae, cuius rex est Christus filius ingenuorum: de Abraham, Isaac et Iacob, prophetarum quoque et sanctorum omnium stirpe descendens, quibus peccatum non fuit dominatum;

a) De Symeone et Anna §. V. pag. 809. D-E. apud Gallandium T. III. Σοῦ γὰρ τῆς παναγίας, ὡς φωταυγοῦς ἡμέρας ἐπιφανείσης τῷ κόσμῳ, καὶ τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον προαγαγούσης, ἐκποδὼν μὲν γέγονε τὰ τοῦ σκότους στυγνρά· φροῦδος δὲ καὶ ὁ τύραννος κατέστη· καὶ διώλωλε μὲν θάνατος, κατεπόθη δὲ καὶ ὁ ᾅδης, καὶ πᾶσα ἡ ἔχθρα κατελύθη πρὸ προσώπου τῆς εἰρήνης, καὶ φωτὸς ἀνάπλεως γέγονεν ἡ ὑπ' οὐρανὸν, τῆς ἀκραιφνοῦς ἀληθείας· ἅτινα προοιμιάζων ἐν τοῖς ᾄσμασιν ἔλεγεν ὁ Σαλομών· ἀδελφιδός μου ἐμοὶ, κἀγὼ αὐτῷ, ὁ ποιμαίνων ἐν τοῖς κρίνοις, ἕως οὗ ἡ ἡμέρα διαπνεύσῃ, καὶ κινηθῶσιν αἱ σκιαί.

1) Cant. II. 16-17. Scholiastes graecus habet ὁ νεμόμενος, et Symmachus τοῦ ποιμαίνοντος.

2) Eccli. X.

3) Comm. in Eccli. X. col. 476. E. et 477. A.

et ob id vere fuerunt liberi. Ex quibus nata est Virgo liberior sancta Maria, nullum habens fruticem, nullum germen ex latere; sed totus fructus eius erupit in florem loquentem [1]) in Cantico canticorum: *ego flos campi et lilium convallium.* » Quibus haec addi debent quae tum promit, quum exempla [2]) recensens mulierum sanctissimarum pergit: « Taceo de Anna et Elisabeth et ceteris sanctis mulieribus, quarum velut siderum igniculos clarum Mariae lumen abscondit. »

630. Quousque vero inclaruerit, explanat [3]) Sophronius senior qui Paulam et Eustochium his verbis compellat: « Diligentius itaque procurate, si quomodo simplicitas columbae quae fuit in Maria, illaesa inviolataque in vobis custodiatur. De qua Salomon [4]) in Canticis quasi in laudem eius, *veni,* inquit, *columba mea, immaculata mea: iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.* Ac deinde [5]) inquit: *veni de Libano, veni coronaberis.* Non immerito igitur venire de Libano iubetur, quia Libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritorum virtutibus, et dealbata nive candidior Spiritus sancti muneribus, simplicitatem columbae in omnibus repraesentans: quoniam quidquid in ea gestum est, totum puritas et simplicitas, totum veritas et gratia fuit, totum misericordia et iustitia quae de caelo prospexit: et ideo immaculata quia in nullo corrupta. » Atque haec pro obvia quam referunt significatione, quaque labes omnino omnis a Virgine depellitur, sumi oportere, auctor est locuples [6]) ancyranus Theodotus inquiens: « Quando ergo venit plenitudo temporis tempusque illud appetiit quo Deus propitiandus erat; tum quoque manifesto prodita sunt remedia per eum qui potens est, de quo iam ante prophetico oraculo [7]) praedicatum erat, *posui adiutorium in potente.* Pro mali enim auctore dracone qui mundo tristia invexisset, laetum gaudii nuntium ferens archangelus dominico e caelis praeit descensui: eiusque loco qui [8]) rapinam arbitratus esset esse aequalem Deo, qui natura Deus atque Dominus, praeses auctorque regenerationis eius naturae quam condiderat, exsistit: pro ea quae ad mortem ministra exstiterat virgo Eva, Deo gratissima ac Dei plena gratia Virgo in vitae obsequium eligi-

1) Cant. II. 1.
2) Prolog. in Sophoniam col. 672. opp. T. VI.
3) Serm. de assumpt. Mariae col. 100. B-D. inter opp. Hieronymi T. XI.
4) Cant. II. 11.
5) Cant. IV. 6-8.
6) Orat. in s. Dei genitricem §. XI. p. 475. A-E. apud Gallandium T. IX.
7) Ps. LXXXVIII. 20.
8) Philipp. II. 6.

tur: Virgo muliebri comprehensa sexu, at muliebris exsors nequitiae: Virgo innocens, sine macula, omni culpa vacans, intemerata, impolluta, sancta [1]) animo et corpore, sicut lilium [2]) inter medias spinas germinans: non docta Evae mala, non muliebri vanitate foedata, non anilibus instituta fabulis, non malo auditu aures sordidata: longe haec facessant et similia, neque enim [3]) tenebris ad lucem ulla communio est: sed quae necdum nata auctori Deo consecrata sit, nata vero grati animi monumento, sacra alumna ut in sacrario ac templo moraretur oblata fuerit, legis discipula, Spiritu sancto delibuta, divina gratia ut palliolo amicta, animo divina sapiens, Deo corde nupta, sanctitatis splendores oculis spirans, auribus cantica insonans, lingua melliflua, labiis [4]) favum stillantibus, pulcra gressibus, moribus pulcrior, sermone venerabilis, actione venerabilior, mansueta moribus, mansuetior motibus, bona in hominum oculis, Dei obtutibus melior, quae Deum ventre susceperit, vereque Deum partu ediderit. Atque ut verbo dicam, tota [5]) pulcra ut propensa voluntas, totaque suavis ut cella unguentaria. »

631. A quo testimonio sane aureo minime dissident verba [a]) Iohannis damasceni Ioachimum et Annam alloquentis: « Vos pie et sancte in humana natura vitam agentes, filiam angelis superiorem et nunc angelorum Dominam edidistis. O speciosissima et dulcissima puella! O lilium inter spinas ex generosissima et maxime regia radice davidica progenitum! O rosa [6]) quae ex spinis, Iudaeis scilicet, orta es, divinoque odore cuncta perfudisti! Hodie mundi salus inchoata est. » Neque haec [b]) dissident quibus Deiparam sa-

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. VI. pagg. 844. E. et 845. A-C. Ὑμεῖς εὐσεβῶς καὶ ὁσίως, ἐν ἀνθρωπίνῃ φύσει πολιτευσάμενοι, τὴν ὑπὲρ ἀγγέλους, καὶ τῶν ἀγγέλων δεσπόζουσαν νῦν θυγατέρα τετόκατε· ὦ θυγάτριον ὡραιότατον καὶ γλυκύτατον· ὦ κρίνον ἀναμέσον τῶν ἀκανθῶν ἐκφυὲν ἐξ εὐγενεστάτης καὶ βασιλικωτάτης ῥίζης δαβιδιτικῆς· ὦ ῥόδον ἐξ ἀκανθῶν τῶν Ἰουδαίων ἐκφυὲν, καὶ εὐωδίας θείας πληρῶσαν τὰ σύμπαντα· σήμερον ἀρχὴ σωτηρίας τῷ κόσμῳ.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 855. B. Χαῖρε ῥόδον ἀμάραντον, ἡ τὸ ἀμήρυτον εὐωδιάζουσα, ἧς ὁ ὀσφρανθεὶς κύριος ἐπανεπαύσατο, καὶ δι᾽ ἧς ἀνθήσας τὴν εὐωδίαν τοῦ κόσμου ἀπεμάρανε· χαῖρε μῆλον εὐωδιάζον, ὁ στειροφυὴς καρπὸς, καὶ ὡραιόθεος,

1) I. Cor. VII. 34.
2) Cant. II. 2.
3) II. Cor. VI. 14.
4) Cant. IV. 11.
5) Cant. IV. 7. coll. VI. 3.

6) Hinc ut missa faciam Sedulii verba alibi relata, Fulbertus carnotensis in versiculis de beata Maria pag. 50. T. XVIII. Max. PP. Biblioth. sic habet:

« Ad nutum Domini nostrum ditantis honorem,

lutat inquiens: « Ave rosa immarcescibilis, infinite fragrans, cuius odore Dominus oblectatus in te requievit, et ex qua florens ipse mundi odorem repressit. Ave pomum bene olens, fructus e sterili prognatus et divina venustate decorus, quae [1]) in Canticis dicis: *stipate me malis, quia vulnerata caritate ego sum:* cuius Christus puritatem decerpens, intemeratam mundo odoris suavitatem in epulis habuit. Ave [2]) lilium, cuius proles Iesus haec agri lilia vestit. » Neque ista rursum [a]) dissident quibus de Deipara scribit: « Quemadmodum enim sol iste splendidissima perennique luce praeditus, tametsi quum a lunari tantisper corpore obtegitur, modo quodam deficere et caligine obrui et fulgorem cum tenebris mutare videatur, non tamen luce sua destituitur, verum sui luminis fontem perpetuo scaturientem habet, quin immo ipse luminis fons est indeficiens, ut ab eius conditore Deo constitutum fuit; sic tu quoque fons veri luminis et inexhaustus ipsiusmet vitae thesaurus, uberrimaque benedictionis scaturigo quae cuncta nobis bona conciliasti et attulisti, etsi ad tempus aliquod corporeo modo morte obtegeris, attamen immensi luminis immortalisque vitae ac verae felicitatis puros et inexhaustos latices, gratiae flumina, sanationum fontes, perennemque benedictionem fundis. Tu enim es [3]) sicut malus in lignis silvae, et fructus tuus dulcis gutturi [4]) fidelium. »

ἡ λέγουσα ἐν ᾄσμασιν, ἐν μήλοις με στοιβάσατε, ὅτι τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ εἰμι· ἧς δρεψαμένης τὴν καθαρότητα Χριστὸς, εἱστιάσατο εὐοδμίαν ἄχραντον τῷ κόσμῳ διαπνέουσαν· χαῖρε κρίνον, οὗ ὁ γόνος Ἰησοῦς, ταῦτα τὰ κρῖνα τοῦ ἀγροῦ ἀμφιεννύντος.

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. X. pag. 865. B-D. Ὥσπερ γὰρ οὗτος ὁ ὁλολαμπὴς καὶ ἀείφωτος ἥλιος ὑπὸ τοῦ σεληνιακοῦ πρὸς μικρὸν κρυπτόμενος σώματος, δοκεῖ μέν πως ἐκλιμπάνειν, καὶ τῷ ζόφῳ καλύπτεσθαι, καὶ τῆς αἴγλης ἀντιλαμβάνειν τὸ σκότος, ὅμως αὐτὸς τοῦ οἰκείου φωτὸς οὐκ ἐξίσταται, ἔχει δὲ ἐν ἑαυτῷ πηγὴν φωτὸς ἀένναον βρύουσαν, μᾶλλον δὲ αὐτὸς πηγὴ φωτὸς ὑπάρχει ἀνέκλειπτος, ὡς ὁ κτίσας αὐτὸν Θεὸς διετάξατο· οὕτω καὶ σὺ ἡ πηγὴ τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς, ὁ ἀδάπανος τῆς αὐτοζωῆς θησαυρὸς, ἡ δαψιλὴς τῆς εὐλογίας ἀνάβλυσις, ἡ πάντων τῶν ἀγαθῶν ἡμῖν αἰτία καὶ πρόξενος, εἰ καὶ πρὸς τὸ χρονικὸν διάστημα καλύπτῃς σωματικῶς τῷ θανάτῳ, ἀλλὰ βρύεις ἀφθόνως ἡμῖν φωτὸς ἀπειρεσίου, καὶ ἀμβροσίας ζωῆς, καὶ τῆς ὄντως μακαριότητος ἀνελλιπῆ, καὶ καθαρὰ, καὶ ἀδαπάνητα νάματα, ποταμοὺς χάριτος, ἰαμάτων πηγὰς, εὐλογίαν ἀέναον· σὺ γὰρ ὡς

» Sicut spina rosam, genuit Iudaea Mariam,
» Ut vitium virtus operiret, gratia culpam.
Eadem vero ab Alberto magno de Insulis in Encycloped. cap. IX. dicitur:
» Nescia spineti florens rosa, nescia culpae
» Gratia, fons expers limi, lux nubila pellens.

1) Cant. II. 5.
2) Cant. II. 1.
3) Cant. II. 7.
4) Hisce similia leguntur Orat. II. in Deiparae dormit. §. X. pag. 874. E.

632. Germanus vero [1]) mentem sententiamque suam promit, quum his verbis oblatam sacerdoti a parentibus triennem Deiparam scribit: « Accipe suscepturam immaterialem et incomprehensibilem ignem. Accipe futurum receptaculum Filii et Verbi Patris. Induc ad altare eam, quae nos in antiquam paradisi habitationem introducet. Tene eam quae suo partu vim mortis nos plane depascentem et inferni tyrannidem vincet. Consecra Deo dicaturam nos Deo, spei nostrae perfectam exspectationem. Vide, Domine, vide, accipe quam dedisti. Quam tribuisti, suscipe. Per ipsam qui res nostras optime dispones, sume quam elegisti et praeordinasti et sanctificasti. Attrahe [2]) tibi innixam et captam odore tuo. Quam [3]) uti lilium e spinis, e nobis indignis elegisti, grato animo tibi oblatam amplectere. » Alibi vero [a]) ipsam alloquens Deiparam ait: « Tu, iuxta quod [4]) scriptum est, speciosa es, tuumque illud corpus virginale totum sanctum est, totum purum, totum Dei domicilium, ut ideo quoque a resolutione in pulverem sit liberum. Quod quidem ceu humanum, ad summam incorruptionis vitam sit immutatum, sit nihilominus ipsum incolume et praegloriosum, consummatae vitae et a somno mortis solutum, quatenus [5]) impossibile erat ut mortuorum sepulcro clausum teneretur quod vas Dei susceptivum esset, ac sanctissimae Unigeniti deitatis animatum templum. »

633. Huc quoque ea pertinent quibus Petrus Argorum episcopus hominum naturam propter conceptum Deiparae gestientem [b])

μῆλον ἐν τοῖς ξύλοις τοῦ δρυμοῦ ἐξήνθησας, καὶ ὁ καρπός σου γλυκασμὸς ἐν λάρυγγι τῶν πιστῶν.

a) Orat. in Deiparae dormit. pagg. 1451. D-E. 1454. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Σὺ κατὰ τὸ γεγραμμένον ἐν καλλονῇ· καὶ τὸ σῶμά σου τὸ παρθενικὸν ὅλον ἅγιον, ὅλον ἁγνὸν, ὅλον θεοῦ κατοικητήριον· ὡς ἐκ τούτου λοιπὸν καὶ ἀλλότριον χοϊκῆς ἀναλύσεως· ἐναλλαγὲν μὲν ὡς ἀνθρώπινον πρὸς ἄκραν ἀφθαρσίας ζωήν· σῶον δὲ τοῦτο καὶ ὑπερένδοξον, ζωοτελὲς καὶ ἀκοίμητον· καθ' ὅτιπερ οὐδὲ ἦν δυνατὸν παρὰ νεκροποιοῦ συγκλεισμοῦ τούτου κρατηθῆναι, ὡς σκεῦος ὑπάρχον θεηδόχον, καὶ ἔμψυχος ναὸς τῆς τοῦ μονογενοῦς παναγίας θεότητος.

b) Orat. in Deiparae concept. Εὐχαριστῶ σοι τῷ παιδεύσαντι, καὶ πάλιν προσλαμβανόμενος σήμερον· τί ἀνταποδώσω σοι τῷ ἐν λύπαις με τίκτειν διὰ τὴν παράβασιν κατακρίναντι, καὶ πάλιν με διὰ τοκετοῦ χαρᾶς εὐαγγελιζομένῳ μηνύματα; νῦν ἐξ ἐμοῦ ῥόδον προφανὲν Μαριὰμ, ἐν νηδύϊ τῆς Ἄννης, τὴν ἐκ φθορᾶς μοι δυσωδίαν ἐκ μέσου ποιεῖ,

1) Orat. I. in Deiparae praesentat. p. 47. edit. Maraccii.

2) Cant. I. 3.

3) Cant. II. 2.

4) Cant. II. 13.

5) Actt. II. 16.

exhibet scribens: « Gratias ago tibi, qui me postquam erudieris, iterum hodie suscipis. Quid retribuam tibi, qui me ob praevaricationem [1]) in doloribus parere damnasti, et denuo hoc partu gaudii signa mihi annuntias? Nunc ex me in Annae utero germinans rosa Maria corruptelae faetorem de medio mei tollet, suamque fragrantiam impertiens, divinae exultationis participem me efficiet. Ob mulierem huc usque infelix ego, ob mulierem nunc beata sum effecta.» Huc ista [a]) pertinent quae Tarasius habet: « Quid enim agebat Virgo in sanctissimis templi adytis degens? Angelorum cibum per angelum accipiebat, et immaculatae [2]) columbae similis virginitatem servans templi et caeli terraeque opifici cum gratiarum actione animique fiducia ita supplicabat: laudabo te omnipotens altissime, qui primae genitricis meae delevisti opprobrium, et propter ineffabilem misericordiam tuam missurus es in terram Unigenitum tuum, ut homines ad meliora convertantur. » Atque huc pertinet adprecatio, qua editum miraculum Iohannes thessalonicensis [b]) testatur scribens: « In nomine Iesu Christi Domini nostri, filii Mariae intaminatae [3]) columbae, Deique benignissimi et misericordis iterum iungantur sibi et cohaereant manus meae; et illico sanatae sunt sicut antea erant, nullo prorsus defectu superstite. »

634. Neque praeteriri silentio debent quae Psellus tradit. Is namque est qui [c]) scribit: « Tempus iam est ut quae deinceps Sponsa

καὶ τὴν ἑαυτῆς εὐωδίαν διδοῦσα θείας ἀγαλλιάσεως μεταδίδωσι· διὰ γυναικὸς μέχρι τοῦ νῦν ἀθλία ἐγὼ, διὰ γυναικὸς ἄρτι μακαρία γεγένημαι.

a) Orat. in Deiparae praesent. Τί γὰρ ἔπραττεν ἡ παρθένος εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων περιπολοῦσα; τροφὴν ἀγγέλων δι' ἀγγέλου εἰσεδέχετο· καὶ ὡς περιστερὰ ἀκεραία τὴν παρθενίαν τηροῦσα, τὸν τοῦ ναοῦ καὶ οὐρανοῦ καὶ γῆς δημιουργὸν, μετ' εὐχαριστίας ἐν παρρησίᾳ καρδίας λιτανεύουσα, ἔλεγεν· ᾄσω σοι παντόκρατορ ὕψιστε, ὅτι ἀφεῖλες τὸν ὀνειδισμὸν τῆς προμήτορός μου Εὔας· καὶ διὰ τὴν σὴν ἄφατον εὐσπλαγχνίαν, τὸν μονογενῆ σου υἱὸν μέλλεις καταπέμψαι ἐπὶ γῆς, ὥστε τοῖς ἀνθρώποις συναστραφῆναι (forte, συστραφῆναι).

b) Orat. in Deiparae dormit. Ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, τοῦ υἱοῦ Μαρίας τῆς ἀμιάντου περιστερᾶς, τοῦ ὑπεραγάθου καὶ ἐλεήμονος θεοῦ, κολληθήτωσαν εἰς ἀλλήλας αἱ χεῖρές μου, καὶ εὐθέως ἐγένοντο ὅλως ὑγιεῖς ὡς τὸ ἀπαρχῆς· ἐν μηδενὶ λειπομένη (λειπόμεναι).

c) Comm. trium PP. in Cant. pag. 658. C-D. apud Gallandium T. VI.

Καιρὸς λοιπὸν καὶ τῶν ἑξῆς ἀκοῦσαι ταύτης λόγων·

1) Gen. III. 16.
2) Cant. II. 10.
3) Cant. II. 10.

dicit, audiamus. Sic enim dicit ad eum velut [1]) gloriabunda: *ego autem flos campi, lilium convallium.* O praeclaram purae Virginis progressionem! Ecce enim te ipsam cum eximium totius campi, naturae humanae florem, tum divinum convallium lilium agnovisti. » Is est qui relatis [a]) Sponsi verbis, *sicut lilium in medio spinarum, sic propinqua mea in medio filiarum,* continuo [b]) subdit: « Recte, inquit, de te loquuta es, o Sponsa: sic enim inter animas quae curarum et solicitudinum spinis suffocantur, ut odorifera rosa floruisti. » Et is est [c]) qui pergit: « Has laudes sponsa quum audivisset, quibusdam ipsa quoque Sponsum laudibus extollit. Dominum enim hisce verbis alloquitur: *sicut* [2]) *pomum inter ligna silvae, sic*

Φησὶ γὰρ οὕτω πρὸς αὐτὸν ὥσπερ ἐγκαυχωμένη·
Ἐγὼ δὲ ἄνθος τοῦ πεδίου, κρίνον τῶν κοιλάδων.
Ὑπέρευγε τῆς προκοπῆς τῆς καθαρᾶς παρθένου.
Ἰδοὺ γὰρ, ἔγνω ἑαυτὴν τοῦ ξύμπαντος πεδίου
Τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἄνθος ἐκλελεγμένον,
Εἶτα καὶ κρίνον καθεξῆς ἐκ τῶν κοιλάδων θεῖον.

a) Cant. II. 2. Ὡς κρίνον ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν, οὕτω ἡ πλησίον μου ἐν μέσῳ τῶν θυγατέρων.

b) Ibid. pag. 658. D.

Ὀρθῶς, φησι, λελάληκας περὶ σαυτῆς, ὦ νύμφη·
Οὕτως γὰρ μέσον τῶν ψυχῶν τῶν δῆθεν θυγατέρων,
Τῶν ἐν μερίμναις πάντοτε συγκαταπνιγομένων·
Σὺ μόνη νῦν ἐξήνθησας ὥσπερ ἡδύπνουν ῥόδον.

c) Ibid. pagg. 659. E. et 660. A.

Τούτων ὡς δ' ἤκουσε λοιπὸν ἡ νύμφη τῶν ἐπαίνων,
Ἀντιτεχνάζεταί τινας ἐπαίνους τῷ νυμφίῳ.
Λέγει γὰρ λέξεσιν αὐταῖς τάδε πρὸς τὸν δεσπότην·
Ὡς μῆλον ἐν τοῖς ξύλοις τοῦ δρυμοῦ,
Οὕτως ἀδελφιδοῦς μου ἀνὰ μέσον τῶν υἱῶν.
Ὥσπερ ἐν ταῖς ψυχαῖς ἁπάσαις τῶν ἀνθρώπων,
Ἃς θυγατέρας εἴρηκας, ὦ λόγε καὶ νυμφίε,
Ἔγωγε μόνη πέφυκα κρίνον ὥσπερ ἐν φύσει·
Οὕτω καὶ σὺ τοὺς οὐρανοὺς ἀῤῥητοτύπως κλίνας,
Καὶ κατελθὼν ἐπὶ τῆς γῆς εἰς ὑλώδη βίον,
Καὶ σαρκωθεὶς τὸ καθ' ἡμᾶς ἐν τῷδε τῷ δρυμῶνι,
Ὤφθης ἐν μέσῳ τῶν υἱῶν τοῦ τῇδε τῶν ἀνθρώπων,
Ὡς μῆλον εὐωδέστατον καὶ γεῦσιν καθηδύνον.

1) Cant. II. 1.

2) Cant. II. 3. In textu est דּוֹדִי *dilectus meus,* cui apud Alexandrinos respondet nunc ἀδελφός, nunc πατράδελφος vel divisim ἀδελφὸς πατρός, nunc συγγενής, nunc υἱός, nunc ἀνεψιός, nunc οἰκεῖος, nunc ἀγαπητός, et nunc υἱὸς ἀδελφοῦ τοῦ πατρός, quod est synonymum ἀδελφιδοῦ, idest, *fratruelis,* quod toto fere Cantico adhibetur. Quinta editio ἑταῖρος socius.

nepos meus inter filios. Quemadmodum, inquit, inter omnes hominum animas, quas o Verbum et sponse, filias appellasti, ego sola sum tamquam lilium in germine; sic etiam tu arcana ratione [1]) *caelos inclinans et descendens* super terram in hanc vitam mortalem et carnem nostram assumens, in hac silva te inter filios hominum conspicuum praebuisti, tamquam pomum suavissimum et gustu iucundissimum. » Quibus haec ex Matthaeo cantacuzeno [a]) praeclare respondent: « Post maledictionem ipsa quoque terra amaritudinem hominibus peperit spinasque produxit; sed deleta prima maledictionis origine et prognata vitae dulcedine, opus erat et florem ante fructum nasci ex iis quae in tristitia erant mulieribus, venerandam nimirum Virginem, quod ex ipsa fructus nasciturus esset vitae. Quam lilium nominavit dicens: *sicut lilium in medio spinarum, sic propinqua mea in medio filiarum mearum:* hoc est, sola Virgo in medio earum quae in tristitia sunt filiarum Adam, gaudium et laetitiam ex Dei nuncio consequuta est. » Atque haec [b]) rursum: « *Introducite me*, inquit, *in domum vini*, in Iudaeorum videlicet templum. Sermo namque est illibatae Virginis ad Iudaeos; ipsa enim sola in sanctis sanctorum [2]) habuit domicilium, utpote purissimum Dei et Verbi tabernaculum. » Tum [c]) haec: « *Exsurge*, inquit, *veni, proxima mea, formosa mea, columba mea.* Hoc est purissimum te mihi domicilium velim expedias et reddas; oportet enim sellam ante regium adornari adventum. » Atque haec [d]) tan-

a) Comm. in Cantic. II. 2. pag. 13. Μετὰ τὴν ἀρὰν, καὶ ἡ γῆ τὰς ἀκάνθας ἐβλάστησε, πικρίαν ἀνθρώποις κυούσας· ἐπειδ' ἐλύθη τῆς ἀρᾶς τὸ ἀρχέγονον, καὶ ὁ γλυκασμὸς τῆς ζωῆς ἀνεβλάστησε, δέον καὶ τὸ ἄνθος πρὸς αὐτοῦ ἀναφυῆναι ἐκ τῶν λελυπημένων γυναικῶν· ταύτῃ τοι καὶ τὴν σεμνὴν παρθένον, ὡς ἐξ αὐτῆς ἀναλάμψαντα τὸν τῆς ζωῆς καρπὸν, ἣν κρίνον ὠνόμασεν εἰπών· ὡς κρίνον ἐν μέσῳ τῶν ἀκανθῶν, οὕτως ἡ πλησίον μου ἐν μέσῳ τῶν θυγατέρων μου· τουτέστι, μόνη ἡ παρθένος ἐν μέσῳ τῶν λυπημένων τοῦ Ἀδὰμ θυγατέρων τὴν χαρὰν διὰ τοῦ ἀγγέλου ἐδέξατο.

b) Comm. in Cantic. II. 4. pag. 14. Εἰσαγάγετέ με, φησιν, εἰς οἶκον τοῦ οἴνου· εἰς τὸν ἰουδαϊκὸν δηλονότι ναόν· ἐκ τῆς παρθένου γὰρ ἁγνῆς πρὸς Ἰουδαίους ὁ λόγος, αὕτη γὰρ μόνη ἐν τοῖς τῶν ἁγίων ἁγίοις ἔσχε τὴν οἴκησιν, ὡς καθαρωτάτη σκηνὴ τοῦ θεοῦ καὶ λόγου.

c) Comm. in Cant. II. 13. pag. 18. Ἀνάστα, φησὶν, ἐλθὲ, πλησίον μου, καλή μου, περιστερά μου· τουτέστι τὸ ἐμὸν καθαρώτατον οἴκημα ἑτοιμάσθητι, γεννήθητι· δεῖ γὰρ πρὸ τῆς βασιλικῆς παρουσίας ἑτοιμασθῆναι τὸν δίφρον.

d) Comm. in Cant. II. 14. pag. 19. Ὁ μὲν τῶν Ἰουδαίων λαὸς, ὡς ἀκάθαρτος ἐξι-

1) Ps. XVII. 10.

2) Qua de re operae pretium fuerit novisse quae Vincentius Riccardus disserit in subiectis notis pagg. 127. seqq.

Digitized by Google

dem: « Iudaeorum quidem populus ut immundus a Deo est reprobatus, Virgo vero omni ex parte labis expers, tamquam purissimum templum in ipsius electa est domicilium, ad quam dicit: *veni tu, columba mea.* »

635. Porro Anselmus non modo [1]) exclamat: « O alma virgo Maria, tanto omnibus angelorum spiritibus omnibusque electorum animabus, in cuncta Filii tui Christi Domini nostri hereditate es gloriosior, quanto ab ipso fieri meruisti beatior. » Non modo Deiparam compellans [2]) ait: « Tu decus mundi. Tu nobilitas populi christiani. O regina et domina mundi, scala caeli, thronus Dei, ianua paradisi. » Sed praeterea [3]) scribit: « O beata Dei genitrix virgo Maria, templum Dei vivi, aula Regis aeterni, sacrarium Spiritus sancti. Tu virga de radice Iesse, tu cedrus de Libano, tu rosa purpurea in Iericho, tu cypressus in monte Sion; quae singulari privilegio sicut nescis in omnibus comparationem, ita nihilominus et angelicam superas dignitatem. » In Psalterio autem eidem tributo [4]) legimus:

» Ave caeleste lilium,
» Per florem cuius unicum
» Fidelibus est aeternum
» Testamentum dispositum.

636. Quibus omnibus ista plane sunt consona quae Adamus Perseniae abbas [5]) de Virgine tradit: « Ipsa est porta caeli, portus naufragii, hortus paradisi, baculus quo mundus debilis sustentatur, virga qua corripitur iniquitas orbis, columba in qua manet Spiritus sanctus ad emundationem impietatis. Columba inquam est, cuius simplicitatis antidoto venenati serpentis detegitur astutia multiformis. » Consona haec sunt quae Petrus [6]) Damiani scribit: « Lilium vocatur Christus, lilium dicitur et mater Christi, sicut in Cantico subinfertur: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sicut lilium inter spinas, sic beatissima virgo Maria enituit inter fi-

βλήθη παρὰ Θεοῦ· ἡ δὲ πανάμωμος παρθένος, ἅτε καθαρώτατος οὖσα ναὸς, εἰς κατοικίαν ἑαυτῷ ἀφώρισται, καὶ φησὶ πρὸς αὐτήν· ἐλθὲ σὺ περιστερά μου.

1) Orat. LIV. pag. 283. col. 1. C.
2) Ibid. pag. 283. col. 2. D.
3) Ibid. pag. 283. col. 1. D.
4) Psalter. Virg. pag. 305. col. 3. C. Quibuscum conferri debent quae geminis expressa verbis habentur in Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 309. et T. II. pag. 245.
5) Tract. in *Magnificat* p. 146. edit. Maraccii.
6) Serm. XLVI. de Virginis nativit. pag. 114. col. 1. B-C. Si qui autem haec Damiani verba cum iis contulerint quae docet Paulus diaconus in Serm. de Virginis assumpt. pag. 268-269. apud Martenium Scriptt. vett. T. IX., facile intelligent sua Damianum ex Pauli fontibus corrivasse.

lias: quae de spinosa propagine Iudaeorum nata candescebat munditia virgineae castitatis in corpore, flammescebat autem ardore geminae caritatis in mente, flagrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis. » Consona quae [1]) vulgatus Hildephonsus habet, quum ideo Virginem dictam lilium docet: «Quia Mariae nullum extrinsecus obrepsit peccati contagium, sed intus omni custodia legis et manna fuit. » Atque ista pariter sunt consona quae [2]) scribit Rupertus: «Hoc restabat, quoniam ille *(Sponsus)* mihi dixerat, *ecce tu pulcra es, amica mea, ecce tu pulcra:* et ego illi, *ecce tu pulcher es, dilecte mi et decorus:* hoc, inquam, restabat dicere, quod revera pulcher ipse, et quod ego ad similitudinem eius pulcra sim. » Et [3]) rursum: « Igitur haec verba dilecti loquentis [4]) mihi, *surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea et veni,* sic accipite quasi verba desiderantis, tamquam festinantis et optantis iam adesse materiam tantae salutis, scilicet me, cuius caro illi materia foret assumendae carnis. Tamquam praesenti loquebatur mihi, meque iubebat surgere et properare, idest nasci et hospitium ventris mei sibi cito praeparare. Et revera priusquam nascerer illi praesens aderam: antequam fierem, bene illi cognita fueram. Si enim dicitis et vere [5]) dicitis, *quia elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate;* nonne et de me recte sentitis et recte sentiendo dicitis, quia elegit me ante mundi constitutionem ut essem sancta et immaculata in conspectu eius in caritate? Et si Sapientia, ut ipsa testatur [6]) iam antequam fieret, *ludens erat coram eo in orbe terrarum, et deliciae eius cum filiis hominum;* quanto magis ludens erat et deliciabatur cum ista ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum vel filiarum hominum! *Surge,* inquit, *propera amica mea, columba mea, formosa mea*, et in his omnibus Evae opposita. Eva namque quasi inimica, Eva quasi vipera, Eva quasi deformis et ignominiosa. Inimica per superbiam quia intus tumuit; vipera per malitiam quam ex serpente concipiens, foris tentata, facile cessit: ignominiosa per pruritum libidinis qua statim scaturire cepit, unde et nuda se cognoscens, folio pudenda contexit. Tu autem amica mea per hu-

1) Serm. I. de Virginis assumpt. pag. 343. col. 1. D. in collect. PP. toletan. T. 1.
2) Comm. in Cant. lib. I. pag. 12. col. 1. B.
3) Comm. in Cant. lib. II. pag. 16. col. 1. E. et col. 2. A-D.
4) Cant. II. 10.
5) Ephes. I. 4.
6) Prov. VIII. 30.

militatem, columba mea per caritatem, formosa mea per castitatem. Tu contra Deum non tumuisti, imo mente humili Altissimo complacuisti, et ecce amica mea es. Tu serpenti aurem non praebuisti, imo inimicitias [1]) inter te et Serpentem ego posui, et ecce columba es. Tu nuditatem libidinis non incurristi, imo Spiritus sanctus [2]) obumbrabit tibi, et ecce formosa es. Veni ergo, Maria, veni, nam Eva ad latebras fugit. Veni et crede Angelo evangelizanti, nam Eva credidit serpenti susurranti. Veni et contere caput serpentis, nam Eva et capite illecta, et ventre oblectata, et cauda est obligata serpentis. »

637. Quare si de sententia maiorum disertis expressa testimoniis quaeratur, duplex debet esse responsio. Sicut enim respondendum est, pleraque omnia ex altero Cantici capite ab iis fuisse ad Deiparam accommodata, adeo ut nihil eo in capite occurrat nihilque ad innocentiam, puritatem atque praestantiam spectans habeatur quod non fuerit ad Virginem traductum; ita nullatenus fas est inficiari, editos ab iis commentarios tales esse quibus insigniores neque ad tuendam Virginis summam innocentiam, neque ad asserendum immaculatum eiusdem conceptum expeti posse videantur. Sane I. non modo Deiparam vocant [3]) *columbam*, sed cumulatis epithetis illam vocant *columbam nive candidiorem*, *totam puram*, *totam sanctam*, *penitusque venustam*. Non modo II. illam dicunt *lilium*, sed adiectis appositis illam dicunt *lilium divinum*, *caeleste*, *atque ex spinis et inter spinas obortum*, *quin vel tantillum ex spinis contrahe-*

1) Gen. III. 15.

2) Luc. I. 35.

3) Maraccius in notis ad Mariale Adami Abbatis Perseniae pagg. 215. seqq. « *Columbae*, inquit, appellationem et proprietates Deiparae adaptant tam multi sanctorum patrum ac sacrorum doctorum, ut ni brevitas prohiberet, lectori avido ac Deiparae cultui ex animo indulgenti longissimum ex iis posset confici inventarium. Legendi sunt s. Epiphanius in sermone de laudibus Virginis, ubi Deiparam vocat *columbam puram*: s. Sabbas in Menaeis Graecorum die XXIV. Martii, ubi vocat *columbam unicam pulcritudinis incorruptae*: s. Proclus constantinopolitanus Orat. VI. ubi vocat *columbam simplicem*: s. Augustinus T. X. Serm. XXXV. de sanctis, ubi vocat *columbam Filii sui*: s. Ildephonsus Serm. VI. de Assumptione, ubi vocat *columbam Spiritus sancti*: Esychius hierosolymitanus Serm. II. de laudibus Virginis, ubi vocat *columbam impollutam*: Iohannes euboeus in oratione de concept. Deiparae ubi vocat *columbam purissimam*: s. Iohannes damascenus in Orat. II. de assumptione ubi vocat *columbam sacratissimam*, et in Menaeis Graecorum die XXII. Ianuarii, ubi vocat *columbam electam, quae mentem habuit pennis inauratis spectabilem*: s. Germanus constantinopolitanus in Mariali a nobis edito pagg. 102-103., ubi vocat *columbam rationalem et purissimam, ob divinum animae candorem nive candidiorem, caelesti sponso unice dilectam, totam omnino ad Spiritus rationes formatam et quasi in Spiritu transformatam, quae hominibus erroris hiemem iam cessasse ostendit*: s. Althelmus in libro de laude virginit. cap. XXII. ubi vocat *columbam inter sexaginta reginas et bis quadragenas pellices, quae propter perenne paritatis privilegium Monarcham mundi, archangelo praenuntiante, Paracleto obumbrante, praecordiis tripudiantibus feliciter suscipere meruit*: Georgius nicomediensis Orat. I. de praesent. Virginis, ubi vocat *columbam irreprehensibilem, quae malitiae aucupem devitavit, eius machinamentis facta sublimior.* »

ret. Non modo III. illam nuncupant *rosam,* sed praeterea subdunt *rosam esse immarcescibilem, non horrentem spinis, sed infinite fragrantem, priscum foetorem expellentem, illumque expellentem ex ipso Annae utero, in quo ceu rosa germinavit.* Ad haec IV. quae sunt Sponsi propria, intactumque illius nitorem praeseferunt, ad Virginem securi transferunt, illamque celebrant *veluti pomum inter ligna silvarum bene olens, veluti fructum divina venustate decorum, veluti florem campi liliumque convallium, et veluti thesaurum vitae qui neque solvi deberet in pulverem, neque posset mortis vinculis contineri.* Tandem V. omnia adhibent quae hisce illustrandis conducunt, quaeque Virginem ad supremum creatae innocentiae fastigium evectam, et ab ipso conceptu innoxiam puramque demonstrant. Ipsis enim auctoribus Maria est *prae sanctis omnibus a peccato liberior: inter iustos haud aliter emicat ac clarum lumen inter siderum igniculos: quemadmodum celsior est angelis, ita illis quoque est purior atque innocentior: pulcra est uti ectypus illius qui ipsa est pulcritudo: est decus mundi, miraculum inter filios hominum et nescia in omnibus comparationis: totum in ipsa veritas est, totum puritas, totum simplicitas: non minus ipsa a peccato aliena est, quam lux a tenebris distet: est immaculata, et idcirco immaculata quia in nullo corrupta: muliebri comprehenditur sexu, sed muliebris est exsors nequitiae: non est docta Evae mala, neque pervia serpenti cuius caput contrivit: ipsa tandem est, qua primum adveniente, hominum natura respiravit et initia salutis apparuerunt.*

638. Merito igitur atque ex fide sententiaque maiorum Auctor [1]) tractatus de conceptione Virginis scripsit: « Si Deus castaneae confert ut inter spinas remota punctione concipiatur, alatur, formetur, non potuit haec dare humano quod ipse sibi parabat templo, in quo corporaliter habitaret et de quo in unitate suae personae perfectus homo fieret; ut licet inter spinas peccatorum conciperetur, ab ipsis tamen spinarum aculeis omnimode exsors redderetur? Potuit plane et voluit: si igitur voluit, fecit. Et quidem quidquid dignum um-

1) Inter opp. Anselmi pag. 500. col. 2. A-E. Neque haec praeteriri silentio debent quibus vetustus auctor libri de corona beatae virginis Mariae, ipsam compellat inquiens cap. XXIII. pag. 430. in collect. PP. toletan. T. 1. « Tu siquidem es pulcra fide, speciosa facie, decora mente, formosa sanctitate; simplex ut columba et candida in anima, omni munditia et innocentia dealbata, quam circumstant astra lucentia angelorum et apostolorum, rosae fragrantes martyrum, violae redolentes confessorum, lilia candida virginum. Est autem rationalis condecentia, nam innocentia et puritas tua excedit innocentiam angelorum. »

quam de aliquo extra suam personam voluit, perperam est eum de te, o beatissima feminarum, noluisse: voluit enim te fieri matrem suam; et quia voluit, fecit esse: quasi diceretur, matrem suam te fecit ille rerum Dominus, creator et gubernator, rerum inquam omnium non solum intelligibilium sed omnem intellectum transcendentium Dominus et factor te Dominam et imperatricem constituit caelorum atque terrarum: et sic marium et omnium elementorum, cum omnibus quae in ipsis sunt, Domina et imperatrix exstitisti et exsistis: et ut ita esses, in utero matris tuae a primordiis conceptionis, operante Spiritu sancto, creabaris. Ita est, bona Domina, et gaudemus ita esse. Numquid ergo, dulcissima Domina, numquid tu tanta futura, Summi videlicet mater unica, et omnium quae fuerunt, sunt vel erunt prudens ac nobilis post Filium tuum imperatrix: numquid in exordio tuo talis esse debuisti, ut omnium quorum te Dominum gerere aut impuritati aut subiectioni potuisset addici? Ille assertor purae veritatis, et a Filio tuo iam in caelo praesidente vas electionis cognominatus, omnes homines [1]) peccasse in Adamo fatetur; vera utique sententia, et cui contradici nefas esse pronuntio. Sed cum eminentiam gratiae Dei in te considero, sicut te non intra omnia sed super omnia quae facta sunt, inaestimabili modo contueor: ita te non lege naturae ut alios in tua conceptione devinctam fuisse opinor; sed singulari et humano intellectui impenetrabili divinitatis virtute et operatione ab omni peccati adiunctione liberrimam. Solum etenim peccatum fuerat quod homines a parte Dei dirimebat: et ut illud Filius Dei evacuaret, sicque ad placere Dei humanum genus revocaret, homo fieri voluit; et talis ut nec in eo aliquatenus concordaret ei unde homo a Deo discordabat: quia ergo ita fieri oportebat, matrem, de qua talis crearetur, mundam esse ab omni peccato decebat. Aliter enim quo pacto illi summae puritatis caro tanta coniunctione uniretur ut homo assumptus ita esset in unum, ut quae Dei sunt, indifferenter hominis essent, et quae hominis, Dei? »

1) Rom. V. 12.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De tertio Cantici capite solemni Ecclesiae usu ad Deiparam accommodato: quae hunc usum demonstrent: quae spectari hoc in capite potissimum debeant: et quibus illa maiorum commentariis enarrentur: opportuna in rem praesentem consectaria deducuntur.

639. Quod de primo atque altero Cantici capite monuimus, idipsum et de tertio repetamus oportet, obtinuisse nimirum atque etiamnum ecclesiasticum obtinere usum, ut quae eo continentur, ad Deiparam eiusque celebrandas laudes transferantur. Cuius quidem usus testis est [1]) non uno in loco mozarabica liturgia: testes sunt [2]) Officia quae in Romana Ecclesia frequentantur: atque ipsi etiam testes sunt ecclesiastici Graecorum libri. In his enim, ut pauca quaedam ex plurimis decerpam [a]), legimus: « Ille qui purus est quum te, o purissima, omni re creata puriorem invenisset, inhabitavit in te, volens tamquam hominum amator expellere iniquitatem quae in Adamo habitaverat.

Contritionem et antiquam terrigenarum miseriam curasti, o tota immaculata, illum enixa, o Dei sponsa, qui propter ineffabilem misericordiam suam infirmitates nostras portavit.

Apparuisti, o Dei genitrix, angelis superior, apparuisti vere athletarum robur: apparuisti, o innocentissima, salus eorum qui te verissimam Verbi genitricem profitentur.

a) Men. die XXII. Octobris Ode α'. pag. 129. col. 2. E. Εὑρών σε καθαρωτέραν, πάναγνε, πάσης τῆς κτίσεως ὁ καθαρὸς, ἐνῴκησεν ἐν σοὶ, ἐξοικίσαι βουλόμενος τὴν ἐν Ἀδὰμ οἰκήσασαν παρανομίαν, ὡς φιλάνθρωπος.

Ibid. Ode δ'. pag. 130. col. 2. C. Ἰάσω συντριβὴν, πανάμωμε, καὶ τὴν πάλαι ταλαιπωρίαν τῶν γηγενῶν, τέξασα τὸν βαστάσαντα τὰς νόσους ἡμῶν δι' εὐσπλαγχνίαν ἄφατον, θεόνυμφε.

Ibid. Ode ζ'. pag. 132. col. 2. D. Ὤφθης ἀγγέλων, θεοκύητορ, ὑπερέχουσα· ὤφθης ἀθλητῶν κραταίωμα ἀληθῶς· ὤφθης, πάναγνε, διάσωσμα τῶν γινωσκόντων σε παναληθῆ τοῦ λόγου λοχεύτριαν.

Ibid. Ode η'. pag. 133. col. 1. A. Ἰδοὺ ἡ κλίνη Σολομῶν ἣν κυκλοῦσι δυνατοὶ, ὡς αἱ προῤῥήσεις νῦν γραφῆς τῆς ἁγίας, ἐν ᾗ Χριστὸς ὁ θεὸς σαρκώσει θείᾳ ἀνεπαύσατο, ἡ εὐλογημένη καὶ κεχαριτωμένη.

1) In festis Nativitatis, Praesentationis et Assumptionis.

2) In officiis Conceptionis et Assumptionis.

Digitized by Google

Ecce lectulus Salomonis, quem nunc potentes circumdant, praedictiones nimirum Scripturae sacrae; in quo Christus Deus per divinam incarnationem requievit, benedicta scilicet et gratia plena. »

640. Quibus haec [a]) praeclarissime respondent: « Corpus et animam nullius consciam labis quum Deo, o innocens, custodires, Rex Christus tuam pulcritudinem adamavit, matremque ostendit suimetipsius incarnationis, o gloriosissima Maria, salutem meam semper implens. » Respondent [b]) et ista: « Laudamus partum tuum per quem redempti sumus, o benedicta et divinitus beata, quam solam is dilexit qui est benedictus et supergloriosus. » Atque ista rursum respondent quae [c]) Theophani debentur: « Tu mortalium gloria et decus et gloriatio: tu angelorum corona et diadema; propterea cum caelo et terra in unum coetum confluentes tibi acclamamus ave. Ave Domina mundi: ave omnium hominum praesidium. Ave lectule venerande quem Salomon praesignavit sexaginta fortibus circumdatum: ave, o Virgo, arca aurea spiritalis sanctificationis: ave divina forceps: ave rube ignem ferens: ave porta et scala et pons. »

641. Ecclesiastica igitur eius de quo loquimur capitis ad Deiparam accommodatio talibus comprobata est testimoniis, quae sicuti plenissimam gignunt fidem, ita nullam tergiversandi ansam permittunt. Verum quo redeunt potiora quaeque hoc ipso capite comprehensa? Videlicet I. Sponsa [1]) modis quibus potest omnibus flagrantissimum significat amorem quo in Sponsum rapitur: *in lectulo meo per*

a) Men. die IV. Augusti Ode θ'. pag. 28. col. 2. B. *Σῶμα καὶ ψυχήν σου ἀμόλυντα Θεῷ διατηρούσης, ἁγνὴ, ὁ βασιλεὺς ἠράσθη σου τοῦ κάλλους Χριστὸς, καὶ μητέρα τῆς ἑαυτοῦ σαρκώσεως ἀνέδειξε, Μαρία ὑπερένδοξε, τὴν σωτηρίαν μου ἀεὶ ἐκπληρῶν.*

b) Men. die XV. Ianuarii Ode ζ'. pag. 122. col. 2. D. *Ὑμνοῦμεν τὸν τόκον σου, εὐλογημένη, δι' οὗ ἐλυτρώθημεν, Θεομακάριστε, μόνην ἣν ἠγάπησεν ὁ ὢν εὐλογημένος καὶ ὑπερένδοξος.*

c) Men. die XXVII. Ianuarii Ode δ'. pag. 204. col. 1. B-C. *Σὺ τῶν βροτῶν δόξα καὶ κλέος καὶ καύχημα, καὶ ἀγγέλων στέφος καὶ διάδημα· διὸ ἡ γῆ καὶ ὁ οὐρανὸς μίαν ἐκκλησίαν στησάμενοι παναρμόνιον, τὸ, χαῖρε, σοὶ βοῶμεν· χαῖρε δέσποινα κόσμου· χαῖρε πάντων ἀνθρώπων βοήθεια.*

Κλίνη σεπτὴ, ἣν Σολομὼν προδιέγραψε κυκλουμένην δυνατοῖς ἑξήκοντα· χαῖρε, παρθένε, ἡ κιβωτὸς ἡ κεχρυσωμένη τοῦ νοητοῦ ἁγιάσματος· λαβὶς ἡ θεία χαῖρε· χαῖρε βάτε πυρφόρε· χαῖρε πύλη καὶ κλίμαξ καὶ γέφυρα.

1) Cant. III. 1-4. Verbis vulgati, *in lectulo meo*, et in versione alexandrina, *ἐπὶ τὴν κοίτην* [illegible] respondent in textu עַל־מִשְׁכָּבִי *super cubili*

noctes quaesivi quem diligit anima mea, quaesivi illum et non inveni. Surgam et circuibo civitatem: per vicos et plateas quaeram quem diligit anima mea. Inveni quem diligit anima mea. Tenui eum nec dimittam. II. Sponsus [1]) mutuas amoris vices rependit Sponsae, illamque suavissimo dilectae nomine compellat: *adiuro vos filiae Ierusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* III. Describitur [2]) Sponsa ut iucundissimis perfusa odoribus, et nonnisi fragrantiam odorum fundens et spirans: *quae est ista quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?* IV. Describitur [3]) tamquam Sponsi lectulus sollicite protectus et potenter custoditus atque defensus: *en lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi: uniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* V. Describitur [4]) veluti opus ipsius Sponsi nobilissimum, et in quo nihil sive ad splendorem sive ad venustatem desideres: *ferculum fecit sibi rex Salomon ex lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media caritate constravit propter filias Ierusalem.* Describitur tandem VI. ut quae [5]) Spon-

1) Cant. III. 5. coll. II. 7.

2) Cant. III. 6. Quod in vulgato est *virgula*, hebraice dicitur תִּמֹרָה, proprie *palma*, et adoptiva significatione *columna*, et quidquid cum *palma* similitudinem praefert.

3) Cant. III. 7-8. Proprie in textu מִטָּה *reclinatorium*, quod per diminutivum solus reddidit latinus interpres. Quos autem idem dicit *fortes ex fortissimis*, in textu audiunt גִּבֹּרִים מִגִּבֹּרֵי idest, *longe fortissimi*; eadem constructione qua Philipp. III. 5. ἑβραῖος ἐξ ἑβραίων pro μάλιστα ἑβραιότατος.

4) Cant. III. 9-10. Vocabulum אַפִּרְיוֹן hoc loco solum exstat, et in eo enarrando mira variant interpretes, prout ab hac, aut illa radice etymon eius arcessunt. Qui *thalamum* aut *lectum genialem* interpretantur, Rabbi David et Salomon Iarchi, e פָּרָה *fructus edere*: et qui *aedificium*, Pagninus et Vatablus per metalepsim, quod aedificare apud Hebraeos dicantur qui fructu thalami, idest prole augentur. Alexandrini φορεῖον, ex quo vulgatus *ferculum*: Syrus *solium*, et Arabs *umbraculum*. Hi omnes ab אָפַר repetunt, quod non modo *velum* significat, sed etiam opus omne pulcra varietate distinctum, quod sit idem ac פְּאֵר, a quo tantum discrepant unius litterae metathesi satis apud Hebraeos usitata. Talia erant pomparum fercula, regum throni.

5) Cant. III. 11. Est proprie *diadema* redimiculum non capitis solum, et regiae potestatis insigne, sed aliud quodcumque ex vi originis, quam esse διαδέω, sicuti synonymi στέφανος est στέφω, omnes norunt. Utrumque autem egregie consentit cum hebraeo vocabulo עָטַר quod proprie valet *circumdare, ambire, involvere*. Haec de vocibus, ad quarum significationem quod attinet, sic habet Ambrosius de institut. virg. cap. XVI: « Beatus Mariae uterus qui tantum Dominum coronavit quando formavit, coronavit eum quando generavit. » Accedit Augustinus in ps. XLIV. inquiens: « Coniunctio nuptialis Verbum et caro; huius coniunctionis thalamus Virginis uterus: etenim caro ipsa verbo est coniuncta, unde dicitur: Iam non duo sed una caro. » Neque minus praeclare Bernardus Serm. II. de Magis: « Diadema eius ubi est? Sed vos eum vere videtis in diademate quo coronavit eum mater sua, in sacco mortalitatis de quo resurgens ait: quia conscidisti saccum meum et circumdedisti me laetitia. » Luculentissime vero Proclus, quo auctore Hom. in incarnationem « licet in concinnanda humana Unigeniti veste fuerit ἱστουργὸς μὲν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἔριθος δὲ ἡ ἐξ ὕψους ἐπισκιάσασα δύναμις, κερκὶς δὲ ἡ ἀμίαντος τοῦ φορέσαντος χάρις, τεχνίτης ὁ δι' ἀκοῆς

sum in die desponsationis diademate omnium pulcherrimo coronarit: *egredimini et videte filiae Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis eius.*

642. Quae quidem referri ad Virginem nequeunt, quin ipsa creaturarum omnium purissima et cuiusvis expers labis videatur. Praesertim quum neque libri ecclesiastici, neque maiorum commentarii aliam diversamque interpretationem permittant. Non illam permittunt [1]) libri ecclesiastici, in quibus occasione huius capitis, quemadmodum paullo superius monuimus, Deipara celebratur tamquam *unice a Deo dilecta; tamquam sola inter mortales eo usque pura ut qui ipsa est puritas ex ea purissimam carnem acceperit; tamquam hominum gloria et decus, immo angelorum etiam ornamentum atque corona; tamquam innocentissima et tota immaculata, immaculata corpore, immaculata spiritu, proindeque et corpore et spiritu nullius conscia culpae.* Ad maiorum vero commentarios quod pertinet, hi sunt luculentissimi, neque minus conferunt ut Virgo a quovis integra naevo, quam perfectissima nitens puritate demonstretur.

643. Texit Virginis laudes Amedeus lausannensis, atque his [2]) auspicatur verbis: « Intendamus gloriae eius, et ingressi abyssum tanti luminis, splendorem rutilum semitarum illius dilatato corde et inenarrabili percurramus laetitia, dicentes [3]) cum Salomone, *viae pulcrae, et omnes semitae eius pacificae.* Quod si dicente [4]) eodem Propheta, *iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem;* quis lucem et splendorem semitarum eius eloqui sufficiet? » Tum [5]) pergit: « Habuit enim distinctos gradus et incrementa divisa, ut pulcherrimo castitatis ordine incederet, et [6]) de virtute in virtutem proficiens videret Deum deorum in Sion, translata a gloria in gloriam, tamquam a Domini spiritu. Primo itaque omnium virtutum decore meruit ornari. Secundo Spiritui sancto foedere maritali copulata est. Tertio mater inventa est

εἰσπηδήσας λόγος, *textor Spiritus sanctus, lanifica virtus ex alto obumbrans, radius immensa gestantis gratia, artifex Verbum per auditum illapsum;* tamen κρόκη ἡ ἐκ παρθένου ἀμόλυντος σάρξ, *trama fuit impolluta caro ex Virgine.* » De qua subdit « *Maria* παστάς, ἐν ᾗ ὁ λόγος ἐνυμφεύσατο τὴν σάρκα, *thalamus est, in quo Verbum sibi carnem desponsavit.* »

1) Cf. Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 94.

2) De laudibus Virginis Hom. II. pag. 1264. col. 1. D. et col. 2. E. in Max. PP. biblioth. T. XX.

3) Prov. III. 17.

4) Prov. IV. 18.

5) Ibid. pag. 1264. col. 2. E-F.

6) Ps. LXXXIII. 8. coll. II. Cor. III. 18.

Digitized by Google

Salvatoris. Quarto animam eius pertransiit gladius, et carne sumpta de carne eius mundi perditi ruina reparatur. Quinto exsultat in Filio resurgente et ascendente super caelos caelorum ad Patris dexteram. Sexto de hoc seculo rapitur, et occurrente sibi Domino supra caeligenas omnes collocatur. Septimo demum perficietur, quum [1]) plenitudo gentium introierit et omnis Israel salvus erit. Gaudet enim ultra quam dici aut credi fas est de communi electorum salute, sciens quod propter eos Dei Filius carnem suscepit ex ea. Tunc ergo perficietur, Deo [2]) melius providente ne sine nobis consummarentur. » Hinc propria singulis gradibus appellatione tributa [3]), subdit: « Repetamus quae dicta sunt, et eisdem denuo gradibus commorantes, Dominum innixum scalae, angelos etiam ascendentes et descendentes ad Virginem contemplemur. Mirantur enim puellam castissimam, matrem Domini caelique reginam mox futuram, et in his erumpunt [4]) vocibus admirationis et laudis: *quae est ista quae ascendit dealbata?* Quid est dealbata, nisi albis vestibus ornata? Ornata scilicet ornatu decoris et honestatis, iustitiae et sanctitatis. Harum vestium ornatu prophetarum eximius fulgebat quum [5]) diceret: *gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis et corona iustitiae circumdedit, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Hinc per Psalmistam [6]) dicitur: *sacerdotes tui induantur iustitiam.* Isaias vero [7]) hortatur Hierusalem, ut excussa de pulvere induatur vestimentis gloriae suae. Et per exprobrationem primo angelo [8]) dicitur: *et tu signaculum similitudinis in paradiso deliciarum Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Sciendum vero quod hae vestes albae sunt et odoriferae, pretiosae et variae. Albae propter innocentiam et puritatem et lucis aeternae candorem. Odoriferae propter fragrantiam opinionis et bonae famae. Pretiosae ob sui dignitatem et commoditatem. Variae ad varios usus et qualitates distinctas. »

644. Tria igitur Mariae sunt propria, et illi uni ex omnibus creaturis simul iuncta conveniunt. Proprium namque Mariae est ut caeli regina habeatur: proprium Mariae est ut Filium quam proxime

1) Rom. XI. 25.
2) Hebr. XI. 40.
3) Ibid. pag. 1264. col. 2. G-H.
4) Cant. III.
5) Is. LXI. 10.
6) Ps. CXXXI. 9.
7) Is. LII. 2.
8) Ezech. XXVIII. 12.

Digitized by Google

referat et candore niteat lucis aeternae: et proprium Mariae est, ut viae eius sint pulcrae et omnes semitae eius pacificae. Quotquot sunt Adae posteri, a praevaricatione et ab iniustitia ordiuntur; una reperitur Maria cuius viae omnes pulcrae, et cuius primus gradus omnium virtutum decore continetur. Fuit ergo cur Amedeus [1]) exclamaret: « O phoenix aromatizans gratius cinamomo et balsamo, et nardo suavius regem in aspectu tuo delectans. O phoenix congregans omnes species, et igne circumfusa superessentiali, ut caelum caelorum et caeli Potestates angelicas mirifico repleas suavitatis incenso. Hoc incensum [2]) suavissimum est, hoc thymiama bene compositum procedit de thuribulo cordis Mariae, et universa suaviter olentia excedit. »

645. Neque aliter Philippus Abbas bonae spei, qui inter cetera [3]) scribit: « Neque enim quisquam nostrum dicere tantae laudes Virginis attentaret, si angelorum excellentia velut sibi non satis conscia penitus refutaret; sed eorum qui sunt administratorii spiritus forma et sollicitudine commonemur, ut pro posse qualicumque et nos Virginem laudibus veneremur. Nam et ipsi ut eis possibilitas suppetit, non ut dignitas Virginis expetit, hoc ipsum agere se ostendunt, qui nec dum satis quanta sint merita Virginis deprehendunt, et ideo ad unguem ea exprimere verbis sive laudibus non intendunt, sed mirantur, mirantes sciscitantur quae sit illa quam mirabilem sic attendunt. » Tum angelos his loquentes verbis [4]) inducit: « Quae est, inquiunt, ista! Revolvimus, aiunt, mulierum seriem praesentium vel praecedentium ab antiquo, ex quo Eva quae primum facta est consensum praebuit inimico: quarum multis diversorum dona charismatum sunt indulta, internae mentis species tam gratiae quam industriae manibus est exculta: nullam harum huic similem possumus invenire, sed haec omnes invenitur ineffabili gratia praevenire. Quae est [5]) igitur ista, cui soli datur excellentia specialis, ut mulier nulla prior, nulla ei posterior sit aequalis: ut nostro etiam videatur iam patrocinio non egere, immo ut hominibus ita et angelis non natura sed gratia praeeminere? Quae est ista quae deflexo poplite instar delicatae mulieris non incedit, sed robusto et inde-

1) De laudibus Virginis Hom. VI. p. 1274. col. 1. D.
2) Ex. XXX. 35. coll. Cant. III. 6.
3) In Cant. cant. lib. IV. cap. 1. pag. 203. col. 1. B-C.
4) Ibid. pag. 203. col. 1. C-D. et col. 2. A.
5) Cant. III. 6.

fesso gradu viriliter ambulat et procedit: arduum agit iter femineis passibus inexpertum, et apprehensa scala quam vix videre Iacob promeruit, ascendit fortiter per desertum? Desertum ut video via est et conversatio singularis, quam nescit multitudo neque terit ungula popularis: quae luto non tangitur, non respergitur pulvere platearum, quam culpa non attaminat, non operit quaevis superfluitas palearum. »

646. His lucem conciliant quae habet [1]) Rupertus tuitiensis inquiens: « Quae est [2]) ista quae talis ascendit per desertum sive de deserto? Vere mirabilis et illi multum dissimilis, quae descendit per paradisum, cecidit de paradiso. » Et lucem multo etiam splendidiorem ea conciliant, quibus Georgius nicomediensis [a]) Zachariam sacerdotem loquutum exhibet scribens: « Quis vero etiam hominum eam suscipiat? Quis par sit ut illam in sua tabernacula inducat? Quod satis capax domicilium illi recipiendae, cuius commorationem templum hoc admiratione maius non facile tegit, cuius reveretur summam puritatem, cuius magnalia miratur, cuius nova et insolita summopere stupet? Quis tantam eius pulcritudinem contueri valebit, quae ipsum Dei oculum delectat, cuius ipse puritate laetatur, cuius sibi specie placet? »

647. Quo et haec pertinent [b]) Iohannis damasceni: « Ave incensum, precationis locus pro omni mundo directus ante Dominum; quae fragrantia Spiritus repleta es, de qua admirantis voce [3]) clamatur: *quae est ista quae ascendit de deserto, tamquam virgula fumi suffita?* » Pertinent et ista [c]) Tarasii: « Tu es Davidis filia, fimbriis au-

a) Orat. in Deiparae praesent. pag. 1131. B-D. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Τίς δὲ καὶ ὑποδεξόμενος ταύτην ἀνθρώπων; τίς ἱκανὸς ἔνδον ταύτην τῶν οἰκείων εἰσάξαι σκηνωμάτων; ποῖον οἰκητήριον ταύτην ἀστενοχωρήτως εἰσδέξοιτο, ἧς ὁ ὑπερθαύμαστος οὗτος ναὸς οὐ ῥᾳδίως τὴν διατριβὴν ὑποστεγεῖ; ἧς τὸ καθαρώτατον σεβάζεται· ἧς τὰ μεγαλεῖα θαυμάζει· ἧς ὑπερεκπλήττεται τὰ παράδοξα; τίς τοσαύτης ἐνοπτρίσασθαι κάλλος ἐξισχύσειεν, ἧ τὸ τοῦ θεοῦ ἐπιτέρπεται ὄμμα· ἧς τῇ καθαρότητι ἐπαγάλλεται· ἧς τῇ ὡραιότητι ὡραΐζεται;

b) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 855. E. Χαῖρε θυμίαμα, τὸ ὑπὲρ κόσμου παντὸς ἐνώπιον κυρίου κατευθυνόμενον προσευκτήριον, ἡ ἀποπεπληρωμένη ἐξ εὐωδίας τοῦ πνεύματος, περὶ ἧς που θαυμαστικῶς βεβόηται, τίς αὕτη ἀναβαίνουσα ἀπὸ τῆς ἐρήμου, ὡς στελέχη καπνοῦ τεθυμιαμένη;

c) Orat. in praesent. Deiparae Σὺ εἶ τοῦ Δαυὶδ ἡ θυγάτηρ, ἡ κροσσωτοῖς χρυσοῖς

1) In Cant. cantic. lib. III. p. 22. col. 2. C-D.
2) Cant. III. 6.
3) Cant. III. 6.

reis circumvestita, variata: tu lectus Salomonis ex auro [1]) factus quem sexaginta viri fortissimi circumdant iuxta Scripturarum oracula, in Deo musicos hymnos tuba canentes. » Neque alio haec pertinent [a]) Germani: « Gaude quae sola benedictionem, nempe Dominum, sinu complexa es ut primam maledictionem prima mater exueret. Gaude virginitatis thesaure Deum continens, e quo incorruptus prodiit partus et virginitatis divitiae inviolatae permanserunt. Gaude pura mater et virgo lactans. Gaude diadema pulcritudinis, hominumque regina undique regalibus praerogativis magnifice decorata. » Quo item haec pertinent Gregorii nysseni de Christo deque Virgine [b]) scribentis: « Inter omnes hominum myriades ex quo illi esse caeperunt et quousque veluti fluendo natura succedentium sibi per partum progredietur, solus hic (Christus) nova quadam partus specie in hanc lucem venit: cui ad nascendum natura non cooperata est sed serviit. Propterea, inquit [2]), candidum hunc et rubicundum, qui per carnem et sanguinem in hac vita versatus est, solum ex universis hominum myriadibus de puritate virginea electum esse, cuius conceptio a coniunctione duorum profecta non est, partus minime inquinatus, puerperium doloris expers: cuius thalamus, virtus Altissimi quasi quaedam nubes virginitatem ipsam inumbrans: fax

περιβεβλημένη πεποικιλμένη· σὺ τοῦ Σολομῶντος ἡ κλίνη ἡ χρυσότευκτος· ἥνπερ δυνατοὶ ἑξήκοντα κυκλοῦσι τῶν θεοτεύκτων γραφῶν· τὰς ἐν θεῷ μουσικὰς φωνὰς σαλπίζοντες.

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1307. E. apud Combefisium Auctar T. I. Χαίροις ἡ μόνη τὴν εὐλογίαν ἐγκολπωσαμένη τὸν κύριον, ἵνα τὴν πρώτην κατάραν ἡ προμήτωρ ἐκδύσηται· χαίροις τὸ θεοδόχον τῆς παρθενίας θησαύρισμα, ἐξ οὗ τοκετὸς προελήλυθεν ἄφθορος, καὶ ὁ πλοῦτος τῆς παρθενίας μεμένηκεν ἄσυλος· χαίροις μήτηρ ἁγνεύουσα, καὶ παρθένε θηλάζουσα· χαίροις κάλλους διάδημα, καὶ τοῦ γένους βασίλισσα βασιλικοῖς ἐπωραϊζομένη πάντοθεν προτερήμασι.

b) In Cant. cant. Hom. XIII. pagg. 667. A-B. opp. T. I. Ἐκ πασῶν τῶν μυριάδων τῶν ἀφ᾽ οὗ γεγόνασιν ἄνθρωποι, καὶ εἰς ὃ προσελεύσεται ῥέουσα διὰ τοῦ τόκου τῶν ἐπιγινομένων ἡ φύσις, μόνος οὗτος ἐστὶ τῷ καινῷ τῆς λοχείας εἴδει τῆς ζωῆς ταύτης ἁψάμενος· ᾧ οὐχὶ συνήργησε πρὸς τὸ γενέσθαι ἡ φύσις, ἀλλ᾽ ὑπηρέτησε· διὰ τοῦτό, φησιν, ὅτι λευκός τε ὁ πυῤῥὸς οὗτος, ὁ διὰ σαρκὸς καὶ αἵματος ἐπιδημήσαι τῷ βίῳ, μόνος ἐστὶν ἐκ πασῶν τῶν μυριάδων ἐκ τῆς παρθενικῆς καθαρότητος ἐκλελοχισμένος οὗ ἀσυνδύαστος μὲν ἡ κυοφορία, ἀμόλυντος δὲ ἡ λοχεία, ἀνώδυνος δὲ ἡ ὠδίς· οὗ θάλαμος ἡ τοῦ ὑψίστου δύναμις, οἵη τις νεφέλη τὴν παρθενίαν ἐπισκιάζουσα· πυρσὸς δὲ γαμηλία ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔλλαμψις· κλίνη δὲ ἡ ἀπάθεια, καὶ γάμος ἡ ἀφθαρσία.

1) Cant. III. 7.

2) Cant. V. 10.

nuptialis, Spiritus sancti splendor: cubile vitiorum expers conditio: nuptiae, puritas incorrupta. »

648. Neque premi silentio debent[a]) Ephraemi verba, quibus non secus Maria celebratur ac ut « Munus quocumque pretio excellentius, omnibusque bonis aestimabilius ornamentum: lectus Salomonis quem circumassistunt sexaginta potentes, sermones nempe Scripturae divinitus inspiratae: locus luce repletus, ex quo salutis radii universo mundo illuxerunt. » Neque haec relinqui tacita debent quibus [b]) Ephraemus Mariam salutat: « Gaude ornamentum mundi muliebris: gaude filia David splendide ornata: gaude mensa mysticarum gratiarum: gaude Regisque Deique mei victoria: gaude omnino immaculata Dei divina sedes: gaude splendida Dei mater sola: gaude Salomonis lectus sanctissimus: gaude spiritalibus mentibus honorabilior: gaude meorum delictorum solutio: gaude Regina generis adamitici: gaude gladius pravorum daemonum: gaude omnium bonorum vitae, gaude omnium gratiarum caussa. » Addi et haec postremo debent quibus [1]) Ephraemus natum alloquens Servatorem scribit: « Tua te adoret genitrix, tuoque capiti [2]) diadematis ornamenta superimponat, ceu Salomoni propria quondam imposuit mater; etsi hic ceteroquin ethnicam pravitatem sequutus suae honorem dignitatis depresserit. At tu davidicam, ex qua profectus es sobolem amplissime decorasti:

a) Orat. in Deiparam opp. graec. T. III. pag. 530. A. *Τιμῆς ἁπάσης ὑπέρτερον δῶρημα, καὶ καλῶν πάντων ὑπέρτιμον ἐγκαλλώπισμα. Σολομῶντος κλίνη, ἣ περίστανται κύκλῳ οἱ ἑξήκοντα δυνατοὶ, αἱ ῥήσεις δηλαδὴ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς· φωτοδόχον χωρίον, ἐξ οὗ σωτηρίας ἀκτίναις (ἀκτῖνες) τῇ οἰκουμένῃ ἐπέλαμψαν.*

b) Orat. in Dei matrem ibid. pagg. 534. F. et 535. A-B. *Χαίροις τὸ κάλλος τοῦ γυναικίου κόσμου· χαίροις Δαυὶδ θύγατερ ὡραϊσμένη· χαίροις τράπεζα μυστικῶν χαρισμάτων· χαίροις τὸ νῖκος τοῦ βασιλέως τε καὶ Θεοῦ μου· χαίροις παναμώμητε τοῦ Θεοῦ θεῖε θρόνε· χαίροις φαεινὴ τοῦ θεοῦ μήτηρ μόνη· χαίροις Σολομῶν ἁγιωτάτη κλίνη· χαίροις ἀΰλων τιμιωτέρα νοῶν· λύσις χαῖρε τῶν ἐμῶν ἁμαρτάδων· δέσποινα χαίροις ἀδαμιαίου γένους· μάχαιρα χαίροις τῶν πονηρῶν δαιμόνων· χαίροις ἁπάντων τῶν καλῶν τῶν τοῦ βίου, χαίροις ἁπάντων τῶν ἀγαθῶν αἰτία.*

1) De diversis, serm. I. de nativit. Domini pag. 600. B-E. Opp. syr. T. III.

2) Enarrans Beda verba Cantici, *in diademate quo coronavit eum mater sua*, scribit Exposit. in Cant. lib. III. pag. 1050. C-E: « Hoc est enim aperte dicere, videte Dominum in humanitate, quam de Virgine matre susceptam in maiestatis paternae dextera collocavit. Mater quippe sua illum diademate coronavit, quando beata et intemerata Virgo de Spiritu sancto concipiens materiam illam illi sacrosanctae carnis de sua carne praebuit, in qua mundo apparens et habitans in nobis regnum mortis moriendo destrueret ac vitam nobis resurgendo repararet, quamque ad caelos ascendendo gloria perennia regni sublimaret. »

Digitized by Google

tu ipsius thronum magnifice elevasti, familiam longe lateque propagavisti et eius citharam ubique provexisti. Eadem tua parens inclyta in omnium ore diutissime vigeat: qui te gestavit uterus benedictione repleatur. Iosephum nemo digne laudare poterit, quem tu, vere et naturalis aeterni Patris Fili, patrem adoptivum habere non recusasti: tu, pastor amantissime, missus ad quaerendas quae perierant oves tamdiu laborasti, donec inventas ad ovile reduceres. Quod tantum conceperim filium, sic enim virginem Mariam secum loquutam fuisse credibile est, id me prae omnibus qui salutem adepti sunt, mirifice recreavit: quod ipsum genuerim, me supra omnes sanctitate eminentes viros decoravit. Ingrediar modo in virentia paradisi pomaria, ibique Deum laudabo ubi [1]) Eva misere concidit. Hoc fortasse non parvi momenti erit, quum in matrem me elegerit, seque mihi in filium esse dignatus fuerit, quoniam ipsi prae omnibus aliis mulieribus placui. » Accedit Eckbertus schonaugiensis, qui [2]) comparatione Virginem inter et solem lunamque explanata, pergit: « Tu terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum quando viderunt praeter morem armatura omni fortiore instructam contra se procedere feminam, feminam fortem et ad bella doctissimam, cuius ensis super femur suum propter timores nocturnos? In circuitu eius acies validas spiritualium virtutum suo se invicem ordine tuentium; siquidem ordinatione perseverat dies: sed et innumerabilium beatorum spirituum militiam ad ministerium tanti principis delegatam fuisse nullatenus ambigimus, utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum ac providerent, ne praeparatum aeterno Regi hospitium alienus hospes invaderet. Nimirum timor et tremor venerunt super eos, ita ut dicerent: ecce plus quam Eva haec. Castra Dei sunt haec, fugiamus Israelem. Tu ergo, bellatrix egregia, primo eum qui primus omnia supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. » Accedit Bernardus toletanus qui Virginem sic [3]) alloquitur: « Non est dubium te benedictam intellectu et affectu et actu, hunc super omnes mortalem decalogum habuisse et observasse; unde prorsus merito mille clypei ex te dicuntur pendere. Et non solum clypei, sed et omnis armatura fortium. Nihil est enim virtutis quod ex te non resplendeat,

1) Gen. III. 6.

2) Serm. panegyr. in Deiparam n. 5. p. 702. inter opp. Bernardi T. V.

3) Serm. IV. in antiph. *salve regina* n. 6. pag. 749. ibidem.

et quidquid singuli habuere sancti, tu sola possedisti. Lectulus es Salomonis, de quo in canticis: en lectulum Salomonis septuaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi. » Accedit Petrus Damiani [1]) inquiens: « Terribilis ut castrorum acies ordinata, terribilis daemonibus, ordinata virtutibus, singularis timor malignorum spirituum, specialis amor civium beatorum. Sequitur de eius conversatione: *quae est ista quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii? Ista est speciosa inter filias Hierusalem.* Desertum est vastitas huius mundi, ubi princeps ille nequissimus omni fortitudine principatur. In huius seculi vanitates omnes vel descendere vel cadere cognoscuntur, rarusque qui non vel descendat vel cadat in huius turbulentissimae profunditatis oceanum. Sola illa mater et filia creatoris nec descendit nec cecidit; sed de virtute in virtutem ascendens consummatione virtutum vestita est. » Quibus mox [2]) addit: « Caro enim Virginis ex Adam assumpta, maculas Adae non admisit; sed singularis continentiae puritas in candorem lucis aeternae conversa est. » Neque mirum [3]) quando: « Universus pulvis pigmentarius in Virgine coniectus est, quia in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit; et si ceteris per partes Spiritus adfuit, Mariae tamen tota plenitudo gratiae supervenit. » Accedit non uno in loco [4]) vulgatus Hildephonsus, qui adductis verbis, *quae est quae ascendit per desertum?* subdit: « Admiratio illa angelica non de virginitate sola, quae fuit singularis in Maria, sed de immensitate gratiae venit: quia universae virtutes in ea respergebant ex incendio divini amoris suavitatem odoris, ita ut in ea esset forma non solum virginum, verum etiam omnium ecclesiarum Dei. » Etenim [5]) « De propagine carnis nulla nobilior Dei matre refulsit, nulla splendidior ea processit, quam splendor paternae gloriae ineffabiliter divinitus illustravit. » Accedit tandem Matthaeus cantacuzenus, qui [6]) verbis,

a) Cant. III. 9. *Φορεῖον ἐποίησεν ἑαυτῷ ὁ βασιλεὺς Σαλωμὼν ἀπὸ ξύλων τοῦ Λιβάνου.*

1) Serm. XL. in Virginis assumpt. pag. 99. col. 1. A-D. opp. T. II.

2) Ibid. pag. 99. col. 1. E.

3) Ibid. pag. 99. col. 2. B-C. Videsis etiam Serm. XLVI. in Virginis nativit. p. 116. col. 2. D-F..

4) Serm. III. in Virginis assumpt. pag. 356. col. 2. B-D.

5) Ibid. p. 357. col. 1. A., itemque Serm. VI. pag. 367. col. 2. B-D. in collect. PP. toletan. T. I.

Digitized by Google

sellam fecit sibi ipsi rex Salomon ex lignis Libani, hunc subiungit [a]) commentarium: « Ex radice David sibi ipsi genitam Dei filiam paullo quidem ante lectum et domum nominavit, heic autem sellam. Ipsa enim novem mensium spatio Deum omnium portavit in utero, hominem pro nobis factum, ex ea carnem sumere non dedignatum. »

649. Itaque patribus christianisque scriptoribus non solum in more fuit ut tertium Cantici caput de Virgine interpretarentur; verum etiam ut ex eo ad Virginem accommodato apertis repetitisque sententiis deducerent: I. *summum esse Virginis candorem, penitus immaculatum, nullo infectum naevo, non opertum superfluitate palearum, et quam proxime ad candorem expressum lucis aeternae:* II. *illius splendorem novum esse et singularem, ipsosque Angelos in sui admirationem rapere:* III. *tantam esse eius fragrantiam ut suavitatem excedat omnium suaviter olentium, ipsumque Regem mirifice delectet:* IV. *omnes vias eius esse pulcras atque semitas ita pacificas, ut nec deflexo poplite umquam incesserit, neque primum gressum promoverit ex iniustitia ad iustitiam et ex maledictione ad benedictionem, sed ex virtute in virtutem atque ex benedictione et gloria in benedictionem et gloriam:* V. *omnibus ipsam gratia et sanctitate praeeminere, praeeminere hominibus atque adeo esse adamitici generis ornamentum, et praeeminere angelis atque adeo solam inter Adae posteros illorum tutela non indigere:* VI. *a Deo sibimetipsi fuisse conditam, atque primum Dei filiam, alienamque ab Adami maculis exstitisse:* VII. *nihil in ea esse nisi novi et stupendi, et verissimum Phoenicem merito existimari:* denique VIII. *ad illius pertinere dotes ut sit credaturque lectus Regis sanctissimus, purior templo, ex auro factus, prae omnibus selectus et beneficiis divinae reparationis decoratus, Dei atque Regis victoria, malorumque daemonum terror et gladius.* Quae quidem aut his profecto non dissimilia auctori obversabantur tractatus Anselmo tributi de conceptione Virginis, qui propterea [1]) scripsit: « Te igitur, Domina, quam in

a) In comm. ad h. l. pag. 25. Τὴν ἐκ τῆς ῥίζης Δαβὶδ τεχθεῖσαν αὐτῷ Θεόπαιδα, κλίνην μὲν ἀνωτέρω καὶ οἶκον ὠνόμασεν, ἐνταῦθα δὲ φορεῖον· αὕτη γὰρ ἐν ἐννεαμηνιαίῳ χρόνῳ τὸν πάντων ἔφερε Θεὸν, ἀνθρωπικῶς ὑπὲρ ἡμῶν ἐκ ταύτης σάρκα λαβεῖν καταδεξάμενον.

1) Tract. de concept. Virginis pag. 501. col. 2. D-E.

tantum culmen praedestinavit et extulit divina potentia, quam tot praerogativis dotavit cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi matrem elegit ad mundo subveniendum ipsa omnium salvandorum ineffabilis misericordia, crediderim ne, quaeso, te morte peccati quae per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in tuo conceptu potuisse gravari? Me namque iterum atque iterum ipsas quas superius comemmoravi rationes considerante, animus hoc credere vetat, intentio abhorret, lingua fateri non audet. »

ARTICULUS IV.

De iis quae quarto Cantici capite continentur: ecclesiastica eorumdem ad Deiparam accommodatio: maiorum commentarii: atque ex illis ducta immaculati conceptus praerogativa.

650. Quod hoc in capite primum occurrit, commendatio est plena admirationis qua Sponsae pulcritudo [1]) celebratur: *quam pulcra es amica mea, quam pulcra es!* Hanc universalem pulcritudinis commendationem altera excipit in partes ita tributa, ut [2]) singillatim laudentur Sponsae oculi, capilli, dentes, labia, genae, collum et ubera: *oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum quae ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea, labia tua: et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis.* Sequitur praecedentium epilogus, et Sponsae omnibus expleta numeris pulcritudo negando aeque ac affirmando [3]) vindicatur: *tota pulcra es amica mea,*

1) Cant. IV. 1.

2) Cant. IV. 1-6. Pro inciso, *absque eo quod intrinsecus latet*, hebraice est מִבַּעַד לְצַמָּתֵךְ, et in quinta editione, uti opinor, ex glossemate, *ἀπὸ πλήθους τοῦ κάλλους σου.*

3) Cant. IV. 7. Hebraice, כֻּלָּךְ יָפָה. Porro כֹּל tam ad *totum* quod est quantitatis continuae, quam ad *omne* quod est discretae, se porrigit: et quoniam affixa *obliquis* potius respondent quam *rectis*, idcirco verba textus apte redduntur *omne tui*

et macula non est in te. Invitatur [1]) deinde suavissimo Sponsae nomine, atque coronanda perhibetur: *veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Tum Sponsus [2]) sistitur Sponsae pulcritudine vulneratus: *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui.* Hinc iteratis sponsae sororisque appellationibus, illius singularis venustas et fragrantia absolute non minus quam comparate [3]) extollitur: *quam pulcrae sunt mammae tuae soror mea sponsa! pulcriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, Sponsa, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Novis deinde imaginibus exquisitisque metaphoris puritas Sponsae eiusque suavitas [4]) describuntur: *hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo: nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloë cum omnibus primis unguentis.* Ipsa tandem Sponsa ita secum ipsa loqui [5]) perhibetur: *surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius.*

651. Iamvero haec sunt eiusmodi quae simul iuncta omnem excludunt labem, nullamque maculam patiuntur. Omnem excludunt labem ingeminatae affirmationes de pulcritudine omnimoda, de venustate perfecta, deque fragrantia quae nihil nisi suave spiret. Nullam vero patiuntur maculam sive diserta verba, *et macula non est*

vel *omne tuum*. Pro insequente nomine *macula*, hebraice habetur מוּם, graece μῶμος. Est autem מוּם per syncopen factum ex מְאוּם quod significat *aliquid* in malam partem: nam Targum constanter substituit aut eamdem vocem cum desitione chaldaica, aut מִדַּעַם *quidquam*, supple mali vel vitii. Graeci ἄμωμον quidquid sincerum est, ac deinde peculiare unguentum vocarunt odoris gratissimi quod ei non esset aliquid admixtum, et postea lignum ex quo liquor hic manat. Paulus Ephes. V. 27. hunc locum Ecclesiae accommodans non tam graece reddidit quam explanavit, dum illam dixit μὴ ἔχουσαν σπῖλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος.

1) Cant. IV. 8. Licet in usitatis editionibus habeatur אִתִּי *mecum*, nihilominus veteres legisse אֵתִי *veni*, ostendunt interpretes alexandrini, vulgatus, syrus et arabs.

2) Cant. IV. 9. Verbis *vulnerasti cor meum* respondet in textu לִבַּבְתִּינִי, quod sicuti Theodoritus reddidit ἐτρώθην *vulneratus sum* et ὑπερεκπλήττεις με *stupefecisti me*, ita tres patres vertunt ἐς πόθον σου ἦγαγες *in tui desiderium attraxisti*.

3) Cant. IV. 10-11.

4) Cant. IV. 12-15. Hebraeum גַּן, quod vulgatus reddit *hortum*, ex vi originis valet *septum*, ut adiunctum participium נָעוּל frustra videatur, ac si quis diceret *claustrum clausum*. Verumtamen quia hortus circumseptus est dupliciter, vel modica sepe aut maceria, vel altiori; ne de illa heic sumeretur, additum est נָעוּל, quod non tam conclusum quam obseratum aut oppessulatum significat.

5) Cant. IV. 16.

Digitized by Google

in te, sive quae de singulari custodia, eximiaque tutela, memorantur. Quare venerabilis Beda quum [1]) incisum, *tota pulcra es, amica mea, et macula non est in te*, ad Ecclesiam [2]) retulit, principio scripsit: « Non in eximioribus tantum membris electorum quae speciatim enumeravi, pulcra es; verum etiam in illis qui pusilli videntur et fragiles et decore refulges virtutum, et vitiorum macula cares. Benedixit enim omnes timentes [3]) Dominum, pusillos cum maioribus. Unde in Apocalypsi sua de superna eiusdem Ecclesiae patria dicit [4]) Iohannes: nec intrabit in eam aliquid coinquinatum et faciens abominationem et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni. » Tum continuo [5]) adiecit: « Haec autem dicta sunt, non quod in hac vita sanctorum quispiam vel a culpis omnibus immunis, vel perfectus possit esse virtutibus; quum veraciter [6]) scriptum sit, quia non est homo in terra iustus qui faciat bonum et non peccet: sed quod Ecclesia sancta, in quantum Ecclesia Christi, et fide recta et munda sit opere. Si quid vero eam immunditiae vel pravitatis attigerit, non hoc ad eam pertineat, sed ab ea sit celerius velut extraneum omni conatu expurgandum. Cui simile est illud [7]) beati Iohannis, omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet et non potest peccare quando ex Deo natus est. In quantum enim semen gratiae Dei qua renati sunt, in tantum peccare non possunt. In quantum autem peccant, in tantum eos gratia renascens ad tempus dimiserat, ut quid de seipsis sint agnoscant, qui per ipsam iuste vivebant. Quae videlicet eos post hanc vitam ab omni malo mundos et integra pulcritudine renitentes, in illam introducet civitatem in qua nihil, ut dictum est, potest introire pollutum: et tunc in amica Sponsi veraciter implebitur hoc ad quod ipsa nunc toto virtutis nisu conatur, ut sit tota pulcra et macula in ea non sit ulla. »

652. Illorum igitur quae quarto Cantici capite continentur, ea vis est atque insita potestas ut non modo puritatem referant nullius consciam labis, verum etiam pulcritudinem omnibus expletam cumulatamque numeris demonstrant. Quare si quo fide digno testimonio compertum sit, illa ad Deiparam rite accommodari ac merito

1) Cant. IV. 7.
2) Exposit. in Cant. lib. IV. col. 1060. B-C.
3) Ps. CXIII. 13.
4) Apoc. XXI. 27.
5) Ibid. col. 1060. C-E.
6) Eccl. VII. 21.
7) 1. Ioh. III. 9.

Digitized by Google

de Deipara sumi, spectari ipsa haud aliter poterit ac ut *pulcra, supra admirationem pulcra, undique pulcra, tota pulcra, omni ex parte validissime communita, nulli pervia culpae nulloque naevo maculata*. Suppetit autem quod quaerimus dignum fide testimonium, praesto namque est auctoritas Ecclesiae quae [1]) in publicis solemnibusque officiis quartum Cantici caput de Deipara usurpat, illoque utitur ut suam mentem suamque fidem de innocentia deque pulcritudine Virginis splendidissime aperiat. Ecquam igitur esse Virginem existimabimus? *pulcram* nimirum, *pulcherrimam, totam pulcram, eximio studio protectam, singulari cura obsignatam, et omnino eiusmodi quae sola Sponsi animum sua venustate rapuerit*. Ne quem vero commoverent aut pervagatissimum adagium, *in omni facie est naevus:* aut oracula divina [2]) *omnes declinaverunt, omnes peccaverunt;* non satis Sponso fuit dicere, *tota pulcra es,* sed e vestigio subiecit, *et macula non est in te:* qua propositione negante affirmantem illi connexam ab exceptione vindicavit, et ambarum ope Mariae vultum, ut animae imaginem, a communi aliorum omnium lege atque miseria apertissime exemit.

653. De qua exceptione et infuscata numquam Virginis pulcritudine multo constabit evidentius, si consignata maiorum commentariis librisque ecclesiasticis recolantur. Ut enim ab his ordiamur, in Menaeis [a]) legimus: « Tota, o Virgo, tota es pulcra, tota lucis speciem exhibes, lucifera et deifera, sola quoque tota es splendida; propterea oculos cordis mei illumina, ut qui tuam, o Domina, gloriam instar aurae exhalo, et desiderio tuae gloriae sum vulneratus. » Legimus [b]) deinde: « Te totam, o Dei mater, columbam perfectam omnique ex parte pulcram, et splendidum lilium, floremque convallium quum invenisset spiritalis Sponsus, in te inhabi-

a) Men. die XVI. Iulii Ode η'. pag. 69. col. 1. C-D. Ὅλη, κόρη, ὅλη εἶ καλὴ, ὅλη φωτοειδής τε φωσφόρος καὶ θεοφόρος, ὅλη μόνη καὶ λαμπρά· διό μου τὰ ὄμματα τῆς καρδίας φώτισον πνέοντος, δέσποινα, τὴν δόξαν σου, καὶ τετρωμένου τῷ πρὸς ἐκείνην πόθῳ.

b) Men. die IX. Iunii Ode ς'. pag. 34. col. 1. E. Ὅλην σε περιστερὰν τελείαν καὶ πάγκαλον, καὶ τηλαυγὲς εὑρὼν κρίνον, καὶ κοιλάδων ἄνθος, ὦ θεομῆτορ, ὁ νυμφίος ὁ νοητὸς ἐν σοὶ κατεσκήνωσεν.

1) Integrum caput legitur die XVIII. Augusti infra octavam Assumptionis in primo nocturno, et nonnulla ex eo decerpta leguntur in officio septem dolorum ad Laudes.

2) Ps. XIII. 3. coll. LII. 4. et Rom. III. 23.

Digitized by Google

tavit. » Tum a) legimus: « Dominus qui impollutum incoluit sinum tuum, te totam puram et refulgentem demonstravit. » Quibus haec b) ex Anthologio respondent: « Misericordia motus creator ex tuo puro sanguine efficitur parvulus, te totam innocentem servat post partum puram, et infectam imaginem repurgat: idcirco ad tui formam fingitur factus natura mortalis qui natura est Deus. » Atque haec item quae c) subdimus: « Te murum atque robur, o Domina, te praesidium non fallax, te turrim immotam fideliter numquam non possidens, spero per te compotem fore salutis. Ecce Virgo clamat ad omnium Dominum et filium: pulcher es Sponse mi, ecce pulcher es atque venustus: in odorem unguenti tui post te sollicite curram. Te venustus Sponsus, o Virgo domina, deligens e mortalium genere ad dexteram suam splendide collocavit, veni, tibi dicens, Sponsa mea a Libano, veni Sponsa mea et mater. » Neque dissimilia sunt quae apud Syros, Coptosque frequentantur; apud illos quidem d) his verbis: « Salve Dei templum et thronus crystallinus, salve Moysis velum, salve Salomonis hortus, salve civitas filii Iesse. » Penes Coptos vero qui e) canunt. » Virgo Maria, sapiens Deipara, hortus incensi, fons sanctus aquae vitae. » Merito igitur et prorsus ex Ecclesiae

a) Men. die III. Augusti Ode η'. pag. 23. col. 1. B. Ὁ κατοικήσας κύριος τὴν ἀμόλυντον μήτραν σου, ὅλην καθαρὰν καὶ φωταυγῆ σε ἔδειξε.

b) Antholog. pag. 70. col. 2. B. Ode η'. Δημιουργεῖται νήπιος ἑκοντὶ διὰ ἔλεος ὁ δημιουργὸς ἐκ τῶν ἁγνῶν αἱμάτων σου, τηρῶν μετὰ τόκον σε κεκαθαρμένην ὅλην ἁγνὴν, καὶ τὴν ῥυπωθεῖσαν ἐκκαθαίρων εἰκόνα· διόπερ ἐν εἰκόσι συμμορφοῦταί σοι φύσει βροτὸς γεγενημένος, Θεὸς ὑπάρχων φύσει.

c) Paraclit. pag. 258. col. 2. C-D. Σὲ τεῖχος καὶ ἀσφάλειαν, δέσποινα, σὲ προστασίαν ἀψευδῆ, σὲ πύργον ἀκαταμάχητον πιστῶς ἀεὶ κεκτημένος, ἐλπίζω διά σου σωτηρίας τυχεῖν.

Men. die XXVI. Octobris Ode γ'. pag. 155. col. 1. D. Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἀνακράζει τῷ πάντων δεσπότῃ καὶ υἱῷ· καλὸς εἶ ὁ νυμφίος μου, ἰδοὺ καλὸς ὡραῖος τε· εἰς τὴν ὀσμὴν τοῦ μύρου σου σπουδῇ δραμοῦμαι ὀπίσω σου.

Ibid. Ode ζ'. pag. 161. col. 2. C. Ἐκλεξάμενος νυμφίος ὁ ὡραῖος σε, παρθένε δέσποινα, τῶν γηγενῶν ἐκ φυλῆς λαμπρῶς παρεστήσατο ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, δεῦρο νύμφη μου ἀπὸ Λιβάνου, λέγων σοι, δεῦρο νύμφη μου καὶ μῆτερ.

d) Offic. Maronit. ad primam sabbathi pag. 486.

ܫܠܡ ܠܟܝ ܗܝܟܠܗ ܕܐܠܗܐ ܘܟܘܪܣܝܐ ܕܩܪܘܣܛܠܠܘܣ. ܫܠܡ ܠܟܝ ܦܪܣܬܗ
ܕܡܘܫܐ ܫܠܡ ܠܟܝ ܓܢܬܗ ܕܫܠܝܡܘܢ. ܫܠܡ ܠܟܝ ܡܕܝܢܬܗ ܕܒܪܐܝܫܝ.

e) Theotoc. tetrast. III. pag. 124.

ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ Ⲙⲁⲣⲓⲁⲙ ϯⲙⲁⲥⲛⲟⲩϯ ⲛ̀ⲥⲁⲃⲉ ⲡⲓⲕⲏⲡⲟⲥ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲓⲥⲑⲟⲓⲛⲟⲩϥⲓ, ϯⲙⲟⲩⲙⲓ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲓⲙⲱⲟⲩ ⲛ̀ⲱⲛϧ ⳿

Digitized by Google

sententia [1]) antiquus auctor operis de corona Virginis scripsit: « Tu, Domina, semper fuisti clara et serena, sincera, mundissima et amoena. Tu enim semper tota pulcra, tota formosa, tota immaculata et tota speciosa. Macula nulla fuscaris, nulla sorde macularis, omni gratia illustraris. » Et merito in antiphonis officii de Conceptione suffragio Sixsti IV. comprobata canebatur, *tota pulcra es, et macula originalis non est in te.*

654. Huic enim stabiliendae doctrinae mirum dictu est quam perspicue maiorum commentarii editaeque ab iis interpretationes conducant. Conducit commentarius Petri cellensis [2]) qui ait: « Virgo Maria omnibus concupiscibilis, quia tota pulcra, omnibus venerabilis quia plena gratia: singulos quidem odore unguentorum suorum ad amorem suum trahit Virgo singularis. Sola sufficit omnibus, ut species quaedam salutaris quae sine aliarum admixtione specierum efficacissima est ad conficiendum humanae salutis unguentum: huic speciei si admiscetur alia, aliquid ei videbitur subtrahere odoris, nihil vero conferre vigoris: sola placuit Deo Patri, ut Filii sui mater fieri mereretur: sola sine exemplo placuit Christo, ut ex ea nasceretur: et Spiritui sancto ut eius templum fieret et eo repleretur: sola non immerito nostrae saluti sufficiens, ex qua pro nobis Salvator nasci dignatus est. » Conducit commentarius Ruperti tuitiensis, qui relatis [3]) Cantici verbis, mox [4]) pergit: « O pulcritudo admirabilis, quam sic admiratur et collaudat pulcherrimus auctor ipse pulcritudinis septem praeconiis. Consideravit oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum et ubera, et pro singulis dilectus singula decautavit dignae collaudationis capitula. Quid in te, o dilectissima dilectarum, Virgo virginum, laudatur a dilecto laudabili, quem laudat omni chorus angelorum? Laudatur simplicitas, munditia, innocentia, doctrina, verecundia, humilitas, mentis et carnis integritas, sive incorrupta virginitas. » Quae dum singulatim persequitur, inter cetera [5]) subdit: « Quam pulcher ordo? Primum oculi, et post oculos capilli, post capillos dentes laudantur innocui. Respicite, amici, ad sinistram, considerate Evam, mulie-

1) De corona Virginis cap. XIII. Petrus de Alva in biblioth. virginali censet huius operis parentem fuisse b. Hildephonsum praesulem toletanum. Sed hanc opinionem defendi non posse ostenditur in collect. pp. toletanorum T. I. pagg. 392-393.

2) De assumptione Virginis Serm. I. p. 201. D. et 202. A.

3) Cant. IV. 1-6.

4) In Cant. lib. III. pag. 26. col. 1. C-D.

5) Ibid. pag. 27. col. 1. E. et col. 2. A-B

rem odiosam huic dilectae oppositam et oculis et capillis et dentibus et labiis et genis et collo et uberibus infaustis. » Et [1]) infra: « O qualis haec turris, qualia propugnacula! Ex ea mille clypei pendent, omnis armatura fortium. Ita collum tuum, immo et ultra quam turris illa, collum tuum, idest, humilitas tua quae sedet vel patet in collo tuo non extento, aedificata est cum propugnaculis. Nihil enim deest illic omnium quae continentur in Scripturis veritatis, et neque invisibilis diabolus, neque visibilis homo haereticus e contra potuit umquam vel poterit. » Et [2]) rursum: « Haec auscultantes toties de mammis et uberibus tuis et de ceteris instrumentis tuae pulcritudinis, de oculis, de capillis, de dentibus et labiis, tot voces Dilecti gratulantis non fastidiunt, quoniam amici sunt, imo gaudio gaudent propter vocem Sponsi laetantis iuxta [3]) illud: laetabitur Dominus in operibus suis. Voces istae, voces laetitiae nostrae sunt, laetitiae Patris et Filii et Spiritus sancti in istis operibus nostris, in mammis sive uberibus tuis. Haec enim egregia sunt opera Trinitatis, haec gratiora valdeque pulcriora primis operibus illius [4]) dicentis: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, plasmantis de terra Adam, et fabricantis de costa eius Evam. » Ubi autem insequentia [5]) expendit cantici verba, sic [6]) habet: « Ecce novus paradisus, novae plantationes, quas plantavit unus idemque antiqui paradisi plantator Dominus Deus. Plantaverat autem Dominus Deus, ait [7]) Scriptura, paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat, lignum etiam vitae in medio paradisi, lignumque scientiae boni et mali. Ille est paradisus antiquus, paradisus terrenus: iste est paradisus novus paradisus caelestis. Utriusque plantator est unus idemque Dominus Deus. In illo posuit hominem quem formaverat, in isto formavit hominem qui apud ipsum in principio erat. De ista humo produxit omne lignum pulcrum visu et ad vescendum suave: lignum etiam vitae in medio paradisi: istam humum, istam terram suam benedixit, et ex ea cunctarum germina gratiarum, et cunctarum exemplaria virtutum produxit: ipsum quoque lignum vitae Christum, Deum et hominem, Dominum paradisi caelestis. » Quanta vero fuerit huius novi caelestisque para-

1) Ibid. pag. 29. col. 1. B-D.
2) Ibid. pag. 31. col. 1. C-D.
3) Ps. CIII. 31.
4) Gen. I. 26. coll. II. 21.
5) Cant. IV. 12-16.
6) Ibid. pag. 33. col. 1. A-C.
7) Gen. II. 8. seqq.

Digitized by Google

disi sincerissima puritas, declarat [1]) inquiens: « Uterus tuus nulli viro, nulli carnali commercio accessibilis; et mens tua nulli vitio, nulli spirituali nequitiae fuit umquam penetrabilis. » Neque penetrabilis esse poterat, eodem namque [2]) auctore: « Sicut in initio fons ascendebat e terra irrigans universam superficiem terrae, sicut inquam fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum; sic ex te, o amica, o terra benedicta, fons ille ascendit qui apud Deum erat, et vera lux erat, sicut [3]) scriptum est: quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen. » Quare enarrans [4]) verba, *surge aquilo et veni auster*, *perfla hortum meum, et fluent aromata illius,* interrogando [5]) scribit: « Quis ille est aquilo? Ille nimirum qui [6]) dixit, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: ille de quo dictum est [7]) per prophetam, ab aquilone pandetur malum super omnem terram. Ipse est serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas. Unde ille talis aquilo surget? Quomodo surget? Surget de occultis insidiis ubi iacebat olim et serpebat lubricus anguis, quando primam mulierem decepit, quemadmodum illa [8]) dixit: serpens decepit me et comedi. Non ibi surrexit ut impugnaret, sed serpendo sibilavit ut deciperet. Vires quippe non habebat prius quam consensum voluntarium praeberet ei mulier, quam Deus innocentem fecerat. Inter te et illum, soror mea Sponsa, Deus inimicitias posuit, et idcirco de te omnino desperavit, imo de fraude sua, de dolo suo sive artibus suis adversum te nihil habet spei ut decipere possit. »

655. Ab his autem sane praeclarissimis nullatenus dissident quae Philippus bonae spei abbas in suis commentariis frequenter inculcat. Et ea inprimis non dissident quibus [9]) ait: « Innuitur quod et multa est Virginis pulcritudo, et eidem pulcritudini nulla inest subdola turpitudo: *absque eo,* ait, *quod intrinsecus latet*. Sunt nonnulli quibus praesto est pulcritudo exterior, pulcra superficies et ovina, intrinsecus autem lupi rapacitas et fraudulentia serpentina. Sunt alii qui etsi non dealbantur foris hypocrisi fraudulenta, etsi eos intrinsecus non inficit assiduitas virulenta; tamen dum tenentur

1) Ibid. pag. 33. col. 2. C-D.
2) Ibid. pag. 35. col. 1. A-B.
3) Ps. XXXV. 10.
4) Cant. IV. 16.
5) Ibid. pagg. 35. col. 2. E. et 36. col. 1. A-B.
6) Ezech. XXXVIII. 15.
7) Is. XIV. 31.
8) Gen. III. 13.
9) In Cant. cap. VII. pag. 210. A-C.

Digitized by Google

in corpore quadam lege [1]) peccati sic poenaliter aggravantur, ut nonnumquam, velint nolint, in culpam vel modicam dilabantur. Et quia non quidquid mali nostra cogitatio concipit, statim potest aliis apparere, quum nos quoque plerumque lateat quod in nobis dignum est sui merito displicere; quum absque eo quod intrinsecus latet Sponsus Virginem dicit esse, immunem eam non solum ab evidentibus sed a culpis quoque latentibus probat esse. Virginem igitur, quae nequaquam erat sibi conscia delictorum et tamen non nescia suorum fuerat occultorum, recte Sponsus pulcram semel et iterum asseverat, apud quam sicut extrinsecus, ita et intrinsecus dedecens nihil erat. » Neque ea dissident quibus [2]) subdit: « Eius collum turri simile perhibetur, quae suo fixa pondere, impulsu ventorum sive illisione fluminum non movetur; quae tantae est fortitudinis ut locum suum non dimittat nequam spirituum potestati, et munimen inexpugnabile toti conferat civitati. » Et mox, iis commemoratis quae propria sunt turrium, sermonem ad Deiparam revocans [3]) infert: « Sic et Virgo instar turris davidicae a longe hostem prospicit, immo despicit et non curat, ad cuius intuitum horret ille et refugit, et in proposito confidentiae non perdurat; et quidquid minarum vel fraudum praesumpserit machinari, eliditur, et in se reliditur malitia praesumentis : tantum horrorem incutit, tam potenter repercutit hostem facies intuentis. » Neque accidere secus potest [4]): « Mons namque est huius nostrae Virginis celsitudo, quam reddit commendabilem fixa et immobilis firmitudo: cui etsi flabra ventorum facto veluti agmine hinc inde minas incutiunt, non tamen a gratia, non a statu mansorio montem deiiciunt. Huic quippe Virgini sagittas et iacula frequenter hostes iniiciunt, et malitia procedente arietum impetus et balistas graves adiiciunt: quae omnia Virginis montana celsitudo et immota firmitudo procul reiiciunt, et cassatis nisibus hostes durius repercussos ad ima deiiciunt. Nam sive praesens sive absens aestimetur manus potentis adiurata, tamen tantus amor ad Virginem, tanta est de Virgine Sponso cura; ut illa instar montis, huius patrocinio sit secura, et cassetur quidquid intulerit ventorum rabies saevitura. » Et [5]) sane: « Veritatem venturam nullus praecedentium sic expressit, quomodo Virgo sancta, cui di-

1) Rom. VII. 15.
2) Ibid. cap. XII. pag. 214. B-C.
3) Ibid. pag. 214. E.
4) Ibid. cap. XV. pag. 217. B-C.
5) Ibid. cap. XXIII. pag. 224. C-E.

Digitized by Google

vina bonitas hoc concessit ut supra quam ab homine vel ab angelo dici posset, incarnati Verbi mysterium expressius et sensibilius ipsa nosset. Cuius notio et suavis recordatio notionis tam mira est confectio et antiquae abolitio laesionis, ut eis delibuta Virgo tamquam aromatibus vel unguentis vulnus culpae nesciat, quam intulit Evae malitia vel serpentis. » Quoniam [1]) enim « In horto primo primam serpens mulierem supplantavit, hortum sibi alium Deus Dei Filius tunc plantavit, quum beatam Virginem supra morem ceteris mulieribus attributum, sua replevit gratia, multo non herbarum genere sed virtutum. In illo quippe horto mulieris est simplicitas circumventa, vir gustavit prohibitum, gustato nuditas est inventa, victuros in aeternum transgressionis merito mors praevenit, tam illis quam posteris mortalitatis maledictio supervenit. Iste autem hortus arbusta non continens, herbas, flores; alia quaedam habet digna talibus vel conferri, vel, ut dicam verius, transitoriis omnibus superferri. In eo igitur non sicut in antiquo subdole serpens serpit, fructus eius non toxicat, odorem non attaminat, flosculos non decerpit: non esurit prava mollities, ad effectum esuries non procedit, non serpenti mulier, vir mulieri non obedit. » Et [2]) denuo: « Fuit pridem paradisus serpentinae suasoria pravitatis, fraudis novae conceptoria, peremptoria sanctitatis: in qua vir feminae molli consilio cessit fortis, gustus pomi prohibitus expertis intulit fructum mortis. Ista vero paradisus recompensat potentius, quae in illa curiosius sunt amissa. »

656. Cuius paradisi singularem eximiamque puritatem extollit [3]) Amedeus lausannensis episcopus scribens: « Mirantur illi (angeli) animam meriti singularis exutam aeterna labe, nullam carnis aut seculi maculam habere. Mirantur exutam artubus gratia totius puritatis candere. Quid enim primum laudent in ea, integritatem an humilitatem, prudentiam, robur mentis an longanimitatem, honorem matris an partus novitatem? Sed virtus integra et plena gratia magis in illa laudatur. Unde Dominus ita praedicat [4]) laudes eius: tota pulcra es mater mea, et macula non est in te. Tota, ait, pulcra es, pulcra in cogitatu, pulcra in verbo, pulcra in actu, pulcra ab ortu usque in finem. » Hinc Anselmus [5]) Deiparam invo-

1) Ibid. cap. XXV. pag. 226. E.
2) Ibid. cap. XXVI. pag. 228. E.
3) Hom. VII. de Virginis laudibus pag. 1276. A-C. in biblioth. max. pp. T. XX.
4) Cant. IV. 7.
5) Orat. LVIII. pag. 285. col. 1. A.

cans ait: « O Virgo sanctissima, corpore castissima, moribus omnium pulcherrima: Virgo virginum nec corde umquam polluta nec ore, sed tota pulcra, tota sine macula: intemerata Virgo corpore, intemerata Virgo mente, nihil debens legibus, nullis tacta excessibus; ut humilitatis in te ostenderes exemplum, imples purificationis officium pollutis matribus statutum. » Hinc auctor operis [1]) de corona beatae Virginis sic illam compellat: « Pulcra, quia nec maculam aut rugam habuisti, neque carnis neque spiritus aliquod inquinamentum, sed tota tamquam obrizum purissima, tota splendida, tota candida, tota rutilans, tota mundissima: a cuius corde et opere longe fuit omnis peccati macula, cui fortiter adhaesit totius sanctitatis gratia et charisma. » Atque hinc vulgatus Hildephonsus [2]) de ipsa scribit: « Imitamini signaculum fidei vestrae, beatam Mariam, quam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit et ignivit, ita ut in ea nonnisi Spiritus sancti flamma videatur, nec sentiatur nisi tantum ignis amoris Dei. Haec namque est hortus conclusus ille deliciarum, fons signatus, puteus aquarum viventium, reparatio vitae, ianua caeli, decus mulierum, fastigium omnium virginum. » Et [3]) rursum: « Est igitur sancta et venerabilis virgo Maria sponsa Domini, mater Christi, conditoris templum, Spiritus sancti sacrarium, velut columba speciosa, pulcra ut luna, electa ut sol, signaculum fidei, reparatio Evae, introitus vitae, ianua caeli, hortus conclusus, fons signatus. » Ac [4]) denuo propositis verbis, *veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni,* pergit: « Et pulcre de Libano venire iubetur, hoc est, de candidatione; Libanus enim candidatio interpretatur. Et haec Virgo sancta candida erat virtutibus, et dealbata Spiritus sancti muneribus, columbae lacteae servans simplicitatem et virginitatis immaculatum candorem; atque ideo sola digna fuit per quam et ex qua Dei filius ad reconciliationem humani generis veniens, carnem assumeret. Unde et ei soli angelica illa salutatio conveniens fuit: *ave Maria gratia plena*. Ceteris enim electis ex parte gratia datur, huic vero Virgini tota se infudit gratiae plenitudo. »

1) De corona Virginis cap. X. pag. 409. col. 2. A-B. in collect. pp. toletan. T. I.

2) Serm. I. de Virginis assumpt. pag. 337. col. 2. B-C. ibidem.

3) Serm. IV. de Virginis assumpt. pag. 358. col. 1. C-D. ibidem.

4) Serm. VI. de Virginis assumpt. pag. 368. col. 1. A-C. ibidem. Videsis etiam quae indubitatus Hildephonsus docet de perpet. virginit. s. Mariae cap. II. pag. 114. col. 2. C-D. ibidem.

657. Accedit sapiens Idiota, qui non modo Virgini adscribit [1]) quod fuerit *benedicta ante ortum, in ortu et post ortum, ante seculum, in seculo et post seculum;* verum etiam [2]) addit: « Tota pulcra es, o plusquam gloriosa virgo Maria: tota pulcra es, et macula non est in te: tota pulcra es in anima per virtutum et charismatum omnium perfectam pulcritudinem: tota pulcra es in tua conceptione, ad hoc solum effecta ut templum esses Dei altissimi: tota pulcra es ex generatione Verbi divini, qui est splendor paternae gloriae, cuius pulcritudinem sol et luna mirantur. Tuae gloriosae animae nihil umquam adfuit turpitudinis, vitii aut peccati: et nihil defuit spiritualis pulcritudinis, gratiae et virtutis. Tot enim habuisti pulcritudines quot virtutes, et singulas in altiori gradu quam concessum fuerit post Filium tuum superbenedictum purae creaturae: in his namque similem non habuisti, nec es habitura sequentem. In te omnes virtutes tam activae quam contemplativae convenerunt, et prae cunctis creaturis te admirabilem reddiderunt. Per virtutes activas habuisti voluntatem muudissimam, per contemplativas mentem purgatissimam. Non defuit tibi puritas angelorum, non fides patriarcharum, non scientia prophetarum, non zelus apostolorum, non patientia martyrum, non sobrietas confessorum, non innocentia aut humilitas virginum: in summa nullo genere vacasti virtutum, o Virgo plusquam beata. Quodcumque donum alicui sanctorum umquam datum fuit, tibi, non fuit negatum: sed omnium sanctorum privilegia omnia habes in te congesta. Nemo aequalis est tibi, nemo maior te nisi Deus, quia Spiritus sanctus superveniens in te, et Virtus Altissimi obumbrans tibi quae eras omni virtutum ornamento praedecorata, pulcritudinem, puritatem, sapientiam et omnium virtutum gratiam adauxit et splendorem. Miranda illa obumbratio Spiritus sancti, quae te uno momento templum Dei irradiavit, et decorem tuum manifestavit et auxit: sicut sol in semper ornatum thalamum incidens, gloriam eius occultatam repente nobis ostendit et illustriorem facit. Tota igitur pulcra es, Virgo gloriosissima, non in parte sed in toto: et macula peccati sive mortalis sive venialis sive originalis non est in te, nec umquam fuit nec erit: sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum

1) Contemplatt. de virgine Maria c. I. col. 879. A. in biblioth. pp. de la Bigne T. III.

2) Ibid. cap. II. col. 879. D-E. et col. 880. A-D.

Digitized by Google

et caelestium donorum. » Et mox de Unigenito [1]) loquens ait: « Dulcedinem suae divinitatis tibi singulariter degustandam indulsit, quia tota pulcra eras, et macula non erat in te. » Quam idcirco [2]) vocat *praebenedictam, combenedictam et postbenedictam*. Porro ut missa faciam quae eodem pertinentia litteris consignarunt [3]) Hermannus monachus, Bernardus toletanus [4]), Bruno astensis [5]) et [6]) Petrus Damiani; en quae [7]) in Alcuini homiliario legimus: « Hortus conclusus tu es sancta Dei genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris numquam introivit. »

658. Consentiunt qui graecam ecclesiam suis operibus illustrarunt, atque ii inprimis patres consentiunt e quibus Psellus cantici interpretationem decerpsit, quique [a]) ad verba, *tota pulcra es, propinqua mea, et macula non est in te*, sic [b]) habent: « Mente nimirum et anima et carne pulcra es: carne quidem, ut per actionem a variis perturbationibus purgata et virtutum moribus excellens: anima autem ut ab omni improba cupiditate seiuncta et sermonibus decorata mandatorum: mente vero ut ab exilibus etiam cogitationibus liberata ac splendida et per gratiam in Spiritu sancto divina effecta. Et propterea macula non est in te, quae mihi ob perfectionem propinqua es. » Consentit [c]) Georgius nicomediensis qui Dei-

a) Cant. IV. 7. Ὅλη καλὴ εἶ ἡ πλησίον μου, καὶ μῶμος οὐκ ἔστιν ἐν σοί.

b) Comm. trium patrum in Cant. pag. 678. D-E. apud Gallandium T. VI. Δηλαδὴ νῷ καὶ ψυχῇ καὶ σαρκὶ ὑπάρχεις ὡραία· καὶ σαρκὶ μὲν ὡς τῶν κατ' ἐνέργειαν καθαρθεῖσα παντοίων παθῶν, καὶ τοῖς τρόποις κοσμηθεῖσα τῶν ἀρετῶν· ψυχῇ δὲ ὡς πάσης φαύλης ἀπαλλαγεῖσα ἐπιθυμίας, καὶ τοῖς λόγοις ὡραϊσθεῖσα τῶν ἐντολῶν· νῷ δὲ ὡς καὶ τῶν ψιλῶν ἐννοιῶν ἐλευθερωθεῖσα, καὶ λαμπρυνομένη ἐν ἁγίῳ πνεύματι τῇ κατὰ χάριν θειώσει· καὶ διὰ τοῦτο ψόγος τις οὐκ ἔστιν ἐν σοὶ τῇ ἐγγύς μου γενομένῃ διὰ τελειότητα.

c) Orat. in Deiparae praesent. pag. 1099. A-C. apud Combefisium Auctar. T. I. Τὸν κῆπον τὸν κεκλεισμένον, τὸν λογισμοῖς ἀνεπίβατον ἁμαρτίας· ἐν ᾧ τὸ θεῖον φυτὸν ἀγεωργήτως βλαστῆσαν, τὴν πρώτην κατάραν τοῦ ξύλου ὑλομανήσασαν ἐν τῷ βίῳ, πρόῤῥιζον ἐξήρανε, καὶ ἀντ' αὐτῆς εὐλογίαν ἐξήνθησε· τὴν ὡς ἀληθῶς πηγὴν ἐσφραγισμένην, ἐξ ἧς τὰ καθαρώτατα νάματα νάουσι, καὶ τὴν οἰκουμένην ἀρδεύουσιν· ἐν ᾗ τῆς ἐπιθολούσης ἰλύος οὐκ ἐφωράθη λείψανον· ἐξ ἧς ὁ ποταμὸς τῶν χαρίτων προερχόμενος, κύκλῳ τὴν ὑφ' ἥλιον περιπολεύει.

1) Ibid. col. 880. B-C.

2) Ibid. col. 880. D.

3) De incarnat. Domini cap. VIII. quod est *de beata Maria destinata ab aeterno, ut ad exsequutionem incarnationis concurreret*, p. 389. col. 2. B-E. apud Gallandium T. XIV.

4) Serm. II. in antiph. *salve regina*, n. 5. pag. 743. inter opp. Bernardi T. V. Cf. etiam orationem ad Dominum Iesum et b. Mariam p. 920. Ibid.

5) Sentent. lib. V. cap. I. pag. 554. opp. T. II.

6) Serm. XL. de Virginis assumpt. pag. 97. col. 2. D-E. opp. T. II. Adde rhythmum super salutationem angelicam pag. 12. opp. T. IV.

7) Orat. in Deiparae nativit. p. 902. col. 2. E.

Digitized by Google

param vix dum triennem vocat « Hortum [1]) illum conclusum, in quem vitiosis cogitationibus nullus patet aditus: in quo nulla manus cultura germinans divina plantatio primam [2]) ligni maledictionem mundo eluxuriantem ab ipsis radicibus arefecit, eiusque loco benedictio effloruit. Vere [3]) illum signatum fontem, ex quo manant purissimi latices et orbem universum irrigant: in quo turbidi luti nullae sunt deprehensae reliquiae: ex quo progrediens gratiarum flumen totam in circuitu terram lustrat. » Consentit [a]) Germanus, quo auctore Deipara in Scripturis dicitur « *Proxima:* tota [4]) pulcra es, proxima mea, tota pulcra et macula non est in te. Surge, veni, proxima mea. *Hortus:* hortus [5]) conclusus, fons signatus. » Quo autem pertineant haec Deiparae praeconia, declarat [6]) scribens: « Age vero salomonicae etiam sapientiae fluenta ad impetum pacifici fluminis, quod in gentium gloriam restagnat, nunc derivemus, et aquarum irrigua ipsum canticum canticorum nobis ostendat. Ecce [7]) pulcra es amica mea, et macula non est in te. Immortalis Sponsi verba sunt ista Mariae suffragantia, omnibus nempe creatis illam praeesse, et in natura creata ad increatam accedere ob puritatis excellentiam. Cum autem praestantissimum sit, modumque omnem illud excedat quod Sponsam coniungit Sponso, qui natura sit infinitae sanctitatis abyssus; perfectius deinde oratione prosequitur illius coniunctionis encomium [8]) dicens: surge, propera, amica mea, formosa mea, columba mea et veni: iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra. Haec cantici problemata atque aenigmata secundum vulgarem expeditum-

a) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1314. E. et 1315. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Καλεῖται πλησίον· ὅλη καλὴ εἶ πλησίον μου· ὅλη καλὴ, καὶ μῶμος οὐκ ἔστιν ἐν σοί· ἀνάστα, ἐλθὲ ἡ πλησίον μου· κῆπος· κῆπος κεκλεισμένος· πηγὴ ἐσφραγισμένη.

1) Cant. IV. 12.
2) Gen. II. 17.
3) Cant. IV. 12.
4) Cant. IV. 7.
5) Cant. IV. 12.
6) Orat. in Deiparae annuntiat. pagg. 100-101. edit. Maraccii, qui verbis, *macula non est in te. Immortalis Sponsi verba sunt ista sponsae Mariae suffragantia*, hanc adnotationem subiicit pag. 209. « Ut merito s. Sabas in Menaeis die III. Ianuarii Ode IX. Deiparam appellarit *macularum semper omnium expertem:* sanctus Stephanus sabaita die I. Ianuarii Ode IX. eamdem dixerit *ab omnibus maculis mundam:* Anonymus die IV. Ianuarii Ode IX. eamdem adstruxerit *nullis unquam maculis inquinatam:* et s. Iosephus confessor die XIV. Iulii Ode V. *Deiparam solam maculam in se omnem ignorare*, confessus sit. »
7) Cant. IV. 7.
8) Cant. II. 10. seqq.

Digitized by Google

que sensum veris adventum significant, quando terra, parens omnium, hiemis soluta vinculis, postquam diu concepit, sinum suum denique aperit atque omnis generis herbas producit. Dei vero mater terra vere sancta, et quae sola sine semine divina fecunditate illustris est, et verba Isaiae prophetae [1]) effectum sortiuntur: egredietur virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet. »

659. Neque vero pauciora sunt aut minus luculenta quae Iohannes damascenus eodem pertinentia litteris consignavit. Is enim est qui stupore perculsus [a]) exclamat: « O divinum vivumque simulacrum, cuius pulcritudine conditor Deus delectatus est, quod mentem quidem divinitus gubernatam habet Deoque soli addictam, cupiditatem vero omnem ad id quod solum expetendum est et amore dignum intentam, iram autem erga peccatum dumtaxat eiusque parentem. Vitam natura potiorem habebis. Habebis autem non tibi ipsi, quippe quae non tui ipsius caussa genita sis. Quocirca Deo hanc habebis, cuius gratia in mundum prodiisti, ut orbis universi saluti obsequaris, et Dei antiquum consilium, nimirum incarnationis Verbi ac nostrae deificationis, per te impleatur. » Is est [b]) a quo Deipara nuncupatur « Tota pulcra, tota Deo propinqua: haec enim Cherubim superans et super Seraphim evecta, proxima Deo exstitit. » Is est [c]) qui de loco sermonem habens in quo Ioachim et Anna suas fundebant preces ut sobolem a Deo consequerentur, ait: « In horto preces fundentes, hortum priore longe feliciorem [2]) genuerunt. Domus initium secundum exquisitissimam rationem, Deique ad homines adventus inchoatio, praesentis diei solemnitas praefulget. » Atque

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 847. D-E. Ὦ θεῖον ἔμψυχον ἄγαλμα, ἐφ' ᾧ ὁ δημιουργὸς εὐφράνθη θεός, νοῦν μὲν ἔχον θεοκυβέρνητον, καὶ μόνῳ θεῷ προσανέχοντα· ἐπιθυμίαν ἅπασαν τεταμμένην πρὸς τὸ μόνον ἐφετόν τε καὶ ἀξιέραστον· τὸν θυμὸν κατὰ μόνης τῆς ἁμαρτίας, καὶ τοῦ ταύτην κυήσαντος· ζωὴν τῆς φύσεως κρείττονα ἕξεις· ἕξεις γὰρ οὐ σαυτῇ· οὐ γὰρ σαυτῆς ἕνεκα γεγέννησο· ὅθεν ἕξεις θεῷ, δι' ὃν εἰς τὸν βίον (al. κόσμον) ἐλήλυθας· δι' ὃν τῇ παγκοσμίῳ ἐξυπηρετήσεις σωτηρίᾳ, ὅπως ἡ ἀρχαία βουλὴ τοῦ θεοῦ, τῆς τοῦ λόγου σαρκώσεως, καὶ τῆς ἡμῶν θεώσεως, διά σου πληρωθῇ.

b) Ibid. pag. 848. B-C. Ὅλη καλή, ὅλη πλησίον θεοῦ· αὕτη γὰρ ὑπεραναβᾶσα τὰ Χερουβίμ, καὶ τῶν Σεραφὶμ ὑπεραρθεῖσα πλησίον θεοῦ ἐχρημάτισεν.

c) Orat. II. in Deiparae nativit. §. V. pagg. 852. E. et 853. A. Ἐν παραδείσῳ προσευξάμενοι, παράδεισον ἔτεκον, πολὺ τοῦ προτέρου μακαριώτερον· οἴκου ἀρχὴ κατὰ ἀκριβεστάτην θεωρίαν, καὶ τῆς τοῦ θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους ἐπιδημίας, ἡ παροῦσα πανήγυρις προεκλάμπουσα.

1) Is. XI. 1. 2) Cant. IV. 12.

Digitized by Google

is est [a]) qui scribit: « Ave [1]) fons signatus, incorruptionis origo. Ave hortus conclusus, cuius odor est sicut agri pleni cui benedixit qui ex te prodiit Dominus. Ave cinnamomum [2]), aroma erumpens ex spiritali paradiso integritatis, cuius odor illi suavis est qui in canticis dicit: emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum arborum fructibus, calamus et cinnamomum cum universis lignis Libani. Ave soror pulcri fratris cognominis, eique summe dilecta, cuius vox eiusmodi [3]) in canticis sonat: vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. » Quare Modestus hierosolymitanus [b]) de triumpho loquens assumptae Deiparae ait: « Deductus est enim divinorum charismatum fons Domini signatus in eius occursum semper Virgo, per quam irrigatus est Ecclesiae orthodoxae paradisus, et a secundo conditus qui ex ea natus est Adam, quique e virginalibus scatebris, idest uberibus tamquam fontis fluento ebibit, ct mortuum primum parentem Adam vivificavit. »

660. Simillima habet [c]) Iohannes geometra ubi de Virgine ca-

a) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 855. A-E. Χαῖρε πηγὴ ἐσφραγισμένη, ὁ βρυτὴρ τῆς ἀφθαρσίας· χαῖρε κῆπος κεκλεισμένος, ἧς ἡ ὄσφρησις ὡς ἀγροῦ πλήρους, ὃν εὐλόγησεν ὁ ἐκ σοῦ προελθὼν κύριος· χαῖρε κιννάμωμον, τὸ ἐκ νοητοῦ παραδείσου τῆς ἀχραντίας ἐξιὸν ἄρωμα, οὗ ἡ ὀσμὴ ἡδεῖα τῷ λέγοντι ἐν ᾄσμασιν· ἀποστολαί σου παράδεισος ῥοῶν μετὰ καρπῶν ἀκροδρύων· κάλαμος καὶ κιννάμωμον μετὰ πάντων ξύλων τοῦ Λιβάνου· χαῖρε ἀδελφὴ, ἡ τοῦ καλοῦ ἀδελφοῦ παρώνυμος καὶ πανέραστος, οὗ ἡ φωνὴ τοιάδε ἐν ᾄσμασιν· ἐκαρδίωσας ἡμᾶς ἀδελφή μου νύμφη, ἐκαρδίωσας.

b) Encom. in Deiparam §. VI. pag. 24. Ἀπηνέχθη γὰρ ἡ τῶν θείων χαρισμάτων ἐσφραγισμένη πηγὴ τοῦ κυρίου ἀειπάρθενος εἰς ἀπάντησιν αὐτοῦ, δι' ἧς πεπότισται ὁ τῆς ὀρθοδόξου ἐκκλησίας παράδεισος, καὶ συνεστάθη ὑπὸ τοῦ γεννωμένου ἐξ αὐτῆς δευτέρου Ἀδάμ· καὶ ὡς ναμάτων πηγῆς ἐκ παρθενικῶν αὐτῆς πηγῶν, ἤτουν μασθῶν πεπτωκότος καὶ ζωοποιήσαντος τὸν θανατωθέντα πρωτόπλαστον Ἀδάμ.

c) Hymnus II. in Deiparam pag. 439. A-C. in App. ad biblioth. pp. Graeco-lat. T. III.

Χαίροις ἄνθος ἀκήρατον, εὔοδμον, ἀμφοτέρωθεν
    Κάλλεσιν ἀμφαδίοις, κάλλεσι κρυπτομένοις.
Χαῖρε κρίνον ῥοδέη τε κάλυξ νοτερή τ' ἀνεμώνη,
    Νάρκισσος καθαρὴ, λευκοτέρα χιόνος.
Χαῖρε ἀειζώοιο θάλος γλυκύ· ἦ ῥὰ σὺ θνητῶν
    Μοῦνον ἀμάραντον κάλλεϊ θειοτέρων.
Χαῖρ' ὑακίνθου πορφυρέου χάρις, ἧς ἐπὶ φύλλοις
    Γράμματ' ἐλευθερίης, οὐδὲ μύθος θανάτου.
Χαίροις ὑψικόμοιο δάφνης θάλος, ἥτις ἀπείργεις
    Οὐ σέλα πρηστήρων, δαιμονίων δὲ φλόγα.

1) Cant. IV. 12.
2) Cant. IV. 13.
3) Cant. IV. 9.

nit: « Salve flos intacte, bene olens, utrimque venuste tam venustate manifesta quam quae latet. Salve lilium, roseus calyx atque madida anemo, narcissus purus, nive candidior. Salve perpetuae vitae dulce germen, tu namque solum inter mortales immarcescibile ob divinorum pulcritudinem. Salve hyacinthi purpurei decus, in cuius foliis verba libertatis notantur, nullatenus verbum mortis. Salve germen procerae lauri, quod procul arces non iubar fulguris, sed daemonum flammam. » Simillima habent Chrysippus et Hesychius hierosolymitani, e quibus ille Virgini gratulatur [a]) his verbis: « Ave armarium vitae: ave quae es [1]) hortus Patris: ave quae es pratum totius fragrantiae [2]) sancti Spiritus: ave radix omnium bonorum: ave specimen gemmae omne pretium excedentis. » Hesychius vero [b]) ait: « Vocavit te hortum conclusum et fontem signatum is qui ex te ortus est Sponsus, et praedixit [3]) in canticis. Hortum conclusum, quoniam falx corruptionis aut vindemia te non attigit: florem autem [4]) qui ex radice Iesse hominum generi pure exhibetur, excultus tibi a puro intemerato Spiritu. Fontem conclusum, quia flumen vitae ex te prodiens replevit terram, alioqui ramus nuptialis fontem tuum nequaquam exhausit. »

661. Piaculum vero foret eorum oblivisci, quae in commentario ad Iacobi vaticinium [5]), *ex germine, fili mi, ascendisti,* Andreas cretensis [c]) scribit: « Germen vero quem alium proprie esse ex eo quod consentaneum est, dilectissime, reputabis nisi videlicet

a) Orat. de Deiparae laudibus pag. 425. C-D. in biblioth. pp. Graeco-lat. Tom. II. *Χαῖρε τὸ ταμεῖον τῆς ζωῆς· χαῖρε ὁ κῆπος ὁ τοῦ πατρός· χαῖρε ὁ λιμὴν ὅλης τῆς εὐωδίας τοῦ πνεύματος· χαῖρε ἡ ῥίζα πάντων τῶν ἀγαθῶν· χαῖρε τοῦ μαργαρίτου πεῖρα, τοῦ τιμὴν ἅπασαν ὑπερβαίνοντος.*

b) Orat. de Deiparae laudibus pag. 422. E. in biblioth. pp. Graeco-lat. Tom. II. *Σὲ κῆπον κεκλεισμένον ὠνόμαζε, καὶ πηγὴν ἐσφραγισμένην ὁ ἐκ σοῦ νυμφίος, καὶ προεῖπεν ἐν τοῖς ᾄσμασι· κῆπον κεκλεισμένον· ἐπειδὴ σοῦ μὲν δρεπάνη φθορᾶς ἢ τρυγητὸς οὐχ ἥψατο· ἄνθος δὲ, τὸ ἐκ τῆς ῥάβδου τοῦ Ἰεσσαὶ καθαρῶς τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων, καὶ καθαρῶς παρίστησιν, ὑπὸ μόνου γεωργηθέν σοι τοῦ καθαροῦ καὶ ἀκηράτου πνεύματος· πηγὴν ἐσφραγισμένην, ὅτι ποταμὸς ζωῆς ἐκ σοῦ προελθὼν τὴν οἰκουμένην ἐπλήρωσεν· ἀλλὰ κλάδος γαμικὸς τὴν σὴν πηγὴν οὐκ ἤντλησε.*

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 179. D-E. apud Gallandium T. XIII. *Βλαστὸν δὲ, τίνα ἂν κυρίως ἐκ τοῦ ἀκολούθου νοήσῃς, ἀγαπητὲ, ἢ δῆλον μόνην αὐτὴν τὴν ἁγίαν, καὶ τῶν*

1) Cant. IV. 12.
2) Cant. IV. 13. seqq.
3) Cant. IV. 12.
4) Is. XI. 1.
5) Gen. XLIX. 8.

Digitized by Google

solam hanc sanctam Virginem, sanctisque omnibus longe sanctiorem, quae tota [1]) pulcra, tota munda visa est ei qui totus in illa et corpore et spiritu habitavit? Mariam, inquam, magnum profecto omnique veneratione dignissimum et nomen et rem, davidicum ramum, virgam Iesse, germen Iuda semper viride, ex qua altissimus Dei Filius qui ante mundum erat aequalique cum eo qui ipsum genuit aeternitate fruebatur, secundum carnem germinavit. » Quibus adiungi debent quae antiquus auctor [a]), cuius sermo inter opera Chrysostomi occurrit, his verbis complectitur: « Ave gratia plena. Cessat maledictio, aufertur corruptio, tristia emarcuerunt, laeta florent. Placuisti creatori, placuisti ei qui pulcritudine animarum delectatur. Digna fuisti quae talem hospitio exciperes Dominum: divinae oeconomiae officina purissima facta es: ad ingressum regis in vitam dignus fuisti currus. Invenisti enim gratiam apud Dominum. Supra omnem creaturam ornata es, supra caelos decorata plusquam sol fulges, supra angelos exaltata es, non assumpta es in caelos, sed in terra manens caelestem Dominum ad te attraxisti. »

662. Porro Sophronius adductis [2]) verbis, *hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuae paradisus;* e vestigio [3]) subdit: » Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera et odoramenta virtutum: sicque conclusus ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis: ex quo fons vitae manat, in cuius lumine omnes

ἁγίων ἁπάντων ἁγιωτέραν, τὴν ὅλην ὅλῳ φανεῖσαν καθαρὰν τῷ σκηνώσαντι σώματί τε καὶ πνεύματι; Μαρίαν λέγω, τὸ μέγα καὶ σεβάσμιον ὄντως καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα, τὴν Δαυϊδικὴν ὄρπηκα, τὴν ῥάβδον τοῦ Ἰεσσαὶ, τὸν ἀειθαλῆ τοῦ Ἰούδα βλαστὸν, ἐξ ἧς ὁ τοῦ θεοῦ παῖς, ὁ ὑπερκόσμιος, ὁ προκόσμιος, συναΐδιος τῷ γεννήσαντι, σαρκικῶς ἐξεβλάστησε.

a) Serm. in Deiparae annunciat. et cont. Arium pagg. 839. D-E. et 480. A-B. inter opp. Chrysost. T. XI. Χαῖρε κεχαριτωμένη· πέπαυται ἡ κατάρα, κατήργηται ἡ φθορὰ, μεμάρανται τὰ στυγνὰ, ἀνθεῖ τὰ φαιδρά· ἤρεσας τῷ δημιουργῷ, ἤρεσας τῷ τερπομένῳ τοῖς κάλλεσι τῶν ψυχῶν· κατηξιώθης ξενοδοχῆσαι τοιοῦτον δεσπότην· τῆς θείας οἰκονομίας γέγονας ἐργαστήριον καθαρώτατον· τῆς εἰς τὸν βίον εἰσόδου τοῦ βασιλέως ἡμῶν πέφηνας ἄξιον ὄχημα· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ θεῷ· ὑπὲρ τὴν κτίσιν ἐκαλλωπίσθης· ὑπὲρ τοὺς οὐρανοὺς ἐφαιδρύνθης· ὑπὲρ τὸν ἥλιον ἔλαμψας· ὑπὲρ τοὺς ἀγγέλους ὑψώθης· οὐκ ἂν εἰλήφθης εἰς οὐρανοὺς, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῆς γῆς ἱσταμένη, τὸν οὐράνιον δεσπότην καὶ βασιλέα τῶν ἁπάντων ἐπισπάσω πρὸς ἑαυτήν.

1) Cant. IV. 7.

2) Cant. IV. 12-13.

3) Serm. de Deiparae assumpt. col. 100. D-F. inter opp. Hieronymi T. XI.

videbimus lumen. Quia iuxta [1]) Iohannem, ipse est qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cuius profecto emissio uteri, supernorum civium omnium est paradisus. De isto namque ventris agro patriarcha Isaac longe odorans [2]) aiebat: ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus: quamvis putent parum intelligentes quod priores sancti minus de Christo intellexerint mysterium incarnationis, cum et ipsi eadem salvati siut gratia. » Et [3]) infra: « Quoniam haec est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium, ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec praevaluit fraus inimici, sed permansit sancta mente et corpore multis donorum privilegiis sublimata. » A quibus seiuncta nolim quae Matthaeus cantacuzenus docet, sive quum de Virginis pulcritudine [a]) ait: « Non enim sicut ceterae virgines quae corporis pulcritudinem ostentant, ita et Virgo filia David exornata est; sed immaculata ipsius anima pulcritudinis loco virtutes possidebat. » Sive quum [b]) turris imaginem enarrans scribit: « Nominatim autem recensuit Virginis quoque collum esse instar turris Davidis aedificatae in Thalpioth. Porro Thalpioth est arx Bethlcem, quae domus panis hebraeo sermone exponitur; panis autem est salvator noster Iesus ut ipse dixit: *ego sum panis qui de caelo descendi.* Domus autem ipsius vocari poterit virgo Maria; merito itaque Virginis collum turrim in Thalpioth appellavit. *Mille clypei pendent super eam, omnia fortium missilia.* Per haec non obscure ostendit, arcem in tuto fore undique munitione vallatam atque praesidio de-

a) In Cant. IV. 1. pag. 27. Οὐχ ὡς αἱ λοιπαὶ δὲ τῶν παρθένων τὸ κάλλος ἐν σώματι φέρουσαι, καὶ ἡ τοῦ Δαβὶδ παρθένος κεκόσμηται· ἀλλ᾽ ἡ ἐν τῇ ἀμώμῳ αὐτῆς ψυχῇ, ὡς κάλλος, τὰς ἀρετὰς ἐκέκτητο.

b) In Cant. IV. 4. pag. 29. Ὠνόμασε δὲ καὶ τὸν αὐτῆς τράχηλον ὡς πύργον Δαβὶδ ᾠκοδομημένον ἐν Θαλπιώθ· καὶ Θαλπιὼθ μὲν ἡ τῆς Βηθλεὲμ ἐστιν ἀκρόπολις· οἶκον δὲ ἄρτου τῇ ἑβραΐδι σημαίνει διαλέκτῳ· ἄρτος δὲ ἔστιν ὁ σωτὴρ ἡμῶν Ἰησοῦς ὡς αὐτὸς ἀπεφήνατο· ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς· οἶκος δ᾽ ἂν αὐτοῦ καλοῖτο ἡ παρθένος Μαρία· εἰκότως οὖν τὸν ἐκείνης τράχηλον πύργον ἐν Θαλπιὼθ προσηγόρευσε· χίλιοι θυρεοὶ κρέμανται ἐπ᾽ αὐτὸν, πᾶσαι αἱ βολίδες τῶν δυνατῶν· τὴν πανταχόθεν διὰ τούτων τῆς ἀκροπόλεως ἀσφάλειαν δεδήλωκε· καὶ τὸ ἰσχυρόν τε καὶ ἀπροσπέλαστον τοῖς ταύτῃ βεβουλημένοις ἐπιβουλεύειν· τοιαύτη δὲ καὶ ἡ πάντων ἁγιωτέρα μήτηρ παρθένος· ἀνεπιβούλευτος γὰρ καθάπαξ καὶ ἀπροσπέλαστος πάσης ἡστινοσοῦν ἐπιβουλῆς τοῦ πονηροῦ διαμεμένηκεν.

1) Ioh. I. 9.
2) Gen. XXVII. 27.
3) Ibid. col. 108. A-B.

Digitized by Google

fensam, nec eam omnino hostium patere insidiis. Eiusmodi porro erat illa quoque sanctior universis mater virgo, quae nullis unquam fuit exposita insidiis, atque ab omni prorsus subdola versuti illius fraude aliena perstitit. » Sive quum [a]) de Sponso ait: « Considerans autem ipsam totius prorsus labis expertem Deiparam universalis fuisse caussam salutis, ad ipsam divino succensus Spiritu exclamavit dicens: tota pulcra es proxima mea, et macula non est in te. » Sive demum quum [b]) inquit: « Omnis virtus et operatio sanctissimi Spiritus in beata Virgine habitavit, quocirca propheta variis laudum nominibus ipsam celebravit, modo quidem appellans lectum, modo domum, et alibi aliter, heic vero Sponsam nominans dicit, *veni a Libano sponsa*. Quae videlicet a Deo generationem habuisti, et tota Dei effecta es atque divina. »

663. Ceterum omnia fere quae praemisimus, unus complexus est Ephraemus, a quo Deipara nunc [c]) dicitur « Sponsa Dei, per quam ipsi reconciliati sumus, fons vivificus, pelagus inexhaustum divinarum secretarumque largitionum ac munerum. » Nunc [d]) dicitur « Hortus conclusus, fons signatus, cuius rivi purissimi irrigant totum mundum. » Nunc [e]) dicitur « Pulcra natura, omnisque labis incapax. » Nunc vero [f]) salutatur his verbis: « Salve canticum Che-

a) Comm. in Cant. IV. 7. pag. 30. *Κατανοήσας δ' αὐτὴν τῆς παγκοσμίου σωτηρίας ὑπεράμωμον θεοτόκον, ὡς αἰτίαν γεγενημένην, πρὸς αὐτὴν διαπυρσίως ἐβόησεν· ὅλη καλὴ ἡ πλησίον μου, καὶ μῶμος οὐκ ἔστιν ἐν σοί.*

b) In Cant. IV. 8. pagg. 30-31. *Πᾶσα δύναμις καὶ ἐνέργεια τοῦ παναγίου πνεύματος ἐν τῇ μακαρίᾳ παρθένῳ κατῴκησε· ταύτῃ τοι καὶ ὁ προφήτης ποικίλοις αὐτὴν ἐξύμνησεν ὀνόμασι, ποτὲ μὲν κλίνην, ἄλλοτε δὲ οἶκον, καὶ ἐν ἄλλοις ἄλλα· ἐνταῦθα δὲ νύμφην ὀνομάζων καί φησί· δεῦρο ἀπὸ Λιβάνου νύμφη· ἡ ἐκ Θεοῦ δηλονότι τὴν ἐσχηκυῖα, καὶ ὅλη τε θεωμένη τυγχάνουσα.*

c) Orat. ad Deiparam opp. graec. T. III. pag. 528. D-F. *Νύμφη Θεοῦ, δι' ἧς αὐτῷ κατηλλάγημεν· ζωοδόχε πηγὴ, πέλαγος ἀνεξάντλητον τῶν θείων καὶ ἀπορρήτων χαρισμάτων καὶ δωρεῶν.*

d) Ibid. pag. 529. E. *Κῆπε κεκλεισμένε, πηγὴ ἐσφραγισμένη, ἧς τὰ καθαρὰ νάματα τὴν οἰκουμένην ἀρδεύουσιν.*

e) Ibid. pag. 530. A. *Ἡ ὡραία τῇ φύσει, καὶ μώμου παντὸς ἀνεπίδεκτος.*

f) Ibid. pag. 547. E-F. *Χαῖρε τὸ ᾆσμα Χερουβὶμ, καὶ ὕμνος τῶν ἀγγέλων· χαῖρε εἰρήνη καὶ χαρὰ τοῦ ἀνθρωπίνου γένους· χαῖρε παράδεισε τρυφῆς· χαῖρε ζωῆς τὸ ξύλον· χαῖρε τὸ τεῖχος τῶν πιστῶν, λιμὴν κινδυνευόντων· χαῖρε ἀνάκλησις Ἀδάμ· τῆς Εὔας χαῖρε λύτρον· χαῖρε πηγὴ τῆς χάριτος καὶ τῆς ἀθανασίας· χαῖρε ἁγίου πνεύματος πηγὴ ἐσφραγισμένη· χαῖρε ναὲ θειότατε· χαῖρε θρόνε κυρίου· χαῖρε ἁγνὴ, ἡ δράκοντος τοῦ ἀρχεκάκου κάραν συνθλάσασα, καὶ εἰς ἄβυσσον ῥίψασα πεπεδημένον· χαῖρε τὸ καταφύγιον*

Digitized by Google

rubim, hymnusque angelorum: salve pax et gaudium humani generis: salve paradisus deliciarum: salve lignum vitae: salve murus fidelium, portus periclitantium: salve revocatio Adami: salve pretium redemptionis Evae: salve fons gratiae et immortalitatis, salve sancti Spiritus fons signatus: salve templum divinissimum: salve sedes Dei: salve pura quae draconis nequissimi caput contrivisti et in abyssum proiecisti vinculis constrictum: salve perfugium afflictorum: salve maledictionis solutio, per quam laetitia mundo apparuit, immaculatissima Virgo ob tuum partum. » Quare nil mirum si Christum alloquens alibi [a]) scripserit: « Video ut omnibus illam decorasti modis, o matris tuae decus. Sponsa tibi data est antequam venires. »

664. E quibus non exploratum dumtaxat est, quartum cantici caput suffragatione maiorum referri ad Virginem consuevisse; sed praeterea liquet I. ipsam exhiberi atque describi *uti pulcram, pulcherrimam, omnium pulcherrimam, totam pulcram, pulcram ab ortu usque in finem, pulcram interius, pulcram exterius, pulcram corpore, pulcram animo, pulcram natura, pulcram in conceptione, siquidem eo consilio effectam ut Dei templum foret, et propterea sororem pulcram eamdemque cognominem fratris pulcri.* Liquet II. describi atque exhiberi Deiparam *veluti immaculatam, immaculatissimam, illius insciam culpae quam fraus serpentis invexit, natura expertem labis et eo usque a quolibet integram naevo, ut ob perfectionem puritatis ad Deum quam proxime accesserit et in creata natura puritatem increatae naturae praesetulerit.* Liquet III. describi atque exhiberi Deiparam *tamquam Deo dilectam, dilectissimam, dilectarum dilectissimam, solam quae illius animum rapuerit, quaeque illi tantopere placuerit, ut ipse ex ea carnem susciperet.* Liquet IV. describi atque exhiberi Deiparam *veluti turrim undique communitam et adversus quam invisibilis adversarius nihil umquam profecerit: veluti turrim quae inimico numquam patuerit, et de qua expugnanda Satanas desperarit: veluti turrim quae ipsum semper despexerit inimicum, cuius conatus represserit, et cuius machinationes in eius caput retorserit.* Liquet V. describi atque exhiberi Deipa-

τῶν καταπονουμένων· χαῖρε ἀρᾶς ἡ λύτρωσις, δι' ἧς χαρὰ τῷ κόσμῳ ἐδείχθης παναμώμητε τῷ σῷ παρθένε τόκῳ.

a) Serm. VIII. de nativit. pagg. 423. F. et 424. A. opp. syr. T. II.

ܒܟܠܡܕܡ ܗܘ ܐܨܛܒܬܗ̇ ܫܘܦܪܐ ܕܐܡܗ. ܡܟܝܪܬܐ ܗܘܬ ܠܟ ܥܕ ܠܐ ܬܐܬܐ.

ram *nunc veluti montem adeo celsum ac firmum, ut illum hostiles impetus nec quatere, immo ne attingere quidem valuerint: et nunc veluti arcem sollicitis Sponsi curis ita protectam ut iacula contra ipsam contorta in irritum numquam non cesserint.* Liquet VI. describi atque exhiberi Deiparam *ceu paradisum, paradisum deliciarum, paradisum Patris, novum paradisum, paradisum caelestem, novam plantationem quam Deus plantavit, hortum alterum primo feliciorem atque ita conclusum, ut nullis insidiarum fraudibus violari nullisque dolorum technis potuerit corrumpi.* Liquet VII. describi atque exhiberi Deiparam *non secus ac terram benedictam, terram vere sanctam, terram nonnisi suavissimis floribus ridentem, et agrum cui benedixit Dominus.* Liquet VIII. describi atque exhiberi Deiparam *uti florem intactum, exterius interiusque venustum: uti germen vitae perpetuae, germen semper virens, solum ex Adami propagine inviolatum, et solum quod in foliis insculptam praetulerit non mortis sed libertatis legem.* Liquet IX. describi atque exhiberi Deiparam *instar fontis a Trinitate obsignati, in quem nulli potuerint irrumpere doli, quemque nullae turbidi luti reliquiae contaminarint.* Liquet X. describi atque exhiberi Deiparam *tamquam ab effectis liberam originalis praevaricationis, liberam a lege carnis, liberam a vanitate cogitationum, liberam a culpis venialibus prorsus omnibus, et liberam a maledicto quo Deus protoparentes mulctavit.* Liquet XI. describi atque exhiberi Deiparam *uti Sponsam cum Sponso, qui est infinitae sanctitatis abyssus, communione naturae cohaerentem.* Liquet XII. *Deiparae conceptionem repraesentari ceu initium domus ad exquisitissimam normam aedificatae, et ceu inchoationem adventus Dei ad homines.* Liquet XIII. *Deiparae vitam* asseri *natura potiorem, utpote quae non sibi ipsi fuerit genita, sed ut instrumentum esset idoneum humanae reparationis, et purissimum divinae oeconomiae sacrarium.* Liquet XIV. *Deiparam* sisti *ut quae non minus animo quam corpore Virgo fuerit, neque minus corpore inaccessa fuerit viro, quam animo culpis omnibus, omnibusque spiritalibus nequitiis impervia.* Tandem liquet XV. exhiberi *Deum auctorem inimicitiae inter Mariam et serpentem, Mariae autem deferri quod serpentis caput contriverit.* Iamvero me plane fugit, an vel una ex recensitis descriptionibus talis sit qua Deiparae summum creatae puritatis fastigium non asseratur, qua omnis culpae naevus ab ea longissime non amandetur, et qua eiusdem conceptus immaculatus

non ostendatur. Sed prorsus scio neque iungi simul illas posse, neque copulatas spectari, quin immaculata Virginis primordia consensione maiorum tradita videantur.

ARTICULUS V.

De iis quae quinto Cantici capite habentur: ecclesiasticus eorumdem de Virgine usus: maiorum conspiratio et opportunae enarrationes: praerogativa immaculati conceptus quae his omnibus confirmatur.

665. Pauciora sunt quae in hoc capite ad Sponsam pertinent, neque ab iis admodum dissimilia quae superiori comprehensa enarravimus. Fas igitur nobis erit brevitati obsequi, nosque illis continere quae et novitate se aliqua commendent, et uberiorem aliquam lucem tractationi affundant. Principio itaque [1]) Sponsa appellatur *hortus* qui sponsum mirifice delectet, et in quo ipse suavissime conquiescat: *veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum.* Dulcissimae horti appellationi altera [2]) succedit, qua Sponsa *tum soror et amica, tum columba et immaculata* nuncupatur: *vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Eadem vero [3]) semel atque iterum tamquam *pulcherrima mulierum* laudatur: *qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum?* Cuiusmodi autem illius sit pulcritudo, non aliunde evidentius resplendet quam ex collatis comparatisque coloribus, quibus Sponsae Sponsique venustas excitatur. Sunt enim [4]) pror-

1) Cant. V. 1. Legerem potius *pomorum suarum*, ne si vox ducatur a recto *pomum* non *pomus*, hic exstet sensus, *comedat fructum fructuum suorum.* Hebraice est מְגָדִים *dulcedines, deliciae:* penes Alexandrinos, ἀκροδρύων: et apud Symmachum et Aquilam, ὀπωρῶν.

2) Cant. V. 2. Pro *immaculata mea* textus habet תַּמָּה. Porro תַּם *integrum* valet dum corpori tribuitur, dum animo *iustum:* opponitur enim aliquando manco et claudo vel caeco, aliquando improbo. Est ergo generatim *cui nihil deest* seu *perfectum:* Alexandrini heic habent τέλειον, alibi ἄμωμον, idem quamquam negatione expressum. Hanc negantem significationem praetulit Vulgatus, dum Sulamitidem dixit *immaculatam*, atque ita *maculam* posuit pro quocumque defectu.

3) Cant. V. 9-17. *Dilectus tuus ex dilecto* idiotismus est Hebraeorum, qui quum gradibus comparationis careant, illos varie circumloquuntur. Hic est unus modus e multis, et prae quo latine diceretur *rerum carissimus.* Similem idiotismum praeferunt sequentia, quae in textu sic habent, *pulcra in mulieribus*, καλὴ ἐν γυναιξίν, ut ad verbum Alexandrini interpretantur. Ceterum hic obtinet eadem constructio ac Prov. XXX. 30. לַיִשׁ גִּבּוֹר בַּבְּהֵמָה *leo fortis in bestiis*, idest, bestiarum fortissimus, ut scite Vulgatus reddit.

4) Cant. IV. 1-6, 9-15. coll. V. 10-16.

Digitized by Google

sus gemini, et unam eamdemque imaginem absolutissimae venustatis repraesentant.

666. Haec autem si pro nativa quam referunt significatione sumantur, neque in dissitos alienosque detorta sensus labefactentur, eam exhibent Sponsae formam eumque sistunt characterem in quo nihil sit absoni, nihil indecori, nihil non ad venustatem expressum, nihil quo Sponsa reliquis omnibus non anteponatur, et nihil quo ipsa veluti exquisitissimus Sponsi ectypus non demonstretur. Fac igitur haec eadem ad Virginem apte referri, atque adeo fac his ipsis speciem Virginis adumbrari, puritatem venustatemque depingi; quid, quaeso te, evidentius quam Virginem nullo exhiberi infectam naevo, nulla labe sordescentem, sed totam puram, totam immaculatam, totam splendidam, atque numeris omnibus ita perfectam ut in sese nitorem puritatemque Sponsi repraesentet? Atqui suffragio romanae ecclesiae quae praesens cantici caput de Virgine [1]) plus semel usurpat, edocemur, apte illud ad Virginem referri, et quae eo continentur ad Virginem sapientissime accommodari.

667. Neque vero ab ecclesia romana dissidet graeca, quin satius cum illa mirifice conspirat. Et conspirat quidem in Menaeis, in quibus [a]) nunc legimus: « Divinarum puellarum chorus te, o Deipara domina, divinissime celebrat mulierum pulcherrimam, speciosam pulcritudine divinitatis; Verbum enim pulcritudinis auctorem supra omnem fandi potestatem peperisti. » Nunc [b]) legimus: « Pratum divinitus consitum, hortus suave spirans divinitus productus, o Virgo, ostensa es quum florem immortalitatis edideris; idcirco tibi uno ore acclamamus, ave: ave principium gaudii: ave fons dulcedinis. » Nunc [c]) legimus: « Puram columbam in utero Anna

a) Men. die XI. Ianuarii Ode α'. pag. 111. col. 2. B. Νεανίδων θείων ὁ χορός, ἐνθαστικώτατα ἐν γυναιξὶ, σὲ καλὴν ᾀσματίζουσι, θεοτόκε δέσποινα, καλλοναῖς ὡραϊζομένην θεότητος· τὸν καλλοποιὸν γὰρ λόγον ὑπὲρ λόγον ἀπεκύησας.

b) Men. die XXVII. Ode ζ'. pag. 208. col. 1. D. Λειμὼν θεοφύτευτος, εὐώδης κῆπος θεοβλαστούργητος ἀνεδείχθης, παρθένε, ἀθανασίας ἄνθος ἀνθήσασα· διὸ συμφώνως τὸ χαῖρέ σοι κράζομεν· χαῖρε χαρᾶς χορηγέ· χαῖρε πηγὴ γλυκασμοῦ.

c) Men. die IX. Augusti Ode ζ'. pag. 74. col. 1. D. Τὴν ἁγνὴν περιστερὰν συλλαβοῦσα ἐν γαστρὶ, χαρμονῆς πνευματικῆς ἐπληρώθη ἀληθῶς ἡ Ἄννα.

1) In Officio Concept., in primo nocturno, die XIX. Augusti infra oct. Assumpt., et in Antiphonis ad Laudes festi septem dolorum.

concipiens, gaudio spiritali vere replebatur. » Et nunc [a]) legimus: « Sponsa perfecte immaculata, et mater eius in quo sibi Deus placet, a Deo praedestinata in suum inconfusae unitionis habitaculum, hodie inviolatam animam creatori et Deo committit, quam incorporeae Virtutes decenter excipiunt, et ad vitam transfertur quae vere mater est vitae, quae est lampas lucis inaccessae, salus fidelium, et spes nostrarum animarum. » Conspirat [b]) in Anthologio, in quo haec habentur: « Novus immortalitatis virens paradisus et omnino speciosus apparuisti, o Deipara, quae divinissima ratione genuisti et peperisti lignum vitae in te consitum atque instillans spem vivificam omnibus qui de te fideliter sentiunt. » Hinc in Sophronii Triodio [c]) de Virgine dicitur: « Tu sola inter mulieres speciosa enituisti, o admirabilissima, o innocens, quae speciosissimum peperisti Verbum quod super omnes mortales speciosum apparuit. » Atque hinc in Coptorum hymnis semel ac rursum [d]) celebratur his verbis: « Salomon in Canticis canticorum de ipsa ait, soror mea et amica mea, mea urbs vera Ierusalem. »

668. Quare ubi in ecclesiasticis Orientalium libris laudes Virginis efferuntur, non modo ad quintum cantici caput frequenter alluditur; verum etiam occasione ex illis sumpta quae in eo continentur, Virgo dicitur I. *consitum divinitus pratum, hortus divinitus productus, novusque immortalitatis virens paradisus et omnino speciosus.* Dicitur II. *pura columba, et quae uti pura columba concepta fuerit.* Dicitur III. *Sponsa perfecte immaculata, quippe quae divi-*

a) Men. die XV. Augusti ad Magn. Vesper. pag. 81. col. 1. C. Ἡ πανάμωμος νύμφη, καὶ μήτηρ τῆς εὐδοκίας τοῦ πατρός· ἡ Θεῷ προορισθεῖσα εἰς ἑαυτοῦ κατοίκησιν τῆς ἀσυγχύτου ἑνώσεως, σήμερον τὴν ἄχραντον ψυχὴν τῷ ποιητῇ καὶ Θεῷ παρατίθεται· ἣν ἀσωμάτων δυνάμεις θεοπρεπῶς ὑποδέχονται· καὶ πρὸς ζωὴν μετατίθεται ἡ ὄντως μήτηρ τῆς ζωῆς, ἡ λαμπὰς τοῦ ἀπροσίτου φωτὸς, ἡ σωτηρία τῶν πιστῶν, καὶ ἐλπὶς τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

b) Antholog. die V. Decembris Ode δ'. pag. 166. col. 2. D. Νεοθαλὴς ἀθανασίας παράδεισος καὶ ὡραῖος ὄντως ἀναδέδειξαι ξύλον ζωῆς ἐν σοὶ φυτευθὲν θεαρχικωτάτως κυοφοροῦσα καὶ τίκτουσα τὸ πᾶσιν ἀποστάζον ζωηφόρους ἐλπίδας τοῖς πιστῶς, Θεοτόκε, φρονοῦσί σε.

c) Triod. pag. 166. apud Mai Spicileg. rom. T. IV. Ἐν γυναιξὶ σὺ μόνη ὡραιώθης, ὦ ὑπερθαύμαστε ἁγνὴ, τὸν ὡραιότατον λόγον ἀποκυήσασα τὸν ὑπὲρ πάντας φανέντα βροτοὺς ὡραῖον.

d) Theotoch. pagg. 88-160. Ⲥⲟⲗⲟⲙⲱⲛ ⲙⲟⲩϯ ⲉⲣⲟ ϧⲉⲛ ⲡⲓϫⲱ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓϫⲱ, ϫⲉ ⲧⲁⲥⲱⲛⲓ, ⲟⲩⲟϩ ⲧⲁϣⲫⲉⲣ, ⲧⲁⲡⲟⲗⲓⲥ ⲙ̀ⲙⲏⲓ Ⲓⲉⲣⲟⲩⲥⲁⲗⲏⲙ.

Digitized by Google

nitus praedestinata ut esset inconfusae unitionis habitaculum. Dicitur IV. *anima inviolata, quaeque virginitatem non minus animae quam corporis sincerissimam custodierit*. Dicitur V. *mulierum pulcherrima et pulcra pulcritudine Unigeniti quem carne vestivit*. Dicitur tandem VI. *sola inter mulieres speciosa, quod speciosum super omnes mortales in lucem ediderit*. Haec autem quemadmodum deferendam Virgini ostendunt pulcritudinem intaminatam, pulcritudinem perfectissimam, quaeque apicem creatae pulcritudinis attigerit; sic illam non minus a ceteris mortalibus seiungunt, quam cum Sponso et Filio pulcritudine et puritate coniunctissimam demonstrant.

669. Eodem referuntur maiorum commentarii ac sententiae. Et eodem inprimis referuntur quae de Virgine Proclus [a]) testatur inquiens: « Haec primogenita illa iugi expers ac rufa vitula, cuius [1]) cinis, Domini scilicet corpus ex ea assumptum, inquinatos ab omni peccatorum lue emundat. Haec pulcra [2]) canticorum Sponsa, quae veterem exuit tunicam, lavitque legales pedes, et Sponsum immortalem in suo ipsius thalamo reverenter suscepit. » Eodem referuntur [b]) quae Cyrillus alexandrinus scribit: « Salve Maria res totius orbis pretiosissima: salve Maria [3]) columba inviolata: salve Maria lampas inexstinguibilis. Ex te enim natus est sol iustitiae. Salve Maria locus eius qui loco non capitur. » Eodem haec referuntur [c]) ex Iohanne damasceno: « Ave proprie et vere Deipara, tremenda hominibus cum Deo copula, per quam coniuncta terrenis caelestia

a) Orat. VI. de Deiparae laudibus §. XVII. pag. 645. B-C. apod Gallandium T. IX Αὕτη ἡ πρωτότοκος ἄζυξ, καὶ πυῤῥὰ δάμαλις, ἧς ἡ σποδὸς, τὸ ἐξ αὐτῆς ληφθὲν τοῦ κυρίου σῶμα, τοὺς κεκοινωνημένους ὑπὸ τοῦ μολυσμοῦ τῆς ἁμαρτίας καθαρίζει· αὕτη ἡ καλὴ τῶν ᾀσμάτων νύμφη, ἡ τὸν παλαιὸν χιτῶνα ἀποδυσαμένη, καὶ τοὺς νομίμους πόδας ἀποπλυναμένη, καὶ μετὰ αἰδοῦς τὸν ἄφθαρτον νυμφῶνα ἐν τῷ αὐτῆς ταμιείῳ ὑποδεχομένη.

b) Encomium in Deiparam lectum in ephesina synodo, col. 380. D. opp. T. V. P. II. Χαίροις Μαρία τὸ κειμήλιον τῆς οἰκουμένης· χαίροις Μαρία ἡ περιστερὰ ἡ ἀμίαντος· χαίροις Μαρία ἡ λαμπὰς ἡ ἄσβεστος· ἐκ σοῦ γὰρ ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης γεγέννηται· χαίροις Μαρία, τὸ χωρίον τοῦ ἀχορήτου.

c) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 856. E. Χαῖρε θεοτόκε κυρίως καὶ ἀληθῶς, τὸ πρὸς θεὸν ἀνθρώποις φρικτὸν συναπτήριον, δι' ἧς τὰ οὐράνια τοῖς ἐπὶ γῆς ἥνωνται, θεῷ τὰ ἀνθρώπου, καὶ ἀνθρώπῳ τὰ θεοῦ ἀντανίσχουσα· χαῖρε παστὰς ἡ παρθενίας ἐγερθεῖσα κάλλεσι τῷ λέγοντι ἐν ᾄσμασιν· εἰσῆλθον εἰς κῆπόν μου, ἀδελφή μου νύμφη.

1) Hebr. IX. 13.
2) Cant. V. 3.
3) Cant. V. 2.

et humana Deo, vicissimque homini rependens divina. Ave thalamus virginitatis pulcritudinibus illi exstructus qui [1]) in canticis dicit: *introivi in hortum meum, soror mea sponsa.* » Et rursum de assumpta loquens Deipara [a]) ait: « Hodie Eden novi Adami rationalem paradisum suscipit, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum vitae, in quo operta fuit nostra nuditas. Non enim amplius sumus nudi et vestibus carentes, tamquam divinae imaginis splendore destituti, uberrimaque Spiritus gratia spoliati. Non iam veterem nuditatem deplorantes [2]) dicemus: exspoliavi me tunica mea, quomodo ea induar? In hunc enim paradisum serpenti aditus non patuit; cuius falsae divinitatis cupiditate flagrantes [3]) iumentis sumus comparati. Ipse enim unigenitus Dei Filius, quum Deus esset eiusdemque ac Pater substantiae, ex hac virgine ac pura terra seipsum in hominem formavit: atque ego quidem qui homo eram, deitatem accepi, et qui mortalis eram, immortalitate sum donatus, pelliceasque tunicas exui: abiecta siquidem corruptione, incorruptione indutus sum, accepto deificationis integumento. »

670. Quibus haec respondent quae [b]) Tarasius tribuit Zachariae

a) Orat. I. in Deiparae assumpt. §. II. pag. 869. C-E. Σήμερον ἡ Ἐδὲμ τοῦ νέου Ἀδὰμ τὸν λογικὸν παράδεισον ὑποδέχεται, ἐν ᾧ τὸ κατάκριμα λέλυται, ἐν ᾧ τὸ τῆς ζωῆς ξύλον πεφύτευται, ἐν ᾧ ἡ ἡμετέρα περιέσταλται γύμνωσις· οὐκέτι γὰρ ἡμεῖς γυμνοὶ καὶ ἀνείμονες, καὶ τῆς θείας εἰκόνος μὴ φέροντες τὴν λαμπρότητα· καὶ τὴν ἄφθονον χάριν σεσυλημένοι τοῦ πνεύματος, οὐκέτι τὴν παλαιὰν τραγῳδοῦντες γύμνωσιν λέξομεν· ἐξεδυσάμην τὸν χιτῶνά μου, πῶς ἐνδύσομαι αὐτόν; ἐν τούτῳ γὰρ ὁ ὄφις οὐκ ἔσχε παρείσδυσιν, οὗ τῆς ψεύδους ὀρεχθέντες θεώσεως, τοῖς ἀνοήτοις συμπαρεβλήθημεν κτήνεσιν· αὐτὸς γὰρ ὁ τοῦ θεοῦ μονογενὴς υἱὸς, θεὸς ὢν, καὶ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, ἐκ ταύτης τῆς παρθένου καὶ καθαρᾶς ἀρούρας ἑαυτὸν πεπλαστούργηκεν ἄνθρωπον· καὶ τεθέωμαι μὲν ὁ ἄνθρωπος, ὁ θνητὸς ἠθανάτισμαι, καὶ τοὺς δερματίνους χιτῶνας ἐνδέδυμαι· τὴν γὰρ φθορὰν ἀπημφίασμαι, περίκειμαι τῇ περιβολῇ τῆς θεότητος.

b) Orat. in Deiparae praesent. Ὁ ἱερεὺς, ὡς προφήτης θεοῦ, καὶ τὰ τῶν ἁγίων ἅγια ἐν μεθέξει θεοῦ κατέχων, ὁρῶν τῆς παρθένου τοῦ ὄμματος τὴν καλλονὴν, τοῦ προσώπου τὸ ὡραῖον, τῆς γλώττης τὴν αἴνεσιν, τῆς ψυχῆς τὴν εὐγένειαν, τοῦ βίου τὸ ἄμεμπτον, τῶν ποδῶν τὸ βάδισμα, τὴν καταστολὴν τοῦ ἤθους, τοῦ σχήματος τὴν εὐπρέπειαν, πνεύματος ἁγίου πλησθεὶς ἐξεβόησεν· ὦ κόρη ἀμίαντε, ὦ παρθένε ἀμόλυντε, ὦ νεανὶς πάγκαλλε, ὦ γυναικῶν ἀγλάϊσμα, ὦ θυγατέρων καλλώπισμα, ὦ μῆτερ παρθένε ἁγία· σὺ εὐλογημένη ἐν γυναιξί· σὺ δεδοξασμένη τῇ ἁγνείᾳ· σὺ ἐσφραγισμένη τῇ παρθενίᾳ· σὺ τοῦ Ἀδὰμ τῆς κατάρας ἡ λύσις· σὺ τῆς Εὔας τοῦ ὀφλήματος ἡ πλήρωσις.

1) Cant. V. 1.
2) Cant. V. 3.
3) Ps. XLVIII. 10.

Digitized by Google

Deiparam excipienti: « Sacerdos ut Dei propheta, quique tenens sancta sanctorum particeps Dei erat, intuens in Virgine [1]) oris elegantiam, formae pulcritudinem, linguae modestiam, animi nobilitatem, vitae inculpatum decus, pedum incessum, compositam ingenii indolem, decentiam habitus, afflatu sancti Spiritus concepto exclamavit: o puella immaculata, o virgo impolluta, o adolescentula venustissima, o mulierum ornamentum, filiarum splendor, o mater virgo sancta, tu benedicta inter mulieres, tu celebrata propter innocentiam, tu obsignata propter virginitatem, tu maledictionis Adam expiatio, tu debiti Evae solutio. » Atque haec item respondent quae [a]) Iohannes euboeensis scribit: « Vere beati ac ter beati Ioachim et Anna; sed infinite beatior neptis et filia David, quae e femore et sinu vestro prodiit. Vos enim terra estis, haec autem caelum: vos terreni, per ipsam vero terreni fiunt caelestes. Beati vere [2]) vos quia vidistis quod videre Moyses non potuit: desideravit pulcritudinem filiae vestrae. » De qua pulcritudine Matthaeus cantacuzenus [b]) enarrans [c]) verba, *aperi mihi soror mea, propinqua mea, columba mea, perfecta mea,* scribit: « Tamquam ex persona unigeniti Filii dicit, *aperi mihi soror mea, propinqua mea,* quae me videlicet secundum carnem paries. *Columba mea, perfecta mea,* purissimum meum perfectissimumque vehiculum. »

671. Quare auctor homiliae de beatae Virginis nativitate, sive is [3]) fuerit Alcuinus anglus, sive [4]) Paulus diaconus cognomento Winfridus, sive alius quivis non tamen seculo octavo recentior, Deiparam alloquens scripsit: « Et recte quidem aurorae implesti of-

a) Orat. in Deiparae praesent. Ὄντως μακάριοι καὶ τρισμακάριοι Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα· μυριονταπλασίονα μακαριωτέρα ἡ ἀπόγονος καὶ θυγάτηρ Δαυίδ, ἡ ἐξ ὀσφύος καὶ γαστρὸς ὑμῶν προερχομένη· ὑμεῖς γὰρ γῆ ἐστε, αὕτη δὲ οὐρανός· ὑμεῖς χοϊκοί, δι' αὐτῆς δὲ χοϊκοὶ ἐπουράνιοι· μακάριοι ἀληθῶς ὑμεῖς, ὅτι (εἴδετε) ὃ Μωϋσῆς ἰδεῖν οὐκ ἐδυνήθη· ἐπεθύμησεν τοῦ κάλλους τῆς ὑμῶν θυγατρός.

b) In Cant. V. 2. pag. 37. Ὡς ἀπὸ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ, φησιν· ἄνοιξόν μοι ἀδελφή μου, ἡ πλησίον μου· ἡ ἐμὲ δηλονότι κατὰ σάρκα τεξομένη· περιστερά μου, τελεία μου· τὸ καθαρώτατον ἐμοὶ καὶ ὑπερτελὲς ὄχημα.

c) Cant. V. 2. Ἄνοιξόν μοι ἀδελφή μου, ἡ πλησίον μου, περιστερά μου, τελεία μου.

1) Cant. V. 2. coll. IV. 1-6.

2) Matth. XIII. 16-17.

3) Cf. Petri Alva biblioth. virginal. Tom. I. pag. 631.

4) Cf. Labbeum de Scriptt. ecclesiast. ab anno Domini 700. ad 800. de Paulo diacono an. 774. et de Alcuino an. 780.

Digitized by Google

ficium. Ipse enim sol iustitiae de te processurus ortum suum quadam matutina irradiatione praeveniens, in te lucis suae radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum quas Eva induxerat, in fugam convertit. Tu pulcra es ut luna, imo et pulcrior luna, quia tota pulcra es, et macula non est in te neque [1]) vicissitudinis obumbratio. » Rupertus vero tuitiensis [2]) postquam hoc explanavit [3]) incisum, *ego dormio et cor meum vigilat,* oratione ad Deiparam conversa exclamat: « Sed o tu caelum Dei, unica sedes Domini in utroque vigilantiae modo cunctis mortalibus sive terrenis hominibus longe eminentior exstitisti, longe studiosior ad contemplandum eum iu quo desiderant angeli prospicere, atque aptior fuisti. Quid ergo tu cum hominibus quamvis sanctis? Quid tu loqui vel conversari cum mortalibus quamvis apostolis? » Et adductis [4]) verbis, *aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea,* continuo [5]) subdit: « Soror mea per fidem, amica mea per spem, columba mea per caritatem, immaculata per omnimodam mentis et corporis incorruptionem. »

672. Patres igitur scriptoresque ecclesiastici non modo testes sunt locupletes, quintum cantici caput ad Virginem scite accommodari; sed praeterea, quod multo ad rem nostram propius spectat, occasionem ex eo capite sumunt docendi I. Virginem esse *absolute pulcram, pulcherrimam, mulierum venustissimam, omnibus licet sanctissimis sanctiorem et beatissimis infinite beatiorem, ac prorsus universitatis rerum singulare cimelium.* II. Virginem esse *columbam immaculatam per omnimodam mentis et corporis incorruptionem;* ita ut quemadmodum corpore fuit *semper virgo,* ita mente fuerit *semper pura.* III. Virginem esse *hortum Unigeniti, spiritalem paradisum, in quo nostra fuit operta nuditas, et in quem nullus serpenti aditus patuit.* IV. Esse *puram* Unigeniti *terram celebratam propter innocentiam, dignam quae vitae lignum aleret, suoque fructu debitum per Evam contractum solveret.* V. Virginem *ad reliquum hominum genus haud aliter referri ac caelum referatur ad terram, et caeleste ad terrenum.* VI. Virginem, *utpote tremendam hominum cum Deo copulam, fuisse praeventam irradiatione lucis, quae ex*

1) Iacob. I. 17.
2) In Cant. lib. V. pag. 42. col. 1. C-D.
3) Cant. V. 2.
4) Cant. V. 2.
5) Ibid. pag. 42. col. 2. B-C. His adde quae eadem mente geminisque verbis docet Irimbertus abbas admontensis in Cant. V. 1. pag. 398. apud Pezium in Thesaur. anecdolt. T. II. P. I.

Digitized by Google

iustitiae sole dimanans Evae tenebras dissipavit. Tandem VII. Virginem *cum Christo atque Deo splendidissime comparari:* cum Christo quidem, *quando et ipsam et eius pulcritudinem prophetae cupidissime exoptarint:* cum Deo autem, *quando et ipsa semper illuxerit, nullasque vicissitudines obumbrationis subierit.*

ARTICULUS VI.

De sexto Cantici capite, deque Sponsae dotibus atque ornamentis in eo recensitis: solemnis Ecclesiae usus quo haec omnia ad Virginem accommodantur: quae inde Deiparae species exsistat, quam perfecta et a quovis culpae naevo soluta: expolitur commentariis sententiisque maiorum: et praerogativa immaculati conceptus nova luce perfunditur.

673. Ditissimum est sextum cantici caput, et Sponsae laudibus praeconiisque refertissimum. Sicut enim non pauca ex superioribus decerpta capitibus in eo repetuntur; ita neque pauca adduntur prorsus nova, quaeque ad perficiendam absolvendamque Sponsae formam egregie conducunt. Illa nos vel omnino seponemus, vel paucissimis delibabimus: in his autem paullo insistemus diligentius prolixiusque immorabimur.

674. Itaque I. duo ex praecedentibus arcessita recoluntur, quorum altero Sponsa exhibetur tamquam *dilecti hortus et aromatum areola:* altero *mutua Sponsae et Sponsi eademque penitissima coniunctio* declaratur. Ad illud haec [1]) pertinent *dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis et lilia colligat.* Ad posterius ista [2]) referuntur: *ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.*

Sequitur II. descriptio Sponsae eaque [3]) ita comparata ut splen-

1) Cant. VI. 2. Hortus, hebraice גַּנָּ a גָּנַן *protegere, munire*, proprie denotat hortum non olerum, sed vel florum vel fruticum pretiosorum, quibus tutandis murus vel lapideus vel cratitius aut etiam viva sepes circumducitur. Areolae hebraice sunt עֲרוּגֹת, apud Alexandrinos φιάλαι, et apud Aquilam πρασιαί. Sunt autem Hesychio πρασιαί, αἱ ἐν τοῖς κήποις τετράγωνοι λαχανιαί, οἷον πρασιαί διά τὸ ἐπὶ πέρας τῶν κήπων, *quadrangula in hortis viridaria, ita dictae quod sint in extrema parte hortorum.* Sed forte melius a viridi colore deduxeris, quum πράσιον sit Graecis quod Latinis *viridarium*.

2) Cant. VI. 3. Hebraice, אֲנִי לְדוֹדִי וְדוֹדִי לִי, ubi *lamed servile* indicium est *possessionis*, et Latine incisum apte vertitur, *ego sum dilecti mei, et dilectus meus est meus.*

3) Cant. VI. 4. In textu pro *suavis* habetur כְּתִרְצָה, ubi littera servilis *caph* idem valet ac pe-

Digitized by Google

didior desiderari nequeat: *pulcra es amica mea, suavis et decora sicut Ierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Quae vero III. quantaque fuerit Sponsae species atque venustas, iterum *ex effectu* Sponsus significat [1]) inquiens: *averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.*

Ceterum IV. ferme ista nondum sufficerent, ad comparationes se recipiens Sponsus [2]) pergit: *sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae, electa genitrici suae.*

Quum vero V. talis esset Sponsa, propterea [3]) *viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt: reginae et concubinae et laudaverunt eam.*

Et erat sane VI. cur Sponsam tantopere celebrarent, ad illam namque sequentia [4]) pertinent: *quae est ista quae progreditur quasi*

nes Alexandrinos ὡς, et penes Aquilam κατά. Symmachus et Vulgatus aut illam non legerunt, aut putarunt esse *caph veritatis*, cuiusmodi est illud Ioh. I. 14. *quasi Unigeniti*. Porro תִּרְצָה a רָצָה *gratum esse* vel *acceptum habere*, Alexandrini εὐδοκία *beneplacitum*, Symmachus εὐδοκητή *accepta*, quinta editio εὐδοκῶ *placet mihi*, convertunt. Insequens vox *terribilis* hebraice est אֲיֻמָּה: quum vero eius loco Alexandrini habeant θάμβος, idest, Hesychio enarrante, θαῦμα *admiratio*, *stupor*, videntur legisse אֵיבָה. Sequitur forma plurali כַּנִּדְגָּלוֹת, *sicut acies instructae*.

1) Cant. VI. 5. Hebraicum הִרְהִיבֻנִי ab רָהַב pro sua forma hiphil apte redditur *me vanescere fecerunt*.

2) Cant. VI. 8-9. Concubinae in textu dicuntur פִּילַגְשִׁים, quod nomen Elias Levita ex פֶּלֶג *dimidium* et אִשָּׁה *uxor*, quasi dicas *dimidium uxoris*, Graecis ἡμίγαμος, factum putat. Inde Graecorum παλλακή et Latinorum *pellex* originem mutuantur. Quamquam honestius erat apud Hebraeos *concubinae* quam *pellicis* nomen. Quae a Vulgato appellantur *adolescentulae*, in textu audiunt עֲלָמוֹת, proprie *virgines*. Sicuti autem inciso, *una est columba mea*, in textu respondent verba, אַחַת הִיא יוֹנָתִי, *unica illa columba mea*: et sicuti inciso, *perfecta mea*, in textu respondet תַמָּתִי, *omnibus expleta numeris et immaculata mea*; ita pro insequentibus, *una est matri suae, electa genitrici suae*, in textu habetur, אַחַת הִיא לְאִמָּהּ בָּרָה הִיא לְיוֹלַדְתָּהּ, *unica ipsa matri suae, munda ipsa genitrici suae*. Est enim בָּרָה a בָּרַר, *selegit, purgavit*; unde בַּר Alexandrini reddunt καθαρός *purus*, *mundus*.

3) Cant. VI. 8. Pro incisis, *et beatissimam praedicaverunt et laudaverunt eam*, in textu legitur וַיְאַשְּׁרוּהָ וַיְהַלְלוּהָ, *et beatam celebrarunt eam, et laudaverunt eam*. Alexandrini utuntur futuris μακαριοῦσιν καὶ αἰνέσουσιν.

4) Cant. VI. 10. Verba Vulgati, *quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens*, hebraice sic habent: מִי־זֹאת הַנִּשְׁקָפָה כְּמוֹ־שָׁחַר *quae ista quae prominet quasi aurora*. Etenim שָׁקַף est *ex alto prospicere*, ἐκκύπτειν, βλέπειν, κατιδεῖν. Porro quae sequuntur, *pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*, in textu sunt huiusmodi: יָפָה כַלְּבָנָה בָּרָה כַּחַמָּה אֲיֻמָּה כַּנִּדְגָּלוֹת, *pulcra ut luna, clara ut sol, terrifica ut acies instructae*. Symmachus postremum membrum reddit, ἔκφοβος μετὰ στίφους, *terribilis cum globo militum*, proindeque legit בְּנִדְגָּלִים non כַּנִּדְגָּלֹת.

Digitized by Google

aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

675. His igitur veluti membris integra Sponsae effigies coalescit. Illius suavitas tanta est, quanta ne e viridariis quidem et aromatum areolis dimanat. Illius pulcritudo et decus omnes explent numeros, Sponsum extra se rapiunt, et cum Sponsa penitissime devinciunt. Immo illius venustas est unica, pulcritudo singularis, splendor incredibilis, ita ut prorsus referat non minus lunae pulcritudinem quam solis claritatem. Tandem sic est omni ex parte communita, hostibus inaccessa atque eisdem terrifica, ut cum aciebus instructis expeditisque suo merito comparetur. Huc redit Sponsae effigies in sexto Cantici capite pluribus adumbrata et ad vivum expressa.

676. Iamvero in hac effigie non alias nisi ultimas partes obtinent eiusdem a maculis immunitas et a naevo quovis integritas: quod enim maxime in ea emicat, hinc quidem est pulcritudo illius unica, inde vero perfectio summa, puritas incredibilis, nitor solis aemulus et aciei instructissimae robur in hostes. Si haec igitur ipsissima sit Deiparae effigies, ac prae omnibus Deiparam verissime repraesentet; immaculatus conceptus et innocentia cuiusvis semper exsors labis inter eiusdem decora atque ornamenta omuium minimum existimabitur. Sed est ne effigies Deiparae, et ea quidem effigies quae illi adamussim respondeat? Huic interrogationi occurrit ecclesia, et tanta perspicuitate occurrit, ut omnem funditus dubitationem praecidat. In publicis enim iisdemque solemnibus [1]) Deiparae Officiis ad sextum cantici caput se frequentissime recipit, atque ex eo mutuos sumit colores quibus Virginis speciem depingat, et mutuas sumit formulas quibus Virginis dotes celebret atque praerogativas extollat. Novimus itaque Ecclesiae iudicium atque ex comperta eiusdem mente intelligimus, non modo Virginem esse pulcram et omnium pulcherrimam, sed esse unice pulcram: non modo esse puram et purissimam, sed unice puram et lunae solisque fulgoribus splendentem: non modo hostibus numquam cessisse, sed illis non secus ac instructissimas acies semper fuisse terrificam.

677. Quorum omnium multiplex atque insignissima confirmatio praesto ex iis est quae ecclesiasticis libris, maiorumque commen-

1) Liturg. mozarab. in vig. et festo nativit. Deiparae, Offic. in festo immac. conceptionis, respons. in festo visitationis, Antiph. in Officio assumptionis, et Antiph. in comm. Offic. beatae Virginis.

tariis atque operibus consignata reperiuntur. Et ecclesiasticis quicem libris haec ex Iosepho [a]) consignata reperimus: « Solam te inter mulieres pulcritudine speciosam inveniens Christus, o puella, incarnatus processit ex utero tuo, divina pulcritudine decorans genus nostrum; quamobrem te veneramur. » Tum [b]) haec: « Tamquam aurora pulcherrima e visceribus tuis, o Domina viri nescia, educis Iesum illuminationem omnium et Deum, qui idololatriae noctem splendoribus non occiduis imminuit et mundum illuminat. » Atque haec [c]) rursum: « In te, tamquam imber descendit abyssus sapientiae Iesus, quum te solam puram innvenisset, o Deipara Virgo, et gravissimos impietatis torrentes cohibuit. » Itemque [d]): « Apparuisti oriens solis iustitiae, o penitus immaculata, quem exora ut illos servet qui te instanter glorificant. » Consentiunt quae [e]) subdimus: « Hymnis, o pura mater, te magnificamus, quam David melodus Sionem praenunciavit, ubi commoratus est quem caeli capere non possunt, et ex carne tua mundi propitiatorium construxit. » Neque haec minus ex Iohanne damasceno [f]) consentiunt: « Tu, o summe colenda Dei mater, inventa es in vitae huius nocte tamquam aurora matutina, virginitatis radiis circumfulgens, nobisque ortum spiritalis solis iustitiae praenuncians. » Quibus gemina haec sunt [g]) ex An-

a) Men. die X. Decembris Odo γ'. pag. 81. col. 1. B. Μόνην ἐν γυναιξί σε τὴν ὡραίαν τῷ κάλλει εὑράμενος, σωματοφόρος ἐκ γαστρός σου προελήλυθε, κόρη, Χριστὸς θείαις ὡραιότησι καταφαιδρύνας τὸ γένος ἡμῶν· ὅθεν σὲ γεραίρομεν.

b) Men. die XXII. Augusti Ode α'. pag. 124. col. 1. D. Ὡς ὄρθρος εὐπρεπὴς, ἐκ λαγόνων ἀνίσχεις Ἰησοῦν τὸν φωτισμὸν ἁπάντων καὶ θεὸν, ἀπειρόγαμε δέσποινα, νύκτα τῆς πολυθεΐας ἐκμειοῦντα ταῖς λάμψεσιν ἀνεσπέροις, καὶ κόσμον φωτίζοντα.

c) Ibid. Ode δ'. pag. 125. col. 1. E. Ἐπί σε, καθάπερ ὄμβρος, τῆς σοφίας ἡ ἄβυσσος, Ἰησοῦς κατῆλθε, μόνην καθαράν σε εὑράμενος, θεογεννῆτορ παρθένε, καὶ κατέκλυσεν ἀσεβείας χειμάῤῥους δεινοὺς θείᾳ χάριτι.

d) Men. die XXVII. Septembris Odo ε'. pag. 175. col. 2. A. Ἀνατολὴ ἐδείχθης δικαιοσύνης ἡλίου, πανάμωμε· ὃν ἱκέτευε σῶσαι τοὺς εἰλικρινῶς σε δοξάζοντας.

e) In vêt. Offic. quadrages. Fer. VI. Hebd. III. Ieiun. pag. 266. Σὲ, ἣν Δαβὶδ ὁ μελῳδὸς προεκήρυξε Σιὼν, ἐν ᾗπερ κατῴκησεν ὁ οὐρανοῖς ἀχώρητος, καὶ ἀνῳκοδομήσατο ἐκ τῆς σαρκός σου κόσμου ἱλαστήριον, ὕμνοις, μήτηρ ἁγνὴ, μεγαλύνομεν.

f) Men. die XI. Ianuarii Ode θ'. pag. 106. col. 1. A. Ὡς ὄρθρος εὑρέθης πρωϊνὸς ἐν τῇ τοῦ βίου νυκτὶ, παρθενίας ἀκτῖσι περιαστράπτουσα, τὴν ἀνατολὴν τοῦ ἡλίου τοῦ νοητοῦ τῆς δικαιοσύνης ἡμῖν φανερώσασα, θεομῆτορ πανσεβάσμιε.

g) Antholog. in Acoluthia τῆς ὅλης ἑβδομάδος, Ode ε'. pag. 96. col. 1. B. Ἡ καλὴ καὶ ἄμωμος, ἁγνὴ ἐν γυναιξὶ, τὴν ταλαίπωρόν μου ψυχὴν ἐμπαθῶν ὀρέξεων νῦν ἐλευθέρωσον, καὶ ἁγνῶς βιῶσαί με μεσιτείαις σου εὐόδωσον.

Digitized by Google

thologio: « Pulcra et immaculata, innocens in mulieribus, miseram animam meam ab impetu cupiditatum nunc libera, et tuis intercessionibus mihi praebe ut innocenter vivam. » Et [a]) iterum: « Sion electa, civitas regis me civem una cum divinis discipulis effice supernae civitatis, exorans, o inviolata Virgo, sempiternum Filium tuum. »

678. In more igitur penes graecam ecclesiam fuit, ut sextum cantici caput ad Deiparam accommodaret, neque accommodaret solum, verum etiam ex eo colligeret spectari Virginem oportere I. *veluti Sion et Sion electam, dignamque Deo habitationem:* II. *veluti auroram et auroram pulcherrimam in huius vitae nocte obortam, quamque omnium illuminatio Iesus exceperit:* III. *veluti mulierum speciosissimam, innocentissimam, immaculatissimam:* IV. *veluti solam, quam Unigenitus speciosam invenerit, et eo usque speciosam, ut ex ea incarnatus processerit:* et V. *veluti solam, quam Unigenitus puram viderit, solam quam dignam habuerit in quam ceu sapientiae abyssus descenderet, et veluti solam ex cuius carne propitiatorium mundi aedificaret.* Sed nemo haec cum originali praevaricatione conciliet: ac nemo haec ab omni naevo alienissima non arbitretur, praesertim si secum reputet quae Methodius, allatis [1]) verbis, *una est columba mea, perfecta mea,* continuo [b]) subdit: « Possit vero aliquis alio quoque modo, incontaminatam dominicam carnem Sponsam interpretari, cuius gratia relicto Patre huc descendit eique adhaesit, et homo factus in eam [2]) illapsus est. Una enim profecto, ut verbo dicam, labis expers et impolluta inventa est, cunctisque praecellens iustitiae pulcritudine atque decore; ut nemo

a) Ibid. Ode ζ'. pag. 100. col. 1. C. Σιὼν ἐκλεκτὴ, τοῦ βασιλέως πόλις, τῆς ἄνω πολίτην με ποίησον πόλεως μετὰ τῶν θείων μαθητῶν, δυσωποῦσα, ἄχραντε παρθένε, τὸν ἄχρονον υἱόν σου.

b) Conviv. decem virg. Orat. VII. §. VIII. pag. 713. A-C. apud Gallandium T. III. Δυνήσεται δέ τις ἑτέρως τὴν νύμφην φάναι τὴν σάρκα τὴν ἀμόλυντον τοῦ κυρίου, ἧς χάριν τὸν πατέρα καταλείψας κατῆλθεν ἐνταῦθα, καὶ προσεκολλήθη, καὶ ἐγκατέσκηψεν ἐνανθρωπήσας εἰς αὐτήν· μόνη γὰρ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἄσπιλος καὶ ἀμίαντος εὑρέθη, καὶ πάντας ὑπερέχουσα τῷ τῆς δικαιοσύνης κόσμῳ καὶ κάλλει· ὥστε μηδένα καὶ τῶν εἰς ἄκρον εὐαρεστησάντων τῷ θεῷ ταύτης δυνηθῆναι πέλας, ὡς πρὸς σύγκρισιν ἀρετῆς, στῆναι· καὶ διὰ τοῦτο κατηξιῶσθαι κοινωνὸν αὐτὴν γενέσθαι τῆς βασιλείας τοῦ μονογενοῦς, αὐτῷ καθηρμοσμένην τε καὶ ἐνωθεῖσαν.

1) Cant. VI. 7.

2) Allatius legit ἐγκατεσκήνωσεν, *habitavit.*

eorum qui vel summe Deo placuerunt, prope ad eam, si virtutis ratio ineatur, consistat. Quocirca [1]) merito in consortium regni Unigeniti adscita est, illo sibi eam adaptante atque uniente. »

679. Sed iam ad eos venio maiorum commentarios easque sententias, quibus opportuniores ne in votis quidem haberi posse videantur. Sane vulgatus Origenes idemque priscus auctor [2]) Homiliarum in diversos Matthaei et Iohannis locos scribit: « Huius itaque unigeniti Dei dicitur haec mater virgo Maria, digna Dei, immaculata sancti immaculati, una unius, unica unici. » De qua [a]) Methodius inquit: « Beata tu in mulierum generationibus, a Deo beatissima: nam per te impleta est terra divina illa Dei gloria, sicut etiam canitur [3]) in psalmis: benedictus Dominus Deus Israel, et replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat. Et elevatum est, inquit [4]) propheta, superliminare a voce qua clamabant: quo significatur Templi velum inumbrans coram arca Testamenti, quae te praesignabat. » Et [b]) mox: « Te enim, sanctissima, tamquam die clarissima mundo affulgente, solemque illum iustitiae producente,

a) De Symeone et Anna §. V. pag. 809. B-D. apud Gallandium T. III. *Μακαρία σὺ ἐν γενεαῖς γυναικῶν θεομακάριστε, ὅτι διά σου ἐπληρώθη ἡ γῆ τῆς θείας δόξης τοῦ θεοῦ, ὡς καὶ ἐν ψαλμοῖς ᾄδεται· εὐλογητὸς κύριος ὁ θεὸς Ἰσραὴλ, καὶ πληρωθήσεται τῆς δόξης αὐτοῦ πᾶσα ἡ γῆ· γένοιτο, γένοιτο· καὶ ἐπήρθη, φησὶ, τὸ ὑπέρθυρον ἀπὸ τῆς φωνῆς ἧς ἐκέκραγον· ὃ σημαίνει τοῦ ναοῦ τὸ καταπέτασμα, τὸ συσκιάζον κατὰ πρόσωπον τῆς προτυπωσάσης σε κιβωτοῦ διαθήκης.*

b) Ibid. §. V. pag. 809. D-E. *Σοῦ γὰρ τῆς παναγίας ὡς φωταυγοῦς ἡμέρας ἐπιφανείσης τῷ κόσμῳ, καὶ τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον προαγαγούσης, ἐκποδὼν μὲν γέγονε τὰ τοῦ σκότους στυγνηρά· φροῦδος δὲ καὶ ὁ τύραννος· κατέστη, καὶ διόλωλε μὲν θάνατος, κατεπόθη δὲ καὶ ὁ ᾅδης, καὶ πᾶσα ἡ ἔχθρα κατελύθη πρὸ προσώπου τῆς εἰρήνης· νόσοι δὲ φθοροποιοὶ ἄποθεν ἔστησαν τῆς σωτηρίας προκυψάσης, καὶ φωτὸς ἀνάπλεως γέγονεν ἡ ὑπ' οὐρανὸν, τῆς ἀκραίφνους ἀληθείας· ἅτινα προοιμιάζων ἐν τοῖς ᾄσμασιν ἔλεγεν ὁ Σαλομών· ἀδελφιδός μου ἐμοὶ, κᾀγὼ αὐτῷ, ὁ ποιμαίνων ἐν τοῖς κρίνοις, ἕως οὗ ἡ ἡμέρα διαπνεύσῃ, καὶ κινηθῶσιν αἱ σκιαί.*

1) « Quod Methodius, *monet in subiecta adnotatione Combefisius*, singulari ea sanctitate at iustitia, κατηξιῶσθαι dicit κοινωνὸν γίνεσθαι τῆς βασιλείας τοῦ μονογενοῦς, *meruisse consortem fieri regni Unigeniti*, aegre a nestorianis furfuribus vindicari possit, et unione honoraria, non κατὰ φύσιν et ὑπόστασιν, qua homo consecratus in Dei filium ab ipso momento creati animi, et Deus factus homo; non ullis meritis aut profectu eo provectus ille homo, ut Dei filius eiusque regni consors diceretur. Comes igitur et quasi affectus divinae illius unionis fuit omnis illa Christi hominis iustitia et sanctitas, non eius ratio ob quam meruit illam adipisci. » Videlicet omnia turbat Combefisius, meritum morale cum decentia assumptae naturae commiscet, et congruum improbat Deiparae meritum quod patres et theologi uno ore profitentur.

2) Hom. I. pag. 274. col. 1. E.

3) Ps. LXXI. 18.

4) Is. VI. 4.

odiosus tenebrarum horror depulsus est, tyranni potentia facta irrita, mors destructa, infernus absorptus, inimicitia omnis ante pacis conspectum dissoluta, morbi noxii, salutis beneficio erumpente, procul omnes facessere iussi, universusque terrarum orbis veritatis clarissimae purissimaeque luce perfusus est. Ad quae Salomon [1]) in canticis alludens ita orditur: *dilectus meus mihi et ego illi, qui pascit in liliis donec respiret dies et dimoveantur umbrae.* »

680. Quid vero Ephraemus? et quid Hesychius et Modestus hierosolymitani? Prior Virginem compellans [a]) ait: « Tu sola Domina Dei genitrix es sublimissima super omnem terram. Nos autem te, Dei Sponsa, fide benedicimus, dilectione honoramus et honore colimus, semper te [2]) magnificantes ac venerandum in modum beatam praedicantes. Tu enim honor honorum es et praemium praemiorum, et sublimitatum sublimitas. » Et [b]) rursum: « Visibiles atque invisibiles hostes disperge, turris fortitudinis, armatura bellica, acies [3]) robusta et dux et propugnatrix invicta esto nobis indignis a facie inimicorum nostrorum. » Hesychius [c]) vero ubi praeconia enumerat Virgini delata, inter cetera scribit: « Iste cognominat eam matrem lucis: ille stellam vitae: alius Dei thronum appellat: alius templum maius caelo: alius cathedram non inferiorem cathedra cherubica: alius item hortum [4]) non seminatum, fertilem, non subactum, vitem uvarum feracem egregie florentem, intactam: turturem mundam, columbam [5]) impollutam, nubem citra corruptio-

a) Orat. ad Deiparam pag. 544. C-E. opp. graec. T. III. Σὺ μόνη δέσποινα Θεοτόκε ὑψηλοτάτη ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν· ἡμεῖς δὲ σέ, θεόνυμφε, πίστει εὐλογοῦμεν, ἀεί σε μεγαλύνοντες, καὶ σεπτῶς μακαρίζοντες· σὺ γὰρ τιμὴ τῶν τιμῶν, καὶ γέρας γέρων, καὶ ὑψωμάτων ὕψωμα.

b) Orat. ad Deiparam pag. 551. E. Τοὺς ὁρατοὺς καὶ ἀοράτους πολεμίους κατάλυσον· πύργος ἰσχύος, ὅπλα πολεμικά, παράταξις ἰσχυρά, καὶ στρατηγὸς καὶ πρόμαχος ἄμαχος γένου τοῖς ἀναξίοις ἡμῖν ἀπὸ προσώπου τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν.

c) Orat. de Deiparae laudibus pag. 421. C-E. in biblioth. pp. graeco-latin. Tom. II. Οὗτος αὐτὴν μητέρα φωτὸς ἐπονομάζει· ἐκεῖνος ἀστέρα ζωῆς· ἄλλος θρόνον προσαγορεύει Θεοῦ, ἄλλος ναὸν οὐρανοῦ μείζονα· ἕτερος καθέδραν τῆς τῶν χερουβικῶν καθέδρας οὐκ ἐλάττονα· ἕτερος πάλιν κῆπον ἄσπορον, εὔφορον, ἀγεώργητον, ἄμπελον εὔβοτρυν, εὐθαλῆ, ἀψηλάφητον, τρυγόνα καθαράν, περιστερὰν ἀμίαντον, νεφέλην τῶν ὑετῶν χω-

1) Cant. II. 16-17. coll. VI. 2.
2) Cant. VI. 8.
3) Cant. VI. 3-9.
4) Cant. VI. 1.
5) Cant. VI. 8.

nem pluvias concipientem, specimen cuius gemma sole splendidior, fodinam unde lapis non sectus prodit totam terram tegens, navem mercibus refertam neque indigam gubernatore, thesaurum locupletantem. » Conspirat [a]) Modestus a quo Deipara dicitur *sola inter mulieres* [1]) *benedicta virgo mater;* neque hoc solum titulo ornatur, sed de ipsa in caelos evecta [b]) additur: « Atque ibi perfectus est intelligibilis [2]) lunae, iuxta Prophetam, supermundanus cursus, ex qua conceptus est unus sol e triplici consubstantialis Trinitatis sole, ut tradit paterna mysteriorum [3]) doctrina. » A quibus [c]) seiungi ista non debent: « Revera igitur ut luceret, demorata est in splendoribus solis iustitiae [4]) lucifera spiritalis aurora ab eo vocata, qui ex ipsa ortus mundum illuminavit. »

681. Accedunt Germanus constantinopolitanus et Anastasius antiochenus, quorum alter [d]) Gabrielem inducit Deiparam his verbis alloquentem: « A te deinceps audiet femineus sexus: avete feminae quae gaudendi principium suscepistis solam [5]) illam inter virgines gratia plenam, pulcram, immaculatam, sanctam, Dei genitricem Mariam. » At Germanus [6]) ita Virginem salutat: « Ave summi regis Dei sacroaedificatum, immaculatum, purissimumque palatium: quae induta es maiestate eius, quae nunc in aula Domini, in sancto nimirum eius templo fundaris: in qua spiritalis Sponsi non manufactus

ρὶς φθορᾶς συλλαμβάνουσαν· πήραν, ἧς ὁ μαργαρίτης τοῦ ἡλίου λαμπρότερος· μέταλλον ἐξ οὗ ὁ λίθος ὅλην καλύπτων τὴν γῆν, οὐδενὸς αὐτὸν λατομοῦντος προέρχεται· ὁλκάδα φορτίου γέμουσαν, καὶ κυβερνήτου μὴ χρήζουσαν, θησαυρὸν πλουτοποιόν.

a) Encom. in Deiparam pag. 15. Ἡ μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη παρθενομήτωρ.

b) Ibidem pag. 15. Κἀκεῖ τετέλεσται τῆς, κατὰ τὸν προφήτην, νοητῆς σελήνης ὁ ὑπερκόσμιος δρόμος, ἐξ ἧς ἐλήφθη ὁ ἥλιος εἷς ὢν τοῦ τρισηλίου τῆς ὁμοουσίου τριάδος, ὡς φησὶν ἡ πατρικὴ ἐκφαντορία.

c) Ibid. §. V. pag. 21. Τοίνυν ηὐλίσθη ἀληθῶς ἀναλάμψαι ἐν ταῖς τοῦ ἡλίου τῆς δικαιοσύνης λαμπρότησιν ἡ νοητὴ αὐτοῦ φαεσφόρος ἑώα, κληθεῖσα ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ἐξ αὐτῆς ἀνατείλαντος καὶ φωτίσαντος τὰ σύμπαντα.

d) Orat. II. in Deiparae annunciat. §. II. pag. 263. A-B. apud Gallandium Tom. XII. Ἀπό σου λοιπὸν τὸ θῆλυ γένος ἀκούσει· χαίρετε γυναῖκες, ἀρχὴν τοῦ χαίρειν λαβοῦσαι τὴν μόνην ἐν παρθένοις κεχαριτωμένην, τὴν καλὴν, τὴν ἄσπιλον, τὴν ἁγίαν, τὴν θεομήτορα Μαρίαν.

1) Cant. VI. 8.

2) Cant. VI. 9.

3) Gregorius nazianzenus Orat. XLII. p. 698. Trinitatem vocat φῶς τριλαμπές: Caesarius vero dialog. I. interrogat. III. nunc illam dicit τριδίσποτον φῶς, et nunc τρισαένναον κρήνην, *fontem tribus ostiis aeternum fluentem.*

4) Cant. VI. 9.

5) Cant. VI. 8.

6) Orat. I. in Deiparae praesentat. pagg. 52-53. edit. Maraccii.

et varietate speciosus est thalamus: in qua Verbum ut revocaret errantes, carnem sibi sponsavit, concilians eos qui sua sponte corruerant. Ave [1] nova Sion et sancta Ierusalem, sacra civitas magni regis Dei cuius in turribus ipse Deus cognoscitur, mediusque pertransit inconcussam servans, gentes commovens et reges prosternens ut [2] adorent gloriam tuam, et universum trahens ad celebrandam cum exsultatione solemnitatem tuae in templum profectionis. » Alibi vero [a] haec tribuit Gabrieli ubi Deiparam affatur: « Sub tuae misericordiae viscera humanum omne confugiet genus, luteaque omnis lingua [3] beatam te dicet, ac nomen tuum in omni generatione et generatione celebrabitur; quod per te Dominus, lumen illud mundi, sit nasciturus. » Tum [b] haec: « Christianorum omnium efficieris commune propitiatorium; ideoque rursum congruam tibi vocem acclamo, o gratia plena: Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. » Atque ista [c] demum: « Scrutatus diligenter Altissimus mundum universum, nec similem [4] tui matrem inveniens, omnino ut voluit, ut beneplacitum ipsius fuit, ex te sanctificata pro suo in homines affectu homo fiet.

682. His vero etsi praeclaris non minus insignia sunt quae [d] Iohannes damascenus habet exclamans: « O Virginis praerogativas

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 1434. A-B. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Ὑπὸ τὴν σὴν εὐσπλαγχνίαν καταφεύξεται πᾶν γένος ἀνθρώπων, καὶ πᾶσα γλῶσσα πηλίνη μακαρίσει σε· καὶ λαληθήσεται τὸ ὄνομά σου ἐν πάσῃ γενεᾷ, ὅτι διὰ τοῦ σοῦ κύριος τὸ φῶς τοῦ κόσμου μέλλει τίκτεσθαι.

b) Ibid. pag. 1434. C-D. Χριστιανῶν ἁπάντων γενήσῃ κοινὸν ἱλαστήριον· καὶ διὰ τοῦτο πάλιν ἐπιφθέγγομαί σοι τὴν πρέπουσαν φωνὴν, κεχαριτωμένη· ὁ κύριος μετά σου, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξί.

c) Ibid. pag. 1434. D-E. Ψηλαφήσας ὁ ὕψιστος ὅλον τὸν κόσμον, καὶ μὴ εὑρὼν ὁμοίαν σου μητέρα, πάντως ἐκεῖνος ὡς ἠθέλησεν, ὡς ηὐδόκησεν, ἐκ σοῦ τῆς ἡγιασμένης, ἄνθρωπος διὰ φιλανθρωπίαν γενήσεται.

d) Orat. I. in Deiparae dormit. §. VIII. pag. 863. C-E. Ὦ παρθενικῶν αὐχημάτων τῶν ὑπὲρ ἄνθρωπον· τί τοῦτο τὸ μέγα περὶ σε, ὦ ἱερὰ μῆτερ καὶ παρθένε, μυστήριον; εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου· μακαρία εἶ ἐν γενεαῖς γενεῶν, ἡ μόνη ἀξιομακάριστος· ἰδοὺ γὰρ μακαρίζουσί σε πᾶσαι γενεαὶ, ὥσπερ ἔφησας· σὲ εἶδον θυγατέρες Ἱερουσαλὴμ, τῆς ἐκκλησίας λέγω, καὶ ἐμακάρισάν σε αἱ βασίλισσαι, ἤτοι δικαίων ψυχαὶ, καὶ εἰς αἰῶνας αἰνέσουσί σε· σὺ γὰρ εἶ ὁ βασιλικὸς θρόνος, ᾧ παρεστήκεισαν ἄγγελοι τὸν ἑαυτῶν ὁρῶντες δεσπότην καὶ δημιουργὸν ἐποχούμενον· σὺ Ἐδὲμ νοητὴ κεχρηματίκας τῆς πάλαι ἱερωτέρα καὶ θειοτέρα.

1) Cant. VI. 3
2) Ibid. 8.
3) Cant. VI. 8
4) Ibid.

Digitized by Google

humana conditione maiores? Quodnam ingens hoc est, o sacra mater et Virgo, circa te mysterium? Benedicta [1]) tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Beata es in generationibus generationum, solaque digna quae beata praediceris. Ecce enim te beatam dicunt omnes generationes. Viderunt te filiae [2]) Hierusalem, ecclesiae inquam, beatamque praedicaverunt reginae, hoc est iustorum animae, teque in aeternum laudabunt. Tu enim es solium illud regium, cui angeli adstiterunt suum herum et creatorem cernentes insidentem. Tu spiritalis es Edem, antiqua illa sanctior et divinior. » Ubi vero assumptae Virginis triumphum describit, inter cetera [a]) ait: « Te cum archangelis angeli transvexerunt: ascensum tuum impuri et aërei spiritus exhorruerunt. Tuo transitu aer quidem benedicitur, aetheri autem sanctitas conciliatur. Animam tuam caelum gaudens excipit, tibi cum sacris canticis et sanctae solemnitatis ritu caelestes virtutes obviam prodeunt, his similibusque vocibus [3]) utentes: *quae est ista quae ascendit dealbata, exoriens ut aurora, pulcra ut luna, electa ut sol?* Quam pulcra, quam suavis facta es! tu flos campi, uti lilium inter medias spinas. » Quibus laudum praeconiis haec subiungi debent [b]) a Tarasio de Virgine adhibita: « Ipsa namque sancta sanctorum, immaculatus Verbi thalamus, virgineum florilegium, arca sanctificationis, mons sanctus, tabernaculum Dei capax, rubus incombustus, columba [4]) intaminata in sui habitationem a Davidis creatore ac Deo servata erat. » Neque haec praeteriri debent, quibus Tarasius nunc [c]) scribit: *stultorum ora nullam labem adver-*

a) Ibid. §. XI. pag. 865. D-E. Σὲ συνεπόρθμευσαν σὺν ἀρχαγγέλοις ἄγγελοι· σοῦ τὴν ἔξοδον ἔφριξαν τὰ ἀκάθαρτα καὶ ἐναέρια πνεύματα· σοῦ τῇ διαβάσει εὐλογεῖται μὲν ἀὴρ, αἰθὴρ δὲ καθαγιάζεται· σοῦ τὴν ψυχὴν χαίρων οὐρανὸς ὑποδέχεται· σοὶ μεθ' ἱερῶν ὕμνων καὶ φαιδρᾶς τελετῆς προσαπαντῶσι δυνάμεις, μονονουχὶ λέγουσαι· τίς αὕτη ἡ ἀναβαίνουσα λελευκαντισμένη, ἐγκύπτουσα ὡσεὶ ὄρθρος; καλὴ ὡς σελήνη, ἐκλεκτὴ ὡς ὁ ἥλιος· ὡς ὡραιώθης, ὡς ἡδύνθης· σὺ ἄνθος τοῦ πεδίου, ὡς κρίνον ἐν μέσῳ ἀκανθῶν.

b) Orat. in Deiparae praesent. Αὕτη γὰρ ἡ τῶν ἁγίων ἁγία· ἡ ἀκηλίδωτος τοῦ λόγου παστάς· τὸ παρθενικὸν ἀπάνθισμα· ἡ κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματος· τὸ ὄρος τὸ ἅγιον· ἡ θεοχώρητος σκηνή· ἡ ἀκατάφλεκτος βάτος· ἡ περιστερὰ ἡ ἀμόλυντος, τῷ τοῦ Δαυὶδ κτίστῃ καὶ θεῷ ἐτετήρητο εἰς ἑαυτοῦ κατοίκησιν.

c) Ibid. Ἀλλὰ τῶν ἀφρόνων τὰ στόματα μηδένα μῶμον πρὸς τὴν ἄμωμον εὑρεῖν δυνάμενα.

1) Luc. I. 28-42.
2) Cant. VI. 8.
3) Cant. VI. 9.
4) Cant. VI. 8.

sus illibatam reperire potuisse; nunc [a]) subdit: *inculpatam puellam Deique filiam a iustis Ioachimo et Anna fuisse progenitam;* et nunc [b]) Annam ita loquentem sistit: « Quis dixit, filia, te ex me prodituram, quae [1]) beata commonstrata es in generationibus generationum? »

683. Horum autem vix quidquam est quod Iohannes geometra [c]) non expresserit. Illius namque ista sunt: « Salve mortalium lumen, salve ignis daemoni infensus; ignis enim facta es igni, et non usta uris. Salve purissima mixtio semper viventis Dei humanaeque naturae, quae stipula est valde urens. Salve rubus igneus et flamma minime laesus, immo vero crescens pinguibus calamis. Salve [2]) luna iucunda neque deficiens, sed plenior tuo cum sole concursu. Salve novum splendidissimum solis vehiculum virtutum rapidis concitum quadriiugis. » Atque ista pariter [d]) Iohanni debemus:

a) Ibid. Καὶ τῆς ἀμώμου καὶ θεόπαιδος κόρης ἐκ τῶν δικαίων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης γεγεννημένης.

b) Ibid. Τίς ἔλεγεν ἐξ ἐμοῦ σε, θυγάτερ, προελθεῖν τὴν ἐν γενεαῖς γενεῶν μακαρίαν ἀποδειχθεῖσαν;

c) Hymn. I. in Deiparam vv. 16-25. pag. 437. in App. ad biblioth. pp. Graeco-lat. Tom. III.

Χαῖρε φάος μερόπων, πῦρ ἔμπαλι δαίμονι χαῖρε.
Καὶ πυρὶ πῦρ ἐγένου, οὐδὲ φλεγεῖσα φλέγεις.
Χαῖρε ἀμικτοτάτη μίξις θεοῦ αἰὲν ἐόντος,
Ἀνδρομέης γενεῆς, ζαφλεγέος καλάμης.
Χαῖρε βάτος πυρόεσσα καὶ οὐ λήγουσα καμίνῳ,
Μᾶλλον δ' αὐξομένη εὐτραφέας καλάμους.
Χαῖρε ἀγαλλομένη καὶ οὐ λείπουσα σελήνη,
Μᾶλλον ὅτ' ἠελίου ἔδραμες εἰς συνόδους.
Χαῖρε ὄχημα φαάντατον ἡλίου ἔμπνοον ἄλλο
Ἐξ ἀρετῶν πισυρῶν, εὐτροχάλων, φλογίων.

d) Ibid. Hymn. II. in Deiparam vv. 48-60. pag. 439.

Χαῖρε παναγρύπνοισιν ἐπ' ὄμμασιν, οἷα σελήνη
Ἥλιον, ὀσσομένη κοίρανον ἠελίου.
Χαῖρε καὶ ὑψιδρόμοισι πόνοις ἀρετῶν, ἅτε κύκλου
Ἠελίοιο πέλοις μήνη ἐπειγομένη.
Χαῖρε παναιγλήεντος ἀφ' υἱέος, οἷα σελήνη
Πατρὸς ἀπ' ἠελίου φέγγος ἐφελκομένη.
Χαῖρε προαγγελίης νύμφη, τριάδος μέγα θαῦμα,
Παστάδα πηξαμένη κάλλεος ἐνδυτάτου.
Χαῖρε καὶ ἧς ἠράσσατο μοῦνος ἐραστὸς, μοῦνος
Ἵμερος αὐτοφύτου κάλλεος ὃς γενέτης.

1) Cant. VI. 8. 2) Cant. VI. 9.

« Salve quae oculis maxime vigilibus tamquam [1]) luna solem, solis Dominum contueris. Salve quae etiam arduis virtutum laboribus ut luna ad radios contendis solares. Salve quae ceu luna splendorem trahis a Filio qui totus splendet, a solis patre. Salve praenunciata Sponsa, magnum Trinitatis ostentum, quae interni decoris thalamum fixisti. Salve etiam quam solus [2]) amator dilexit, solum desiderium ingenitae pulcritudinis, cuiusmodi est Pater. Salve prima, salve sola, hoc tibi Ave attulit primus caelestis militiae tremor. » Accedunt quae Matthaeus cantacuzenus in commentariis habet. Ubi enim de verbis [a]) agit, *sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae, et adolescentulae quarum non est numerus*, sic [b]) loquitur: « Excellentiam sine comparatione matris omni prorsus labis expertis propheta ex his mulieribus comparate demonstrat. » Tum [c]) pergit: « Quum tot tantaeque sint credentes animae, *una est matri suae, electa genitrici suae.* Ac si diceret, ex Anna primum sterili una ipsa per preces genita fuit, post quam non est aliquam aliam recensere. Electa patriae quae illam generarat, vel potius ante mundi constitutionem electa Deo in domicilium suum, unica exsistens matri suae Evae: et post eam ex natis ab Eva reperiri altera nequit. » Ad ea vero progressus [d]) quae continuo sequuntur, ait: « Stupore perculsus ab excellentia illibatae matris Dei Verbi, *quaenam ista est,*

Χαῖρε πρώτη, χαῖρε μόνη, τοῖόν σοι χαῖρε,
Οὐρανίης στρατιᾶς πρῶτος ἔλεξε τρόμος.

a) Cant. VI. 7-8. Ἑξήκοντά εἰσι βασίλισσαι, καὶ ὀγδοήκοντα παλλακαὶ, καὶ νεάνιδες, ὧν οὐκ ἔστιν ἀριθμός· μία ἐστὶ τῇ μητρὶ αὐτῆς, ἐκλεκτή ἐστι τῇ τεκούσῃ αὐτήν.

b) Comm. in Cant. VI. 7-8. pag. 48. A. Τὸ ὑπερβάλλον ἀσυγκρίτως τῆς παναμώμου μητρὸς, καὶ διὰ τούτων ἐνδεικνύμενος ὁ προφήτης πρὸς τὰς ἐξ ἁπασῶν γυναικῶν.

c) Ibid. pag. 48. D. Τοσαῦται αἱ πιστεύουσαι, μία ἐστὶ τῇ μητρὶ αὐτῆς, ἐκλεκτὴ τῇ τεκούσῃ αὐτήν· ἀντὶ τοῦ ἐκ στείρας τὸ πρότερον οὔσης τῆς Ἄννης, μία αὕτη διὰ προσευχῆς γεγέννηται, μεθ' ἣν οὐκ ἔστιν ἀριθμήσαι καὶ λοιπήν· ἐκλελεγμένη τῇ γεννησάσῃ αὐτὴν πατρίδι· μᾶλλον δὲ πρὸ καταβολῆς κόσμου ἐκλελεγμένη τῷ θεῷ εἰς κατοικίαν ἑαυτῷ· μία τις οὖσα τῇ μητρὶ αὐτῆς Εὔᾳ· καὶ μεθ' ἣν οὐκ ἔστι δευτέραν τῶν ἐξ αὐτῆς τεχθεισῶν λαβεῖν.

d) Comm. in cant. VI. 9. pag. 49. A-B. Ἐκπλαγεὶς πρὸς τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἀχράντου τοῦ θεοῦ λόγου μητρός· τίς αὕτη φησί· ἀντὶ τοῦ, ὅση μεγάλη, ἡ ἐκκύπτουσα ὡσεὶ ὄρθρος· ὥσπερ γὰρ τοῦ ἡλιακοῦ φωτὸς ἐλθόντος, τὸ νυκτερινὸν ἀφανίζεται σκότος· οὕτω καὶ τῆς ἁγνῆς λαμψάσης παρθένου, τὸ τῆς ἁμαρτίας διαλέλυται σκότος· καλὴ ὡς σελήνη· ἐν αὐτῇ γὰρ ὁ τῆς δικαιοσύνης ἥλιος ἐνσκηνοῖ, μεταδοὺς αὐτῷ τοῦ θείου καὶ ἀπλέτου φωτὸς αὐτοῦ· ἐκλεκτὴ ὡς ὁ ἥλιος· οὐκ ἀπεικὸς τὴν αὐτὴν καὶ σελήνην καὶ ἥλιον φάναι· τοῦτο μὲν,

1) Cant. VI. 9 2) Cant. VI. 8.

inquit. Perinde ac diceret, quam magna ista est quae se [1]) inflectit ut aurora. Quemadmodum enim lumine solis accedente, nocturnae recedunt tenebrae; sic ad innocentis Virginis splendorem peccati recesserunt tenebrae. *Pulcra ut luna,* in ipsa enim sol iustitiae posuit tabernaculum suum, communicans ei divinum suum et inexplicabile lumen. *Electa ut sol,* absurdum non est, camdem et lunam dici et solem quidem eo quod Dei et Patris susceperit Verbum, lucem perfectam et quae praeter modum exuberat, sicuti est in suo corpore sol; lunam vero propter eam etiam, quam ex ipso claritatem participavit. *Pavor* [2]) *ut castrorum ordines:* ac si diceret, stupore percellit contemplatio ordinis, quo sunt haec in ea disposita. » Quibus edoctus Isidorus thessalonicensis haec Gabrieli Deiparam salutanti [3]) adscripsit: « Ave gratia plena, et gaudio fruere super omnem hilaritatem, o benedicta. Hisce salutationibus nihil habeo quod offeram honorabilius. Et scio quidem te beatam quoque appellandam propter eum quem utero geres, et magnificis te hymnis a multis omni tempore extollendam, quemadmodum de te [4]) praedictum est cum admiratione a prophetis stupenda canentibus. Sed neque priscorum quispiam digna te appellatione exornavit, nec praesentium aut futurorum meritos tibi plausus dabit: et si convenirent in unum quae sunt, quae fuerunt et quae erunt ad hoc praestandum, numquam futurum esset ut hymnus tibi congruens necteretur. Propterea igitur ave o scientiae profundum, et sapientiae altitudo, et opulentia gaudii, et gratiarum mare, et miraculorum magnitudo, et [5]) pelagus formositatis, et mysteriorum thesaurus. Dominus tecum insolito quodam modo, quem oculus non sensit, et cui fores aurium non patuere, quique in cor hominis nequaquam potest ascendere. Tecum enim quia [6]) propter effulgentem sacratissimae tuae animae speciem, ineffabiles divinae naturae radios in homines expandit: propter splendidissimam virtutis tuae pulcritudinem induet

διὰ τὸ δεδέχθαι τὸν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς λόγον, τὸ ὑπέρπληρες καὶ τέλειον φῶς, ὥσπερ ἐν δίσκῳ ἥλιον· τοῦτο δὲ, καὶ διὰ τὴν ἣν ἐξ αὐτοῦ μετέσχε λαμπρότητα· θάμβος, ὡς τεταγμέναι· ἀντὶ τοῦ, ἔκπληξίς ἐστιν ἰδεῖν ὅπως ἐν αὐτῇ ταῦτα τέτακται.

1) Se nimirum inflectit et inclinat ad nostrum hemispherium, quod tum fit quum aurora ascendit et nostrum veluti prospicit orbem.

2) Idest pavor et terror ut castrorum acies.

3) Orat. III. in Deiparae annuncial. p. 69-70. edit. Maraccii.

4) Cant. VI. 8.

5) Cant. VI. 3.

6) Cant. VI. 8.

Digitized by Google

se tua forma quam adamavit, immaculatis tuis unitus sanguinibus. O inauditum mysterium! propter te fiet ex te quod non erat, et totam tuam gerens imaginem, et suam deitatem non deponens. »

684. Eamdem de Deipara fidem eamdemque sententiam cum orientalis ecclesiae scriptoribus ii profitentur qui in occidentali ecclesia floruerunt, e quorum numero Rupertus tuitiensis, allegatis [1]) verbis, *pulcra es amica mea, suavis et decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata,* inquit [2]): « In hoc est perfectio pulcritudinis, quod non solum suavis nec solum terribilis, sed utrumque es et suavis et terribilis; suavis sicut Hierusalem, terribilis ut acies castrorum quae bene ordinata est. » Tum [3]) verbis *una columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae,* hunc subnectit [4]) commentarium: « Una est et simile non habet. Omnino nec inter reginas ulla similis huic est. Cui matri suae una? Cui genitrici suae est electa? Nimirum matri suae Hierusalem una est, illi Hierusalem quae sursum est, quae est mater omnium nostrum: et genitrici suae, scilicet antiquae ecclesiae electa est, ecclesiae patriarcharum et prophetarum ac regum iustorum, quorum de carne progenita est, quorum secundum fidem benedictionis quae ad illos repromissa erat, ianua vel materia est. Et illi matri, et huic genitrici una et electa est: quia nec inter angelos nec inter homines similem vel primam habet, vel sequentem habitura est: vere columba, quia gratia plena: vere electa, quae non solum salva existeret, verum etiam ipsam salutem pareret. » Et [5]) mox occasione [6]) verborum, *quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* pergit: « Quam pulcher ordo in ista laudatione, in ista tuae pulcritudinis, o beatissima, praedicatione! Primum consurgens ut aurora, deinde pulcra ut luna, deinde electa ut sol. Quando nata es, o Virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora praenuntia diei sempiterni: quia sicut aurora quotidiana finis praeteritae noctis et initium diei sequentis; sic nativitas tua, nativitas [7]) ex semine Abrahae, clara ex stirpe David, ad quos

1) Cant. VI. 3.
2) In Cant. lib. VI. pag. 55. col. 2. E.
3) Cant. VI. 8.
4) Ibid. pag. 57. col. 2. E. et p. 58. col. 1. A-B.
5) Ibid. pag. 58. col. 1. C-E. et col. 2. A-B.
6) Cant. VI. 9.
7) Liquet *nativitatis* nomen de origine sumi, sumi de nativitate *in* sinu non *ex* sinu, quod in ecclesiasticis monimentis est frequentissimum.

Digitized by Google

cum iuramento Dei facta est repromissio benedictionis, finis dolorum et consolationis fuit initium, finis tristitiae et laetitiae nobis exstitit principium. Quando autem Spiritus sanctus in te supervenit et Filium virgo concepisti, virgo peperisti, tunc et tu et ex tunc pulcra pulcritudine divina: pulcra, inquam, non quomodocumque, sed ut luna. Sicut enim luna lucet et illuminat luce non sua, sed ex sole concepta; sic tu, o beatissima, hoc ipsum quod tam lucida es, non ex te habes sed ex gratia divina, gratia plena. Quando autem de hoc mundo assumpta atque ad aethereum thalamum translata es, tunc tu et ex tunc electa ut sol: electa, inquam, nobis, quia sicut ex te natum Dei Filium solem verum, solem aeternum adoramus et colimus ut Deum verum, sic et te honoramus atque veneramur ut veri Dei genitricem, scientes quia totus honor impensus matri sine dubio redundat in gloriam filii. Et quidem natura non tu idem es quod ille sol, sed nihilominus tanta es ut te honoret ipse sol honore quo decet filios honorare parentes suos. Qui enim dixit, *honora patrem tuum et matrem,* non dubium quin ipse honoret, et ab omnibus amicis suis suam velit honorari matrem. »

685. Neque aliter [1]) Adamus Perseniae abbas qui de Virgine loquens ait: « Per te descendit, per te parvulus ad humiles venit, qui te in causa nostra advocatam constituit, qui te ipsam pro immenso munere mundo dedit. Te ad nos veniendi viam elegit, te nobis in repatriandi semitam ordinavit. O via expers asperitatis et duritiae, expers ignorantiae et erroris. Nempe misericordia [2]) et veritas in te obviaverunt sibi. Nec misericordia in te pateretur quid asperum esse vel durum, nec veritas quidquam inesse pateretur obscurum. O via communis [3]) salutis, expers iniquitatis et malitiae, expers molestiae et laboris. In te pax et iustitia osculatae sunt. Non tibi inesse distortum aliquid aequitas iustitiae sineret, nec aliquid inesse laboriosum pacis tranquillitas sustineret. Tota es [4]) suavis et clara, tota dulcis et recta, mitis et pacifica, quae et nobis illuminationem nostrorum cordium de corde Patris adducis, et nobis loquens ad cor, corda credentium in te trahis. » Tum imagine [5]) columnae

1) Serm. I. in Domini ascensione pagg. 130-131. edit. Maraccii. Cf. eiusdem epist. X. ad abbatem de Turpiniaco pag. 703. F. apud Martenium Anecdott. T. I.

2) Ps. LXXXIV. 11.

3) Ioh. XII. 6.

4) Cant. VI. 3.

5) Exod. XIII. 21. seqq. coll. II. Esdr. IX. 12. seqq.

nubis et caliginis ad Virginem accommodata, illico [1]) pergit: « Sed in columna quam praemisimus, intendamus. Attendamus quam firma, quam recta est, quam erecta. Attendamus, inquam, quam firma, quam fortis, quam recta, quam lenis, quam porrecta est, quam sublimis. Quam firma est, cui et caelum et terra innititur? Quam fortis, quae contra universas haereses et spiritales nequitias [2]) invincibiliter praeliatur? Quam recta est, quae peccati maculam nescivit? Quam lenis est, quae nullam duplicitatis rugam admittit? Quam erecta est, quae meritorum altitudine omnem creaturam transcendit? Quam sublimis est, quam Altissimi Filius in dignissimam sibi matrem ab aeterno providit? Quam felix est, quae Dei est et mater et sponsa: porta caeli, amoenitas paradisi, angelorum domina, regina mundi, sanctorum laetitia, advocata credentium, fortitudo pugnantium, errantium revocatio, poenitentium medicina? O certa salus, o compendium vitae, o spes veniae unica, o suavitas [3]) singularis. Si linguis hominum te eloquar et angelorum, quum me totum effudero, parum erit. Ad illam potius tui laudem me transfero, quae in amoris carmine sic [4]) cantatur: quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? His verbis breviter et subtiliter, veraciter et sublimiter laus exprimitur tuae gloriae quadriformis. Quum enim nasceris, quasi rutilans aurora consurgis. Ortus nimirum tuus vicem aurorae tenuit, in quo dies gratiae coepit, nox vero infidelitatis et ignorantiae finem fecit. »

686. Aeque insignia sunt quae Petrus cellensis non uno in loco confirmat. Sermonem enim de Purificatione his verbis [5]) orditur: « Quam sit iucunda et praeclara praesens solemnitas, ipsa luminarium claritas quae cum processione festiva ad Missam tenebatis in manibus, satis sufficienter declarat. Ecce siquidem duo [6]) magna luminaria ad Patrem luminum in templo accedunt, quando Maria Iesum offert Patri spirituum. Luminare maius Iesus Filius Mariae, Pater luminum Deus est qui Verbum ex utero ante luciferum genuit, et de matre incarnari in fine seculorum constituit. » Quum itaque, ut alibi [7]) ait « De aeterno consilio tempus beneplaciti immineret,

1) Serm. de ss. Trinitate pagg. 132-134. edit. Maraccii.
2) Cant. VI. 3-9.
3) Cant. VI. 3.
4) Cant. VI. 9
5) Sermo de Mariae purificat. pag. 36. C.
6) Gen. I. 16. coll. Cant. VI. 9.
7) Serm. III. de Deiparae assumpt. p. 205. B-C.

ut Deus Pater per unicum Filium dispersiones Israel per adoptionem hereditati immarcescibili aggregaret, puellam de terra Israel sibi desponsavit, et dote bona de thesauris suis cumulavit, publicis instrumentis matrimonium confirmans, atque legitimo privilegio donationem propter nuptias contra daemonum haereticorumque versutias corroborans. Una enim [1]) haec est inter mulieres, in qua [2]) princeps nihil suum invenit, de qua fraus haeretica mendacia sua stabilire non potuit: in hoc privilegio tam matris quam filii natales continentur. » Quibus non contentus privilegia matris enarrare [3]) sic pergit: « Una est [4]) columba mea. Domestica familiaritate, et omni creaturae inexperta dulcedine verus Salomon iucundatur ad columbam suam, quae est regina angelorum, quae est Virgo virginum, pia Maria, dum in eius visceribus per suam sapientiam humanam fatuitatem ad columbinam revocat simplicitatem, cum sale caelestis sapientiae redintegrat naturae nostrae corruptionem. » Et [5]) mox: « Unam propter amicitiam, columbam propter gratiam. Quis enim non diligit matrem aut sponsam? Quis matri aut sponsae non confert omnem gratiam? Et matrem itaque et sponsam volo habere totus totam, castus castam, pulcher pulcram, pius piam, impollutus impollutam, unus unam. » Et [6]) rursum: « Sacrosancta Virgine mundum per nativitatem ingressa officiales angelicae Virtutes sancta curiositate puellam vestigiis divinae praedestinationis insignitam lustrantes, ut est consuetudinis rem novam in seculo repertam in supernis palatiis referentes et quid hoc esset humiliter inquirentes, a regalibus sedibus [7]) audiunt: una est columba mea, una est matri suae, electa genitricis suae; tamquam si diceret: quae nata est extra et supra numerum feminarum, est extra et supra meritum omnium mulierum. Una est in toto genere humano non habens similem columba; est in angelica puritate et dignitate, propter divinam

1) Cant. VI. 8.
2) Ioh. XIV. 30.
3) Serm. VI. de Deiparae assumpt. p. 216. A-B.
4) Cant. VI 8.
5) Ibid. pag. 216. B-C.
6) Ibid. pagg. 216. D. 217. A. Eodem pertinentia dabunt Bernardus Serm. in Virginis nativit. n. 9. pag. 1021. E-F. opp. T. III., Bruno astensis sententt. lib. V. cap. 1. pag. 554. col. 1. B-D. opp. T. II., Paulus diaconus serm. in Virginis assumpt. pag. 269. B-D. apud Martenium scriptt. vett T. IX., vulgatus Hildephonsus Serm. I. de Virginis assumpt. pag. 336. col. 2. D. in collect. pp. tolet. T. I. et auctor operis de corona beatae Mariae cap. XIII. p. 413 col. 2. B-D. ibidem, qui pag. 414. col. 2. A. *ex devoto quodam*, ut ipse loquitur, *dictatore* haec refert et probat:

« Sol luna lucidior,
» Et luna sideribus,
» Sic Maria dignior,
» Creaturis omnibus.
» Salve mater pietatis
» Et totius Trinitatis
» Nobile triclinium:
» Verbi carnem incarnati.
» Speciale maiestati
» Praeparans hospitium »

7) Cant. VI 8.

generationem non habens aequalem; mea si Filius loquitur mater, si Pater, Filii mei mater futura. »

687. De qua in Psalterio Anselmi nomine insignito [1]) legimus:

» Ave caelestis civitas,
» Cuius Deus fecunditas.
» Ave Sion in qua natus
» Est fundator ipse tuus.

Itemque [2]) legimus:

» O Maria, nomen bonum,
» Nomen memorabile:
» O nomen quod melius est
» Quam multae divitiae!
» Balsamum aromatizans,
» Thus mirae fragrantiae,
» Flos aeternus, rosa veris,
» Lignum semper viride.
» Stella solis claritatem
» Suo vincens iubare;
» Semper mater quia numquam
» Eris sine sobole.
» Speciosa et suavis
» Canticum laetitiae,
» Praedicanda et laudanda
» Privatim et publice.

Ac tandem [3]) legimus:

» Daemonum forte lamentum,
» Maeror et tristitia;
» Angelorum sed bonorum
» Laus, decus et gloria.
» Electorum tu cunctorum
» Satians laetitia.
» Templum Domini ora pro nobis.

Quibus haec adamussim [4]) respondent:

» Aurora velut fulgida
» Ad caeli meat culmina
» Ut sol Maria splendida
» Tamquam luna pulcherrima.

Tum haec [5]) ad Annam directa:

» Ergo mater pia
» Gaude cum Maria,
» Quae solis aurora
» Lucem dedit mundo,
» Nos in hoc profundo
» Supplicamus, ora.

688. His autem laudibus sane praestantissimis accedunt quae [6]) Petrus Damiani, commemorata Domini ascensione, illico addit: « Sed iam vertendus est stylus ad sanctam sanctorum, et illorum verborum enodanda proprietas, quae Virgini matri sunt specialiter dedicata. Sed uti superliminarem titulum in fronte futuri aedificii pro-

1) Psalter. pag. 305. col. 2. C.
2) Ibid. pag. 307. col. 2. C-D.
3) Ibid. pag. 308. col. 3. B.
4) Thes. hymnolog. T. I. pag. 226.
5) Ibid. T. II. pag. 241. Ubi Adalbertus Daniel scribit: « Saepissime insignitur Maria nomine *aurorae*. Ansam dedit et locus Cantici canticorum VI. 9., et perpulcra de Christo atque Maria allegoria. Optime in hac typica interpretatione versatur collecta quam habet Missale metense in nativitate Virginis: *sacrificium hodiernae solemnitatis verus ille iustitiae sol illustret, qui oriturus ex alto matrem suam hodie quasi auroram consurgentem praemisit, et venientem in mundum purissima luce illuminavit.* »
6) Serm. XL. in Deiparae assumpt. pag. 98 col. 1. D-E. opp. T. II.

ponamus, dicamus breviter quia prima interrogatio convenit eius nativitati, secunda eius conversationi, tertia assumptioni. Quae est ista, inquit [1]) Spiritus sanctus de eius nativitate, quae progreditur sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Haec est quae [2]) nescivit thorum in delicto. Virgo Dei Filio singulariter [3]) consecrata, specialiter sancto coniugata Spiritui. Quae progreditur, inquit, sicut aurora consurgens. Quam elegans et clara similitudo, et ex illius disciplina descendens qui summum sapientiae fontem in canticis affluenter inclusit. » Quod e vestigio explanans [4]) pergit: « In meridiano lumine primus ille parens creatus est, factus [5]) ad imaginem et similitudinem conditoris. Quid enim clarius, quam creatum creanti non esse dissimilem? Faciamus, inquit, hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Imaginem dedit ei in aeternitate, similitudinem in moribus; ut sit similis creatori, si non identitate, similitudine tamen. Sed ille tanti privilegii dignitate reiecta, apostatae spiritus falsa promissione delinitus inhaesit, et se cum posteritate sua perpetuae morti destinavit et tenebris. Ab illa hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad Virginem, nec inventus est aliquis qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet; sed mundo crescente concrevit et tenebrosa vorago, donec in densissimam conglobata nigredinem humanum genus nocte terribili sepelivit. Haec est illa nox solitaria nec laude digna, de qua [6]) scriptum est: posuisti tenebras, et facta est nox. In ipsa pertransierunt omnes bestiae silvae, quia crudeles et indomiti spiritus dimotis repagulis humanum genus totis viribus obtriverunt. Sed nata Virgine, surrexit aurora: quia Maria veri praevia luminis nativitate sua mane clarissimum serenavit. Haec est stella matutina in medio nebulae, quae in caeli cardine summo splendore coruscans orbem subditum splendidioribus radiis incolorat. Haec est aurora quam sequitur, immo de qua nascitur sol iustitiae, solius claritati succumbens. Haec est aurora quam ille non vidit, qui vidit omne sublime: et orat [7]) beatus Iob ut ei multa suppressione claudatur dicens: non videat ortum surgentis aurorae. Tuus est dies, Domine, in quo Adam est conditus: tua est nox, in

1) Cant. VI. 9.
2) Sap. III. 13.
3) Cant. VI. 8.
4) Ibid. pag. 98. col. 1. E. col. 2. A-D.
5) Gen. I. 26.
6) Ps. CIII. 20.
7) Iob. III. 9.

Digitized by Google

qua Adam a die est eiectus: tu fabricatus es auroram, idest Virginem matrem: et solem, solem videlicet iustitiae qui de virginali thalamo consurrexit. Nam sicut aurora terminum noctis, diei principium adesse testatur; sic et Virgo noctem expulit sempiternam, et de die diem de terra suae virginitatis exortum terris infudit. Progreditur, inquit, quasi procul egreditur, quia procul et de [1]) ultimis finibus pretium eius. Aurora, quia noctis finis et lucis initium. Consurgens, quia de cadente supersurgens materia. » Tum ad alterum progressus [2]) incisum ait: « Pulcra ut luna. Quid luna pulcrius, quum stellis coruscantibus in signifero limite reliquorum siderum splendorem excedit? Considera quam stellarum et serena vibratio, quam luminosus fulgor circularem orbem tanti sideris superfundat, ut aliorum luminum claritatem non mediocriter offuscet. Sic et Virgo inter animas sanctorum et angelorum choros supereminens et evecta, merita singulorum et omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliae stellae reluceant, luna tamen et magnitudine praeeminet et splendore. Sic utramque naturam Virgo singularis exsuperat et immensitate gratiae et fulgore virtutum. » Porro de tertio inciso [3]) scribit: « Electa ut sol. Hanc attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior. Nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Multo enim altius aliquid habet claritas solis quam lunae; quia etsi illa minores stellas obscurat, non tamen penitus occultat: hic vero lucidius incandescens ita sibi siderum et lunae rapit positionem, ut sint quasi non sint et videri non possint. Similiter [4]) et virga Iesse veri praevia luminis in illa inaccessibili luce perlucens, sic utrorumque spirituum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere. An putas quod non contremiscat tota rationalis creatura ad contemplationem tantae dignitatis? Considera et quae in caelis, et quae in terris in Virgine refabricata, Deum qui caelum palma metitur, virginei ventris brevitate conclusum redemptionem hominum, angelorum restaurationem, denique quidquid est, fuit et erit per Virginis uterum renovatum; et tunc tibi cogitatio suggeret quod loquutio demonstrare non potest. Electa, inquit, sed et praeelecta. Ut sol, quia sicut sol

1) Prov. XXXI. 10.
2) Ibid. pag 98 col. 3. D-E.
3) Ibid. p. 98. col. 2 E. et p 99 col. 1. A.
4) Is. XI. 1.

solus orbem illuminat; sic haec sola solidiori lumine et angelos et homines illustrat. » Sequitur quartum incisum, quod ubi enarrat [1]) inquit: « Terribilis ut castrorum acies ordinata, terribilis daemonibus, ordinata virtutibus, singularis timor malignorum spirituum, specialis amor civium beatorum. » Et nonnullis interiectis [2]) concludit: « Caro enim Virginis ex Adam assumpta maculas Adae non admisit, sed singularis continentiae puritas in candorem [3]) lucis aeternae conversa est. »

689. Porro auctor Petro Damiani haud paullo antiquior, oratione ad Virginem directa [4]) scribit: « Hortus [5]) conclusus tu es sancta Dei genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris numquam introivit. Tu sanctorum areola aromatum a caelesti consita pigmentario, virtutum omnibus speciosis floribus delectabiliter vernans. Merito de tali areola flos ille speciosus forma prae floribus paradisi egressus est. Et cui te assimilabimus, o mater pulcritudinis? Vere paradisus Dei tu es, quia lignum vitae mundo protulisti. » Et [6]) mox: « Te nimirum ille divini epithalamii praecentor a longe intuitus est, quum in admirationis vocem ita prorupit [7]) dicens: quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Sicut aurora valde rutilans in mundum progressa es, o Maria, quando veri solis splendorem tantae sanctitatis iubar praecurristi, ut vere diem salutis, diem propitiationis, diem quam fecit Dominus a tua claritate initiari dignum fuerit. Felix aurora felicis diei nuncia exstitisti. Talem auroram talis dies, et talem diem talis aurora decuit. Et recte quidem aurorae implesti officium. Ipse enim sol iustitiae de te processurus, ortum suum quadam matutina irradiatione praeveniens, in te lucis suae radios copiose transfudit, quibus potestates tenebrarum quas Eva induxerat, in fugam convertisti, atque ita desideratum cunctis gentibus solem mundo invexisti. Tu pulcra ut luna diceris, eique non immerito compararis. Illa enim astrorum omnium sola soli simillima, et candore venusta argenteo ceteris in caelo praemicat sideribus. Tu veri solis imago expressissima inter millia astro-

1) Ibid. pag. 99. col. 1. B.
2) Ibid. pag. 99. col. 1. E.
3) Sap. VII. 26.
4) Serm. in Deiparae nativit. inter Homilias collectas sive ab Alcuino sive a Paulo diacono pagg. 902. col. 2. E. et 903. col. 1. A. edit. Coloniae MDLXIX. Haec autem sua describendo facit Eckbertus schonaugiensis in serm. panegyrico ad beatam Virginem nn. 4-5. pag. 707. inter opp. Bernardi T. V.
5) Cant. IV. 12.
6) Ibid. pag. 903. col. 1. B-E.
7) Cant. VI. 9.

rum Deo assistentium virginali puritate in caelis gloriose praefulges. Illa transfuso in se solari lumine noctem illuminat: tu virtutum a Deo tibi inditarum magnificis exemplis ad imitationem tui nos provocas, sicque nostram noctem illuminas. Tu ergo pulcra es ut luna, immo et pulcrior luna: quia [1]) tota pulcra es et macula non est in te, neque [2]) vicissitudinis obumbratio. Tu electa ut sol, ille inquam sol solis conditor. Ille enim electus ex millibus virorum, tu electa ex millibus feminarum. » Hinc ea enarrans quae sequuntur [3]) pergit: « Tu terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt praeter morem instructam omni armatura fortium contra se procedere feminam? Feminam fortem et ad bella doctissimam, cuius ensis [4]) super femur suum propter timores nocturnos: et in circuitu eius acies valida spiritualium virtutum suo se invicem ordine tuentium. Sed et innumerabilem beatorum spirituum militiam ad ministerium tanti principis delegatam nullatenus ambigimus, utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum ac providerent ne praeparatum aeterno regi hospitium alienus hospes invaderet. Nimirum timor et tremor venerunt super eos, ita ut dicerent: ecce plusquam Eva heic. Castra Dei sunt haec. Fugiamus Israelem. Tu ergo bellatrix egregia primo eum qui primus Evam supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. Tu et ardorem vetitae concupiscentiae virtute castitatis in tua virginea carne eatenus extinxisti, ut is in cuius conspectu nec astra munda sunt, tantae munditiae carnem tuam iudicaverit, ut etiam divinae puritati eam agglutinare non despexerit. His ergo primariis ducibus tenebrarum a te fortiter expugnatis, omnis ante faciem tuam militia spiritualium nequitiarum in fugam conversa est. »

690. Finem iis facio quae tum habet Sophronius quum enarrans [5]) Scripturae [6]) verba, *quae est ista quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus,* scribit: « Ut virgula, inquit, fumi ex aromatibus: nimirum quia multis replcta est virtutum odoribus: manans ex ea fragrabat suavissimus odor etiam spiritibus angelicis. Ascendebat autem Dei genitrix de deserto praesentis se-

1) Cant. IV. 7.
2) Iacob. I. 17.
3) Ibid. pag. 903. col. 2. A-C.
4) Cant. III. 7-8.
5) De Deiparae assumpt. col. 98. D-F. inter opp. Hieronymi T. XI.
6) Cant. III. 6.

culi, virga de radice Iesse olim exorta: sed mirabantur electorum animae prae gaudio, quaenam esset quae etiam meritorum virtutibus angelorum vinceret dignitatem. De qua rursus idem Spiritus sanctus [1]) in eisdem canticis: quae est ista quae ascendit, inquit, quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Admiratur autem Spiritus sanctus, quia omnes de ascensu huius Virginis admirantes facit, quod quasi novi diluculi aurora rutilans, ascensu suo resplendeat, multis freta et vallata sanctorum agminibus. Unde dicitur terribilis ut castrorum acies ordinata. Siquidem terribilis suis facta virtutibus ut castrorum acies admodum ordinata, hinc inde angelorum sanctorum fulta praesidiis: pulcra ut luna, imo pulcrior quam luna, quia iam sine defectu sui coruscat caelestibus illustrata fulgoribus. Electa ut sol, fulgore virtutum, quia ipse elegit eam sol iustitiae ut nasceretur in ea. »

691. Si quod igitur est cantici caput quod maiores nostri ad Virginem accommodandum esse censuerint, illud profecto est quod in praesentia versamus. At vero quanam significatione contentas in eo phrases acceperunt? Aut quibus illas enarrarunt commentariis, ut sinceram Virginis speciem exprimerent? Dummodo quae praemisimus vel obiter recolantur, perspicuum erit traditos a maioribus commentarios huc pertinere, ut de Virgine affirmetur I. *illam esse praeconiis omnibus celebrandam, nullasque illi deferri laudes posse quae eiusdem excellentiam dignitatemque assequantur.* Idcirco vero II. eam esse praeconiis omnibus superiorem, *quod eadem fuerit honor honorum, sublimitas sublimitatum, immensum munus hominibus caelitus tributum, magnum Trinitatis ostentum, iisque praerogativis insignis quae non humanam solum verum etiam angelicam conditionem excedunt.* Porro III. hisce praerogativis accensendum esse, *quod Virgo exstiterit pelagus formositatis, perfectio pulcritudinis, immaculata, immaculata sancti immaculati, sancta, sanctissima, sancta sanctorum et eo usque purissima, ut ne a profanis quidem ulla in ipsa labes potuerit reperiri.* Ob hanc autem praerogativam IV. *Deiparam merito credi turturem mundam, columbam impollutam, intaminatam, vere columbam quia gratia plenam atque ita plenam, ut ipsa sola utramque naturam angelicam atque*

1) Cant. VI. 9.

Digitized by Google

humanam immensitate gratiae virtutumque fulgore superaverit. Tantam V. Deiparae puritatem atque innocentiam *cum illius iunctam consertamque fuisse primordiis: ipsa namque genita fuit inculpata: ipsa fuit semen benedictionis: ipsa expers iniquitatis et malitiae: ipsa inscia asperitatis et duritiae, ignorantiae et erroris: ipsa semper virens: ipsa materia supersurgens de lapsa natura: ipsa quae ex Adamo naturam traxit sed Adami maculas non admisit: ipsa quae in se aeternae sapientiae candorem praetulit: ipsa ad quam deflorandam peccatoris manus numquam introivit: ipsa quae iustitiae lumine irradiata tenebras Evae ruina densatas in fugam coniecit: ipsa quae in mundum uti res nova prodiit: ipsa extra et supra ceterorum numerum nata: et ipsa plusquam Eva, utpote quae Evae expugnatorem expugnarit.*

692. Ceterum VI. hanc originalem Deiparae innocentiam inde etiam liquido deprehendi, *quod ipsa mundo effulserit ut clarissimus dies, ut stella vitae, ut mater lucis, ut lucifera spiritalis aurora, ut intelligibilis luna, ut luna iucunda et indeficiens, ut luna quae solis Dominum semper intuetur, quaeque solares radios aemulatur, ut novus idemque splendidissimus solis currus, ut gratiae initium, ut luminare minus, ut aurora quae finem tenebris imposuit ex Adamo propagatis, quae satanam latuit, quamque Deus condidit, et tamquam dies e quo Christus dies orirelur.* Eamdem VII. originalem Deiparae innocentiam ex eo quoque innotescere, *quod ipsa primum exstiterit nihil habens obscuri, tota clara, et a cuius claritate initium duxerit dies salutis et propitiationis, expressissima veri solis imago, neque aliter ipsa ex millibus feminarum electa, quam Christus sol iustitiae ex millibus virorum unicus atque singularis.* Neque minus VIII. hoc Deiparae ornamentum ex eo enitere, *quod ipsa tyrannum vicerit, quod inimicitias ab hominum genere cum Deo initas veluti sequester dissolverit, quod ignis fuerit daemoni contrarius, quod fuerit ignis igni neque usta combusserit, quod fuerit daemonibus terribilis, illorum forte lamentum, omni armatura fortium instructa, femina fortis ad bellandum doctissima, atque instar castrorum Dei quorum infernae phalanges ne adspectum quidem sustinuerint.* Eodem IX. spectare quae Deiparam repraesentant *nunc uti columnam spiritalibus nequitiis invincibilem, nunc uti turrim fortitudinis, nunc uti bellicam armaturam, nunc uti aciem robustam: nunc uti propugnatricem invictam, et nunc uti protectam ab*

Digitized by Google

angelis, ne hospitium Deo adornatum ab inimico hospite praeoccuparetur. Tandem X. ex his repeti oportere, *quod Deipara fuerit mulierum beatissima, sola gratia plena, sola benedicta, sola laudanda, solum Patris desiderium, unica neque similem habens, et propterea ceu nova Sion Deo digna atque ab eo dilecta ut mater esset Unigeniti, ut esset via qua Deus ad nos veniret et per quam nos ad Deum rediremus, ut esset semita communis salutis, ut esset una unius, unica unici, pulcra pulcri, impolluta impolluti, sola quae instar solis omnes illuminaret, et sola in qua princeps huius seculi nihil quod suum esset compererit.*

ARTICULUS VII.

De usu ecclesiastico quo septimum Cantici caput ad Deiparam accommodatur: quae in hoc capite potissimum splendeant: et quae maiores nostri in suis commentariis tradiderint ad decus immaculati conceptus pertinentia.

693. Solemni usu receptum est ut in ecclesiasticis de Deipara Officiis eiusdem praeconia atque laudes ex septimo cantici capite desumantur. Et desumuntur sane [1]) in Officio immaculatae conceptionis: desumuntur [2]) in Officio pro festo Deiparae de monte Carmelo atque iterum [3]) in Officio desumuntur quo Deipara uti mater boni Pastoris celebratur. Neque vero existimandum est silere ecclesiastica Graecorum monimenta, quin potius et in Menaeis et in Anthologio et in Triodio et in Pentecostario frequens ad hoc ipsum caput recurrit allusio. Pauca ex pluribus dabo ut praegustationis loco habeantur.

694. In Menaeis igitur, praeeunte Iosepho, de Virgiue [a]) dicitur: « Te pulcritudine venustam creator inveniens in te habi-

a) Men. die XXX. Iulii Ode ϛ'. pag. 152. col. 1. E. Ὡραίαν σε κάλλει ὁ ποιητὴς εὑράμενος ἐν σοὶ ἐσκήνωσε, καὶ ὡραῖος ὑπὲρ ἅπαντας υἱοὺς τῶν γηγενῶν ὤφθη σωματούμενος, παναγία παρθένε πανύμνητε.

1) Offic. immacul. concept. in Antiph. ad secundum Nocturnum, et ad *Magnificat.*

2) Officium Deiparae de monte Carmelo in Antiph. ad *Benedictus.*

3) Offic. Deiparae sub tit. matris boni Pastoris in Respons. et Antiph.

tavit, et venustus prae omnibus mortalium filiis apparuit incarnatus, o sanctissima Virgo et laudibus superior. » Et [a]) eodem praeeunte Iosepho subditur: « Te pulcritudinem Iacob solam elegit solus qui caelos inhabitans in medio tui, o intemerata, habitavit. » Conspirat Anthologium, in quo [b]) non solum Deipara vocatur *puella perfecte immaculata et sui creatoris thronus*, verum etiam [c]) duce Theophane, de ea canitur: « Te ut totam propinquam, pulcram et immaculatam, virginitatis obsignatam sigillo, pure dilexit Deus qui in te tamquam solus misericors habitavit. » Conspirat [d]) Triodium in quo Virgo his omnino verbis salutatur: « Ave virginitatis columna, ave salutis porta. Ave caussa spiritalis reformationis, ave quae divinae bonitatis primas tenes. Ave, tu enim foede conceptos regenerasti; ave, tu enim mente perditis prospexisti. Ave quae mentium corruptorem enervasti; ave quae innocentiae satorem peperisti. Ave thalamus intaminati connubii; ave quae fideles Domino concilias. Ave pulcra virginum altrix; ave quae sanctas animas ad Sponsum deducis. » Conspirat et [e]) Pentecostarium, in quo haec ex Andrea cretensi referuntur: « O pulcra, o immaculata, o mulierum speciosissima Christum quem peperisti, quemque hodie a mortuis in omnium salutem speciosissime refulgentem vidisti, illum gaudens una cum apostolis glorifica. »

695. Quibus leviter delibatis, multo erit expeditius tam ex Ecclesiae sententia accipere, quam paucis illa complecti quae ad rem

a) Men. die XXII. Augusti Ode ζ. pag. 128. col. 1. B. Σὲ καλλονὴν τοῦ Ἰακὼβ μόνην ἐξελέξατο μόνος ὁ κατοικῶν τοὺς οὐρανοὺς καὶ οἰκήσας ἐν μέσῳ σου, ἄχραντε.

b) Antholog. in Octoecho pag. 32. col. 1. B-C. Νύμφην σε πανάμωμον, Θεοτόκε δέσποινα, συμφώνως δοξάζομεν, καὶ θρόνον τοῦ κτίστου σου, ᾧ πάντες μελῳδοῦμεν· ὁ Θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

c) Ibid. Ode ε΄. pag. 31. col. 2. A. Ὡς πλησίον ὅλην σε καλὴν καὶ ἄμωμον, ἐσφραγισμένην τῇ παρθενίᾳ, καθαρῶς ἠγάπησεν ἐν σοὶ ὁ σκηνώσας Θεὸς, ὡς μόνος εὔσπλαγχνος.

d) Triod. pag. 319. col. 2. C-D. Χαῖρε ἡ στήλη τῆς παρθενίας· χαῖρε ἡ πύλη τῆς σωτηρίας. Χαῖρε ἀρχηγὲ νοητῆς ἀναπλάσεως· χαῖρε χορηγὲ θεϊκῆς ἀγαθότητος. Χαῖρε, σὺ γὰρ ἀνεγέννησας τοὺς συλληφθέντας αἰσχρῶς· χαῖρε, σὺ γὰρ ἐνουθέτησας τοὺς συληθέντας τὸν νοῦν. Χαῖρε, ἡ τὸν φθορέα τῶν φρενῶν καταργοῦσα· χαῖρε, ἡ τὸν σπορέα τῆς ἁγνείας τεκοῦσα. Χαῖρε παστὰς ἀσπόρου νυμφεύσεως· χαῖρε πιστοὺς κυρίῳ ἁρμόζουσα. Χαῖρε καλὴ κουροτρόφε παρθένων· χαῖρε ψυχῶν νυμφοστόλε ἁγίων.

e) Pentecostar. Ode δ΄. pag. 58. col. 1. D. Ὃν ἀπεκύησας Χριστὸν, ὡραιοτάτως ἐκ νεκρῶν λάμψαντα, ἁγνὴ, καθορῶσα ἡ καλὴ καὶ ἄμωμος, ἐν γυναιξὶ ὡραία τε σήμερον εἰς πάντων σωτηρίαν, σὺν ἀποστόλοις αὐτὸν χαίρουσα δόξαζε.

Digitized by Google

nostram pertinentia septimo cantici capite continentur. Itaque I. eo capite [1]) Sulamitis exhibetur tamquam chorus castrorum: *quid videbis in Sulamitide nisi choros castrorum?* Tum II. eiusdem pulcritudo atque species [2]) distributa oratione oculis spectanda subiicitur: *quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis! Iuncturae femorum tuorum sicut monilia, quae fabricata sunt manu artificis. Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis: venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis. Duo ubera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui sicut piscinae in Hesebon, quae sunt in porta filiae multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani quae respicit contra Damascum. Caput tuum ut Carmelus, et comae capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.* Sequitur III. recapitulatio qua Sponsus Sponsam alloquens [3]) ait: *quam pulcra es et decora, carissima in deliciis!* Tandem IV. Sponsa de semetipsa [4]) inquit: *ego dilecto meo, et ad me conversio eius.*

696. En vero quibus commentariis patres scriptoresque ecclesiastici haec aut de Virgine explicarint, aut ad Virginem accommodanda esse docuerint. Rupertus tuitiensis [5]) de verbis [6]) agens, *quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis,* ait: « De calceamentis heic agitur non corporis sed spiritus, in quo discalceatum esse vel discalceatam summa est ignobilitas et plusquam servilis egestas. Idcirco ancillae calcaneum serpens momordit, tu autem

1) Cant. VII. 1. Sicut omnes hebraei codices habent, מַה־תֶּחֱזוּ בַּשּׁוּלַמִּית, ita omnes antiquae versiones plurali numero reddunt *quid videbitis in Sulammit.* Singulare ergo *videbis* penes Vulgatum aut in librarii culpam reiiciendum est, aut inde forte repetendum, quod ipse legerit תֶּחֱזִי. Quod autem sequitur incisum, in textu sic prorsus habet: כִּמְחֹלַת הַמַּחֲנָיִם, *sicut chorum castrorum.*

2) Cant. VII. 1-6. Ubi verbis Vulgati, *quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis,* haec in textu respondent: מַה־יָּפוּ פְעָמַיִךְ בַּנְּעָלִים בַּת־נָדִיב, *o quam pulcrae plantae tuae calceatae, filia Regis.* Omitto cetera, et referam comma sextum, cuiusmodi in textu legitur:

רֹאשֵׁךְ עָלַיִךְ כַּכַּרְמֶל
וְדַלַּת רֹאשֵׁךְ כָּאַרְגָּמָן
מֶלֶךְ אָסוּר בָּרְהָטִים:

Idest, *caput tuum super te uti Carmelus, et vitta capitis tui sicut purpura Regis illigata maeandris.*

3) Cant. VII. 7. מַה־יָּפִית וּמַה־נָּעַמְתְּ אַהֲבָה בַּתַּעֲנוּגִים: Idest, *quam pulcra et quam suavis dilecta in deliciis.* Antiqua versio quae ad Graecam expressa erat, sic habebat: *speciosa facta es et suavis in deliciis tuis.*

4) Cant. VII. 11. אֲנִי לְדוֹדִי וְעָלַי תְּשׁוּקָתוֹ. Ubi quum עָלַי sit *ἐπ' ἐμέ ad me, super me,* et תְּשׁוּקָה a שׁוּק idem valeat ac *ἐπιστροφή, conversio, desiderium,* totum membrum apte sic redditur: *ego dilecto meo, et super me conversio et amor eius.*

5) In Cant. lib. VI. pagg. 60. col. 2. E. et 61. col. 1. A-B.

6) Cant. VII. 1.

Digitized by Google

o filia Principis bene calceata caput serpentis contrivisti: tu maxime, o Princeps et Domina, singularis dilecta, et sicut iam dixi, una columba mea, una genitrici suae, videlicet generationi liberae, generationi non carnis sed fidei, quae me virum non de carne viri, sed de Spiritu Dei concepisti et pepcristi patrem vel principem filiorum non carnis, sed fidei vel repromissionis. » Ubi autem [1]) haec [2]) enarrat, *umbilicus tuus sicut crater tornatilis, numquam indigens poculis*, subdit: « Quidnam est umbilicum non indigere poculis, nisi non uri vel sitire per appetitum libidinis? Ergo tu o Sunamitis, o filia Principis, corde et corpore es casta, mente et carne integra et incorrupta, cogitatione et opere munda. » Quibus illustrandis haec non minimum conferunt quae occasione [3]) verborum, *venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis*, continuo [4]) addit: « Venter tuus, venter interioris hominis, ipse est sicut acervus tritici, idest numquam indiget pane verbi Dei, imo abundat omni tritico quodcumque seminaverunt alii. Illuc illatum est omne quod prophetarum fides elaboravit. Tu enim, o dilecta, tu es illa [5]) prophetissa, ad quam accessit omnis sanctus et fidelis propheta, ad quam tendebat et in qua completa est omnis sancta et fidelis prophetia. » Hinc [6]) ad verba [7]) progressus, *duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli. Collum tuum sicut turris eburnea*, scribit: « Et ista laus liberae opposita est vituperationi ancillae. Ergo tu, o libera Sunamitis, tu maxime cuius duo ubera sunt gemella, seculis omnibus inaudita, virginitas atque fecunditas: tu, inquam, o dilecta singularis, libera es ab omni iugo peccati. Quid est collum tuum, vel quale est collum tuum? Utique non extentum, imo amabiliter demissum, et haec est humilitas tua, fortitudo magna, fortitudo pulcherrima: vere sicut turris eburnea quae et aspectu amabilis et statura sit fortis. Cui fortis, cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis: diabolo autem terribilis, inaccessibilis. »

697. Eodem pertinent quae [8]) Amedeus lausannensis antistes his verbis complectitur: » Attendamus duos tamquam calathos aureos plenos fructibus et floribus adornatos, novum et vetus testa-

1) Ibid. pag. 61. col. 2. B-C.
2) Cant. VII. 2.
3) Cant. VII. 2.
4) Ibid. pag. 61. col. 2. C-D.
5) Is. VIII. 3.
6) Ibid. pagg. 61. col. 2. E. et 62. col. 1. A-C.
7) Cant. VII. 3-4.
8) Hom. I. de Deiparae laudibus pag. 1263. col. 1. D. biblioth. max. pp. T. XX.

mentum hinc et inde, laeva dextraque Virginis consistentes. Quorum antiquitas transit in laevam, et nova gratia coruscat in dextra. Iure quippe lex mortis in sinistra, et lex vitae in dextra, quia illa facit transgressionem, et haec tollit transgressionem. Ipsa Virgo virginum vernans in floribus et in fructuum suavitate delicians apparet media, et velut arbor plantata in medio paradisi attollit verticem in altitudinem caeli, et de superno rore concipiens fructum refert salutarem, fructum gloriae, fructum vitae, de quo qui ederit, vivet in aeternum. Et ut clarescant quae dicta sunt, paradisus est hortus ad quem Ecclesia invitat [1]) dilectum suum: veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomiferarum suarum. Hortum namque dilecti se nominat, quem fontes Salvatoris irrigant, et rivi donorum inebriant, ut maritata amore Spiritus laetetur, in stillicidiis eius germinans et gaudeat in prole multorum filiorum, tamquam in ubertate geniminum suorum. Haec vocat dilectum comedere fructum pomiferarum, quia [2]) servavit ei poma nova et vetera, dicta scilicet utriusque testamenti. Aut consummatos sensus cordis sui, quos gerit inter ubera, sicut [3]) legitur: erunt ubera tua sicut botri vineae. »

698. Consentiunt quae habet [4]) Petrus cellensis inquiens: « Sed thronus tuus o Deus, o Domina qualis est? Psalmista [5]) dicit: et thronus eius sicut sol in conspectu tuo, et sicut luna perfecta. Forte ideo admirantes caelestes Virtutes [6]) dicunt: quae est ista quae ascendit quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Ut aurora confitentibus, ut sol sanctis suscipientibus, ut castrorum acies ordinata malignis spiritibus: invocant illam conversi, amant illam iusti, exorant peccatores, timent daemones, invalida sunt castra daemonum adversus Dominae nostrae castrorum acies, de quibus in canticis [7]) dicitur: quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? Haec Sunamitis placet Regi sua specie. Quae tam speciosa quam illa cui [8]) dicitur: tota pulcra es amica mea, et item: quam pulcra es amica, quam pulcra in deliciis carissima! Hanc antiquus dierum praeelegit et dedit ei Filium suum: haec Dei praecordia pene iam tepentia, deficiente caritate in humano genere,

1) Cant. V. 1.
2) Cant. VII. 13.
3) Cant. VII. 8.
4) De Deiparae assumpt. Serm. VII. p. 218. B-C.
5) Ps. LXXXVIII. 30.
6) Cant. VI. 9.
7) Cant. VII. 1.
8) Cant. IV. 7. coll. VII. 6.

Digitized by Google

calefecit, et quum adhuc peccatores essemus propter nimiam caritatem suam Filium de Virgine incarnari constituit: haec sapientissima sicut decipere neminem voluit, sic a nemine decipi potuit. Si umquam in creatura sua creator proportionem aliquam reperit, solam istam hoc privilegio praetitulavit: quum essem, inquiens [1]) immaculatus veni ad corpus incoinquinatum. Quid itaque, potentissime, videbis in Sunamite? In me, inquit [2]) Sunamitis, gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Duo sunt via et patria; in via gratia, in patria veritas: in me gratia omnis, sive gratia omnis viae et veritatis; nulla gratia in qualibet via veniendi ad patriam nisi per Dominam nostram, cuius Filius est ille sine quo nihil possumus facere: rursum in illa est gratia omnis veritatis, quia gratia et veritas per Iesum Christum facta est, nec habebit veritatem in patria, qui non amat Christum in via. » Et consentit Bernardus toletanus qui [3]) Deiparam his verbis affatur: « Tu ergo Domina nasus es speciosus, ad quam dicit Sponsus, *nasus tuus sicut turris Libani, quae aedificata est cum propugnaculis*. Tu ergo nasus Ecclesiae similis es turri, celsa videlicet dignitate, firma gravitate. Turris es Libani. Libanus mons, qui dicitur dealbatio, altam prae omnibus signat innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus et ab actualibus peccatis. Nemo ita praeter te. »

699. Sepono quae huc non incommode transferri [4]) ex Ambrosio possent, atque ea describo sane praeclara quae habet [a]) Iohannes

a) Hymn. III. in Deiparam vv. 43-58. pag. 441. in app. ad biblioth. pp. Graeco-lat. T. III.

Χαῖρε ψυχῆς κάλλος ἐπάξιον ὑψιμέδοντος.
   Παρθένε χαῖρε κόρη τερψαμένη τριάδα.
Χαῖρε βροτωσαμένη Θεὸν ὡς βροτὸν, ἔμπαλι δ' αὖτε,
   Χαῖρε θεωσαμένη αἵματος ἐξ ἰδίου.
Χαίροις παμβασίλεια, καὶ ἀμφοτέρων διὰ κόσμων
   Σοὶ θρόνος ἐστὶ πόλις, σὺ θρόνος αὐτοτόπου.
Χαῖρε καὶ εὐπερίγραπτον ἀνάκτορον οὐ περιγράπτου
   Μήτηρ παντογόνου, θρέπτρια παντοτρόφου.
Χαῖρε δόμος πολύολβος ἀκηρασίων παναμώμων
   Πνευματικῶν χαρίτων πλουτοφόρου τριάδος.

1) Sap. VIII. 20.
2) Eccli. XXIV. 25.
3) Serm. IV. in antiph. *Salve regina*, n. 3. pag. 748. A-B. inter opp. Bernardi T. V. coll. 268-260. Cum quibus e re fuerit contulisse quae tradit vulgatus Hildephonsus Serm. 1. de Virginis assumpt. pag. 342. col. 2. C-D. in collect. pp. toletan. Tom. 1.
4) De institut. Virginis cap. XIV. nn. 87-92.

geometra inquiens: « Ave pulcritudo animae digna Altitonante. Ave puella virgo Trinitatem oblectans. Ave quae mortalem effecisti Deum uti ex mortalibus unum, et vicissim ave quae ex proprio sanguine effecta es divina. Ave omnium regina, et utrumque per orbem tibi civitas est thronus, tu thronus eius qui sibi ipsi est locus. Ave circumscriptum feliciter illius palatium qui est incircumscriptus, mater eius qui omnium est pater, et altrix eius qui cuncta alit. Ave domus praedives purissimis, immaculatissimis, spiritalibus donis munificae Trinitatis. Ave porro quae felicitatem largiris, decus magnum et bona servas, o quae sponte custodis dominicum thalamum. Ave quae mundum beas, undequaque splendida et solis formam refers, triadicae gloriae ianua sponte patens. Ave clementissima mihi regina, benigna, hymnumque ex profano nostro ore suscipe. »

700. Iohannem geometram alter excipit Iohannes isque damascenus, qui Deiparam salutans [a]) ait: « Ave mensa, mistum divinitus appositum, omnibus virtutum bonis affluens participatio, ei qui [1]) in canticis dicit, *umbilicus tuus crater tornatilis,* numquam misto vacuus. » Et [b]) rursum: « Salve filia, Dei sacerdos iuvencula, cuius puritas desiderabilis et decor admirabilis illi qui [2]) in canticis dicit, *quam pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia Aminadab.* » Itemque [c]): « Ave purpura regia, quae ex virginali tuo sanguine purpuream vestem texuisti dicenti [3]) in canticis, *plexus capitis tui*

Χαῖρε καὶ ὀλβιόδωρε, μεγακλεὲς, ὀλβιόφρουρε,
Δεσποτικῶν θαλάμων αὐτοθέλητε φύλαξ.
Χαῖρε καὶ ὀλβιόκοσμε, πανεμφαὲς, ἠλιόμορφε,
Τριαδικῆς δόξης αὐτοκίνητε πύλη.
Χαῖρέ μοι ὦ βασίλεια πανίλαος, εὔχαρις, αἶνον
Ἐξ ἀλιτρῶν στομάτων δέχνυσο ἡμετέρων.

a) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 854. B-C. Χαῖρε τράπεζα, τὸ θεόθετον κρᾶμα ἡ πᾶσιν ἀγαθοῖς ἀρετῶν πλήθουσα μέθεξις, τῷ λέγοντι ἐν ᾄσμασιν· ὀμφαλός σου κρατὴρ τορευτὸς, μὴ ὑστερούμενος κράματος.

b) Ibid. pag. 855. D. Χαῖρε θύγατερ, ἡ θυηπόλος νεανὶς, ἧς τὸ ἄχραντον ἐράσμιον, καὶ ὁ κόσμος παράδοξος τῷ φήσαντι ἐν ᾄσμασι· τί ὡραιώθησαν διαβήματά σου ἐν ὑποδήμασι, θύγατερ Ἀμιναδάβ.

c) Ibid. pag. 856. A-B. Χαῖρε πορφύρα βασιλικὸν, ἡ ἐκ παρθενικῶν αἱμάτων σου ἐξυφάνασα ἁλουργίδα τῷ λέγοντι ἐν ᾄσμασι· πλόκιον κεφαλῆς σου ὡς πορφύρα· βασιλεὺς δεδεμένος ἐν παραδρομαῖς· τί ὡραιώθης, ἢ τί ἡδύνθης;

1) Cant. VII. 2.
2) Cant. VII. 1.
3) Cant. VII. 5.

ut purpura, rex vinctus in transcursibus. Quam pulcra et quam suavis! » Neque secus [a]) vulgatus Epiphanius a quo Deipara nuncupatur « Purpura regia, quae caeli terraeque regem induit, universale corporis indumentum purpuram referens. » Hinc [b]) Modestus hierosolymitanus de lectulo loquens in quo sacrum Virginis corpus elatum fuit, exclamat: « O sacer lectule ferens admirabilem currum, quo qui [1]) sedet super Cherubim Deus, vectus processit in terram, naturae nostrae purpura perfecte indutus. »

701. Cuius purpurae nitorem eximiamque dignitatem efferens [c]) Andreas cretensis ait: « Vere tu benedicta, cuius venter [2]) acervus areae, quoniam fructum benedictionis Christum immortalitatis spicam, sine semine ac nullo hominum excolente, messe copiosa et innumerabili ac multis laetantium millibus humanae salutis colono adductis, absolutum fructum produxisti. Tu vere benedicta, quae sola matrum creatori tuo mater praeparata, quae sunt matrum nescivisti. Quae sola benedictionem velut hereditate es consequuta, quam Deus per Abraham gentibus promiserat. » Deus enim, ut [d]) Ephraemus loquitur « Insevit naturae Virginis divinitatem, et tamquam in rimam quamdam et scissuram suum inclusit Filium, ut qualitatem participans naturam redderet communem in assumptione hominis. Fuit igitur Maria Patri arbor, Filio mater, hominibus fons

a) Orat. de Deiparae laudibus pag. 296. E. Ἡ βασιλικὴ πορφύρα τὸν οὐρανοῦ καὶ γῆς ἐνδύσασα βασιλέα, τὸ οἰκούμενον σώματος πορφυροειδὲς ἔνδυμα.

b) Encom. in Deiparam pag. 53. Ὦ ἱεροφόρε σκίμπου φέρων θαυμαστὸν ὄχημα, ἐφ' οὗ ἐποχούμενος προῆλθεν ἐπὶ τῆς γῆς Θεὸς ὁ καθήμενος ἐπὶ Χερουβὶμ, ἐνδυσάμενος ἐντελῶς τὴν τῆς φύσεως ἡμῶν πορφύραν.

c) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 103. B-D. apud Gallandium T. XIII. Σὺ ἀληθῶς εὐλογημένη, ἧς ἡ κοιλία θημονία ἅλωνος· ὅτι καρπὸν εὐλογίας, τὸν στάχυν τῆς ἀφθαρσίας Χριστὸν, ἀσπερμάντως, ἀγεωργήτως ἐτελεσφόρησας, πολύχουν ἄμητον, μυριοπλάσιον, χιλιάδας εὐθυνουμένων τῷ γεωργῷ τῆς ἡμῶν σωτηρίας προσάξασα· σὺ ἀληθῶς εὐλογημένη, ἡ μόνη πασῶν μητέρων προετοιμασθεῖσα μήτηρ τοῦ κτίστου σου, καὶ τὰ μητέρων λαθοῦσα· ἡ μόνη τὴν εὐλογίαν κληρωσαμένη, ἣν εἰς τὰ ἔθνη διὰ τοῦ Ἀβραὰμ ὁ Θεὸς ἐπηγγείλατο.

d) Serm. adv. haereticos pag. 275. C-E. opp. graeco-lat. T. II. Ἐνεκέντρισε τῇ φύσει τῆς παρθένου τὴν θεότητα, καὶ ὡς ἔν τινι θυρεῷ κατέκρυψεν αὐτοῦ τὸν υἱὸν, ἵνα μεταλαβὼν τῆς ποιότητος, ποιήσῃ τὴν φύσιν τὴν ἐπίκοινον, ἀνθρώπου πρόσληψιν· ἐγένετο γοῦν ἡ Μαρία τῷ πατρὶ δένδρον, τῷ δὲ υἱῷ μήτηρ, τοῖς δὲ ἀνθρώποις πηγὴ πνεύματος αἰωνίου, καὶ ἀφθαρσίας ἀνατολή.

1) Is. XVII. 16. 2) Cant. VII. 2.

Digitized by Google

Spiritus aeterni et incorruptionis oriens. » Quo et haec pertinent, Matthaeo cantacuzeno [a]) auctore: « Ad Virginem vero iterum conversus inquit, *quam decori sunt gressus tui in calceamentis?* Hoc est, quonam pacto in te virtutum profectus fauste adeo feliciterque cesserunt, quum in carne degas? *Filia Aminadab,* dignum videlicet Dei et Patris [1]) delicium. »

702. Igitur neque pauca sunt neque obscura quae in ecclesiasticis monimentis ex septimo Cantici capite adhibentur, ut Virginis dotes eximiaeque praerogativae efferantur. Quas inter quum aliae tum hae potissimum eminent, quibus Deiparae adscribitur I. *quod ipsa fuerit a legibus concupiscentiae atque mortis soluta: mente iuxta atque carne integra et inviolata: media Deum inter hominesque peccati vinculis obligatos: veluti arbor in medio paradiso consita: libera prae Eva ancilla et ab omni iugo peccati sive originalis sive actualis soluta.* Quod II. *castra daemonum adversus Dominae nostrae castrorum acies fuerint imbecilla, quod decipi ipsa non potuerit: quod fuerit daemonibus non inaccessa solum sed terribilis: quodque bene calceata serpentis caput illaesa contriverit.* Quod propterea III. *tota fuerit pulcra, tota immaculata, tota Deo propinqua: sola donis praedives munificae Trinitatis, sola undique splendida et solis iubare fulgens, sola quae pro hereditate maledictionis hereditatem benedictionis obtinuerit, et sola prae omnibus speciosa quemadmodum solus Christus prae filiis hominum speciosus et Patris beneplacitum.* Hinc IV. *quod sua specie Deo placuerit et Deo fuerit digna: quod tanta puritate nituerit ut aliquam cum Deo proportionem referre videretur: et quod propterea selecta fuerit in portam salutis, in primitias incorruptionis, in caussam reformationis et in regiam purpuram e qua Unigenitus purpuram humanitatis indueret.*

a) Comm. in Cant. VII. 1. pag. 51. Πρὸς δὲ τὴν παρθένον αὖθις ἐπιστραφείς· τί ὡραιώθησάν, φησι, διαβήματά σου ἐν ὑποδήμασι; τουτέστι· πῶς οὕτως αἱ προκοπαὶ τῶν ἀρετῶν σου κατευθύνθησαν ἐν σαρκὶ οὖσα· θύγατερ Ἀμιναδάβ· ἀξία δηλαδὴ τῆς εὐδοκίας τοῦ θεοῦ καὶ πατρός.

1) *Aminadab*, Ἀμιναδάβ, עמי נדיב, sicuti a Matthaeo redditur εὐδοκία πατρός, ita *beneplacitum* vertitur ab Ambrosio in Ps. CXVIII. Serm. XVII., a quo tamen *pater populi* dicitur in lib. de Isaac cap. VIII. Hieronymo in priore contra Iovinianum libro est *populus sponte offerens.* Iamvero quum Virgini defertur quod sit *Dei et Patris beneplacitum*, in consortium vocatur illius ornamenti quo Unigenitus maxime excellit.

Digitized by Google

ARTICULUS VIII.

Summa eorum quae octavo Cantici capite leguntur: ecclesiastica eorumdem ad Deiparam accommodatio: enarrationes maiorum: atque ex his omnibus ducta immaculati conceptus illustratio.

703. Iis opportune sepositis quae in octavo eodemque postremo cantici capite ex superioribus repetita iterantur, quae ad Sponsam et ad rem adeo nostram spectant, hac summa facile comprehenduntur. Principio enim inculcata [1]) *dilectae* appellatione, qua una prae omnibus Sponsa decoratur, chorus inducitur stupentium atque [2]) exclamantium: *quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Cuiusmodi vero ipsa sit, Sponsus continuo [3]) declarat subdens: *sub arbore malo suscitavi te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Iterumque [4]) declarat his verbis: *si murus est, aedificemus super eam propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Quibus Sponsa adquiescens de semetipsa [5]) ait: *ego murus, et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

704. Sicuti autem haec ad Deiparam accommodare Ecclesia

1) Cant. VIII. 4.

2) Cant. VIII. 5. Vulgati interpretatio, *de deserto*, respondet lectioni textus מִן־הַמִּדְבָּר, ἀπὸ ἐρήμου. Sed Alexandrini reddiderunt λελευκανθισμένη *dealbata*, ac proinde suspicio est ipsos legisse מִן־הַמּוּבָר *sine sordibus*, vel *dealbata*. Sequens incisum, *deliciis affluens, innixa super dilectum suum*, hebraice sic est: מִתְרַפֶּקֶת עַל־דּוֹדָהּ. Porro Abenbezra loquens de voce מִתְרַפֶּקֶת, scribit: *non habet similem in Scriptura, sed arabica lingua significat, sociata.* Igitur nihil impedit quominus eiusmodi incisum vertatur, *sociata sibi carissimo.* Cum his confer Is. LXIII. 1.

3) Cant. VIII. 5-6. Incisum, *sub arbore malo suscitavi te*, hebraice est, תַּחַת הַתַּפּוּחַ עוֹרַרְתִּיךָ, *sub malo excitavi te.* Quod sequitur, *ibi corrupta est mater tua*, sic habet, שָׁמָּה חִבְּלַתְךָ אִמֶּךָ, *ibi concepit te mater tua.* Sed Hieronymus, cui suffragantur Aquila et Symmachus, omnino legit שָׁמָּה חֻבְּלָתֶךָ, ἐκεῖ διεφθάρη, *ibi corrupta est.* Tertium, *ibi violata est*, ita effertur, שָׁמָּה חִבְּלָה, *ibi parturiit.* Sed rursum Aquila, Symmachus et Hieronymus legerunt שָׁמָּה חֻבְּלָה, *ibi corrupta*, aut *violata.* Denique incisum, *genitrix tua*, hebraice est, יְלָדַתְךָ, *genuit te.* Verum quum nihil sit Hebraeis familiarius ellipsi relativi אֲשֶׁר, Gen. XXXIX. 4., I. Ioh. III. 12., Apoc. *I. 5.*, ita heic, *quae genuit te*, vel *genitrix tua.* Iamvero haec ad Mariam relata sponte veluti sua hunc fundunt sensum: *sub pomo Gen. III. 6. corrupta fuit Eva, acceptamque innocentiam peccando amisit. Sed ibidem singulari providentia qua Deus suae matri consuluit, suscitata fuit Maria et subducta a maledicto, cui ceteri relicti sunt obnoxii.*

4) Cant. VIII. 9.

5) Cant. VIII. 10.

Digitized by Google

consuevit, ita de Deipara in maiorum libris eadem enarrata reperiuntur. Et de ecclesiastica quidem consuetudine non minus ex iis plenissime constat quae [1]) in Officiis ad celebrandas Deiparae laudes institutis usurpantur, quam ex iis abunde liqueat quae in solemnibus graecae ecclesiae monimentis recurrunt. Sane in veteri quadragesimali Officio ad rem nostram pertinentia haec [a]) habentur: « Ut salutis ianuam, portumque tranquillum et murum infractum, te, o sancta Maria, o pura Deipara, semper detinentes, nihil prorsus infestos nobis hostes corporeos incorporeosque formidamus. » Tum [b]) haec: « Te salutis portum et inconcussum murum, o Dei genitrix Domina, fideles omnes profitemur; tu enim precibus tuis animas nostras e periculis liberas. » Atque haec [c]) rursum: « Quae fontem, puella, peperisti perfectae a perturbationibus immunitatis, me pravis sauciatum affectibus sana, et ab igne eripe sempiterno, o sola Deo gratissima. » Quibus [d]) haec similia sunt: « O innocens Dei mater, animae meae vulnera, et vitiosas cordis affectiones, mentisque obliquitates sana, utpote sola peccatorum auxiliatrix et eorum qui oppugnantur murus. » Quo praeconio his denuo [e]) ornatur verbis: « Tu, Deipara, armatura nostra et murus exsistis, tu confugientium ad te protectio, tuam nunc pariter opem imploramus, ut ab adversariis nostris liberemur. » Hinc [f]) ea quae subdimus: » Te, o di-

a) Feria II. Tyrophagi Ode η'. pag. 38. Ὡς πύλην σωτηρίας, καὶ λιμένα ἄκλυστον, καὶ τεῖχος ἄῤῥηκτόν, σε, ἁγία Μαρία, θεοτόκε ἁγνὴ, κατέχοντες ἀεὶ, ἐχθροὺς τοὺς πολεμοῦντας ἡμᾶς ἐνσάρκους, ἀσάρκους οὐδ' ὅλως δεδίωμεν.

b) Feria V. Tyroph. Ode δ'. pag. 50. Σὲ λιμένα σωτηρίας, καὶ τεῖχος ἀκράδαντον, θεοτόκε δέσποινα, πάντες πιστοὶ ἐπιστάμεθα· σὺ γὰρ ταῖς πρεσβείαις σου ἐκ τῶν κινδύνων λυτροῦσα τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

c) Feria II. Hebd. I. Ieiun. Ode α'. pag. 94. Ἡ τὴν πηγὴν τῆς ἀπαθείας κυήσασα, τραυματισθέντα πάθεσι, κόρη, θεράπευσον, καὶ πυρὸς αἰωνίου ἐξάρπασόν με, μόνη θεοχαρίτωτε.

d) Feria III. Hebd. I. Ieiun. Ode η'. pag. 106. Θεογεννῆτορ, ἁγνή, τῆς ψυχῆς μου τὰ ἕλκη, καὶ καρδίας τὰ πάθη, καὶ νοὸς ἐκτροπὰς θεράπευσον, ὡς μόνη ἁμαρτωλῶν βοηθὸς, καὶ πορθουμένων τεῖχος.

e) Feria II. Hebd. III. Ieiun. Ode θ'. pag. 229. Σὺ εἶ, θεοτόκε, τὰ ὅπλα ἡμῶν, καὶ τεῖχος, σὺ εἶ ἡ ἀντίληψις τῶν εἰς σὲ προστρεχόντων, σὲ καὶ νῦν εἰς πρεσβείαν κινοῦμεν, ἵνα λυτρωθῶμεν τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν.

f) Fer. V. Hebd. III. Ieiun. Ode η'. pag. 254. Γενεαὶ γενεῶν σε, θεομακάριστε, μα-

1) Cuiusmodi sunt Officia Conceptionis, Assumptionis, septem dolorum, atque b. Virginis sub titulo matris boni Pastoris.

Digitized by Google

vinitus beatificata, generationes generationum iampridem beatam depraedicant, quemadmodum tu praenunciasti; sola namque hominibus peperisti beatum Verbum ex te ineffabiliter incarnatum. »

705. Egregia autem ista sunt quae in Menaeis ex Iosepho [a]) referuntur: « Laudamus te, o inter mulieres benedicta, Deo gratissima, per quam nos primum damnati, iustificati sumus et cum immaterialibus administris cooptati et digni paradiso effecti. Te et murum et perfugium et scalam quae ad sublime provehit hominum genus agnoscentes, o pura et cuiusvis inscia labis, clamamus: benedicite omnia opera Domini Dominum, celebrate eum et superexaltate in omnia secula. » Quibus [b]) haec, eodem auctore Iosepho, respondent: « Sanctorum martyrum sacrum ornamentum vere facta es, o Virgo, et fidelium perfugium, murus etiam et firmamentum, perfectaque redemptio; propterea te magna voce glorificamus. Peremptus est hostis vivifico tuo partu, o Virgo intemerata, et ad vitam revocatus est Adam ob inobedientiam iampridem peremptus, degustato fructu: quare te, o immaculatissima, laudat beatamque celebrat. Divinum hierarcharum decus et gloriosorum martyrum corona vere effecta es, o summe immaculata, eorumque omnium robur qui semper concinunt: laudabilis et supergloriosus Deus patrum. » Tum [c])

καρίζουσι πάλαι, ὡς προεφήτευσας· μόνη γὰρ βροτοῖς τὸν μακάριον τέτοκας λόγον ἀπορρήτως ἐκ σοῦ σωματωθέντα.

a) Men. die XXXI. Octobris Ode ϛ'. pag. 190. col. 2. B. Ὑμνοῦμέν σε, δι' ἧς ἐδικαιώθημεν οἱ πρότερον κατάκριτοι· καὶ συνήφθημεν αὔλοις λειτουργοῖς, καὶ τοῦ παραδείσου ἠξιώθημεν, ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη θεοχαρίτωτε.

Ibid. Ode η'. pag. 193. col. 1. D. Σὲ καὶ τεῖχος, καὶ καταφυγὴν, καὶ κλίμακα πρὸς ὕψος μετάγουσαν τὸ ἀνθρώπινον, παναμώμητε ἁγνὴ, εἰδότες κραυγάζομεν· εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον, ὑμνεῖτε καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

b) Men. die III. Novembris Ode δ'. pag. 19. col. 2. C. Ἁγίων μαρτύρων ἱερὸν ἐγκαλλώπισμα ὤφθης, παρθένε, ἀληθῶς, καὶ τῶν πιστῶν καταφυγὴ, τεῖχός τε καὶ στήριγμα, καὶ παντελὴς ἀπολύτρωσις· μεγαλοφώνως διο σε δοξάζομεν.

Ibid. Ode ϛ'. pag. 20. col. 1. E. Νενέκρωται ἐχθρὸς τῷ ζωηφόρῳ σου, παρθένε τόκῳ ἄχραντε, καὶ ἐζώωται Ἀδὰμ παρακοῇ πάλαι νεκρωθεὶς καρποῦ γευσάμενος· ὅθεν ὑμνεῖ καὶ μακαρίζει σε, παναμώμητε.

Ibid. Ode ζ'. pag. 23. col. 1. D. Ἱεραρχῶν θεῖον ἐγκαλλώπισμα, καὶ ἀθλοφόρων εὐκλεῶν, παναμώμητε, ἀληθῶς στέφανος γεγένησαι· πάντων τε κραταίωμα τῶν μελῳδούντων ἑκάστοτε· ὁ αἰνετὸς τῶν πατέρων θεὸς καὶ ὑπερένδοξος.

c) Men. die XXVIII. Novembris Ode ϛ'. pag. 209. col. 2. A. Ὑπεραγία ἡ τὸν θεὸν μόνη ἐπὶ γῆς ὡς ἀληθῶς τὸν ὑπεράγιον τέξασα, τοὺς σὲ θεοτόκον ἀεὶ κηρύττοντας ἁγίασον καὶ σῶσον τῇ μεσιτείᾳ σου.

Digitized by Google

haec respondent, quae Theophani debentur: « O super sancta, quae sola supersanctum Deum in terra vere peperisti; eos qui te Deiparam semper depraedicant, sanctifica atque tua mediatione serva. Solam illam omni laude dignissimam, mulierum pulcherrimam, Dei genitricem, inexpugnabilem Christianorum murum, inviolatam Dominam, firmo immotoque corde beatificemus. » Neque haec a) abludunt: « Semper te beatificamus, o Dei genitrix benedicta, per quam gloria digni evasimus, et paradisum illum antiquum quem amiseramus, recepimus. Populus tuus, o Virgo, qui te glorificat, te validam habet advocationem, et consolationem, et spem quae non confunditur, murum inexpugnabilem et protectionem divinam, et servatus clamat suavissime: benedicite semper opera Domini Dominum. »

706. Puto autem neque inutile neque ingratum futurum, si perpauca ex iis subtexam quae Imperator Theodorus Lascaris veluti suae in Deiparam pietatis monimentum posteritati commendavit. Sic itaque b) habet: « Veram Deiparam te, o Domina, confiteor, quae mortis potentiam abolevisti: etenim ceu vivificatrix ex inferni vinculis me in terram defluentem ad vitam reduxisti. Te puram, te virginem et incontaminatam solam fero, murum inexpugnabilem,

Ibid. Ode ϛ'. pag. 209. col. 2. E. Τὴν μόνην πανύμνητον, τὴν καλὴν ἐν γυναιξὶ, τὴν τοῦ Θεοῦ λοχεύτριαν, Χριστιανῶν τὸ τεῖχος τὸ ἀῤῥαγὲς, τὴν ἄχραντον δέσποιναν, ἀδιστάκτῳ καρδίᾳ μακαρίσωμεν.

a) Men. die XXIII. Ianuarii Ode δ'. pag. 176. col. 2. B. Μακαρίζομέν σε ἀεὶ, θεοκυῆτορ εὐλογημένη· δι' ἧς δόξης ἠξιώθημεν, καὶ τὸν πρὶν παράδεισον, ὃν ἀπωλέσαμεν, ἀπελάβομεν.

Ibid. Ode η'. pag. 179. col. 2. A. Ἰσχυρὰν παράκλησιν, καὶ ἀκαταίσχυντον ἐλπίδα, τεῖχος ἀπροσμάχητον, καὶ θείαν προστασίαν ὁ λαός σου ἔχει σε, ὁ σὲ δοξάζων, παρθένε, καὶ σωζόμενος κράζει ἐμμελέστατα· εὐλογεῖτε τὰ ἔργα κυρίου ἀπαύστως τὸν κύριον.

b) In magno Canone consolatorio in sanctissimam Deiparam, qui refertur in Paraclit. pag. 446. col. 2. B-C. Ode γ'. Ἀληθῆ θεοτόκον ὁμολογῶ, δέσποινα, σὲ τὴν τοῦ θανάτου τὸ κράτος ἐξαφανίσασαν· ὡς γὰρ φυσίζωος ἐκ τῶν δεσμῶν τῶν τοῦ ᾅδου πρὸς ζωὴν ἀνήγαγες εἰς γῆν με ῥεύσαντα.

Ibid. Ode δ'. pag. 446. col. 2. E. Σὲ τὴν ἁγνὴν, σὲ τὴν παρθένον καὶ ἄσπιλον μόνην φέρω, τεῖχος ἀπροσμάχητον, καταφυγὴν, σκέπην κραταιὰν, ὅπλον σωτηρίας· μὴ με παρίδῃς τὸν ἄσωτον, ἐλπὶς ἀπηλπισμένων, ἀσθενῶν συμμαχία, θλιβομένων χαρὰ καὶ ἀντίληψις.

Ibid. Ode ε'. pag. 447. col. 1. B. Εὐχαρίστως βοῶ σοι· χαῖρε μητροπάρθενε· χαῖρε θεόνυμφε· χαῖρε θεία σκέπη· χαῖρε ὅπλον καὶ τεῖχος ἀπόρθητον· χαῖρε προστασία, καὶ βοηθὲ, καὶ σωτηρία τῶν εἰς σὲ προστρεχόντων ἐκ πίστεως.

perfugium, protectionem fortissimam, salutis armaturam; ne me perditum despicias spes desperatorum, infirmorum auxilium, afflictorum defensio. Cum gratiarum actione ad te clamo: salve o mater virgo, salve Dei sponsa, salve divina protectio, salve armatura [1]) et murus inexpugnabilis, salve tutela et adiutrix et salus ad te ex fide accurrentium. »

707. His vero etsi praeclarissimis non minus insignia sunt quae Ephraemus eximia quadam verborum sententiarumque ubertate docet atque confirmat. Is enim est a quo [a]) Virgo dicitur « Meae animae corporisque restauratio, salus mea, mea vita, mea lux, spes mea, protectio, robur, murus, armatura, defensio, gloria, mediatrix, sanctitas, nuditatis meae operimentum. » Is est qui [b]) de Virgine ait: « Tu abstulisti omnes lacrymas a facie terrae: tu creaturam replesti omni genere beneficii, caelestibus laetitiam attulisti, terrestria salvasti, figmentum mutasti, artificem placasti, superiora atque inferiora per te ipsam conciliasti, optima praeparasti mutans omnia in melius: te Christianorum coetus firmissimum murum possidet: tu paradisi claustra aperuisti, tu adscensum ad caelos praeparasti, tu filio tuo et Deo adoptasti: per te omnis gloria, honor et sanctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummationem seculi, apostolis, prophetis, iustis et humilibus corde, sola immaculatissima, derivata est derivatur ac derivabitur, atque in te gaudet, o gratia plena, omnis creatura. » Is est qui [c]) Deiparam salutans

a) Orat. ad Deiparam pag. 530. E-F. opp. graec. T. III. Ἀνάπλασις τῆς ἐμῆς ψυχῆς, καὶ τοῦ σώματος, σωτηρία μου, ἐμὴ ζωὴ, ἐμὸν φῶς, ἐμὴ ἐλπὶς, σκέπη, ῥῶσις, τεῖχος, ὅπλον, ἀντίληψις, μεσίτης, ἁγιωσύνη, τῆς γυμνότητός μου ἡ ἀμφίασις.

b) Ibid. pagg. 531. F. et 532. A-D. Σὺ ἀφεῖλες πᾶν δάκρυον ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς· σὺ τὴν κτίσιν ἐνέπλησας παντοίας εὐεργεσίας, τὰ οὐράνια εὔφρανας, τὰ ἐπίγεια ἔσωσας, τὸ πλάσμα κατήλλαξας, ἐξιλάσω τὸν πλάστην, τοῖς ἄνω, τοῖς κάτω δι' ἑαυτῆς ἐμεσίτευσας, μετεσκεύασας ἄριστα, τὸ πᾶν πρὸς τὸ βέλτιον· σὲ Χριστιανῶν τὸ πλῆθος ὀχυρώτατον τεῖχος κέκτηται· σὺ τὰ τοῦ παραδείσου κλεῖθρα διήνοιξας· σὺ βαίνειν πρὸς οὐρανοὺς παρεσκεύασας· σὺ τῷ υἱῷ σου καὶ Θεῷ προσῳκείωσας· διά σου πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ ἁγιωσύνη ἀπ' αὐτοῦ τοῦ πρώτου Ἀδὰμ καὶ ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, ἀποστόλοις, προφήταις, μάρτυσιν, δικαίοις καὶ ταπεινοῖς τῇ καρδίᾳ, μόνη πανάχραντε, καὶ ἐγένετο καὶ γίνεται καὶ γενήσεται, καὶ ἐπί σοι χαίρει, κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις.

c) Ibid. pagg. 534. E-F. et 535. A-C. Χαίροις ἁπάντων κτισμάτων ὑπερτέρα· χαί-

1) Iisdem titulis ornatur Deipara in Men. die IV. Decembris Ode δ'. pag. 18. col. 2. B, die VII. Ode ϛ'. pag. 58. col. 2. E. et die XI. Ode ϛ'. p. 95. col. 2. D. Ac rursum in Euchologio pagg. 410. B., 594. C. et 856. C-D.

scribit: « Gaude rerum omnium conditarum sublimissima: gaude benedictissima in seculum seculi: gaude ornamentum mundi muliebris: gaude mensa mysticarum gratiarum: gaude regisque Deique mei victoria: gaude murus invocantium te: gaude defensio simul et firma protectio: gaude omnino immaculata Dei divina sedes: gaude Salomonis lectus sanctissimus: gaude spiritalibus mentibus honorabilior: gaude meorum delictorum solutio: gaude regina generis adamitici: gaude gladius pravorum daemonum: gaude omnium gratiarum caussa. » Is est qui [a]) Deiparam invocans exclamat: « At, o Virgo Domina, immaculata Deipara, Domina mea omni ex parte gloriosa, caelis sublimior, multo purior solaribus splendoribus, radiis, fulgoribus, honorabilior Cherubim, et citra omnem comparationem omnibus caelestibus exercitibus supergloriosior: tu mundi consolatio et pretium redemptionis captivorum: tu firmamentum et spes. « Et is est [b]) qui Virginem Deiparam ex imo pectore his verbis deprecatur: « Ad desperationem saepe Belial me proiicit, sanctissima mea. Ideo auxiliare mihi, ne permittas, Domina, diaboli me ludibrium fieri, purissima. Salve murus fidelium, salve pura quae draconis nequissimi caput contrivisti et in abyssum deiecisti vinculis constrictum. »

708. Muri imago in Ecclesiasticis monimentis toties repetita ipsi quoque arrisit Proclo, cui visum propterea [c]) est diabolicas legiones

ροις παντευλόγητε εἰς αἰῶνας αἰώνων· χαίροις τὸ κάλλος τοῦ γυναικίου κόσμου· χαῖρε τράπεζα μυστικῶν χαρισμάτων· χαίροις τὸ νῖκος τοῦ βασιλέως τε καὶ Θεοῦ μου· χαίροις τὸ τεῖχος τῶν σὲ προσκαλουμένων· χαίροις ἀμυντήριον καὶ στερεὰ σκέπη· χαίροις παναμώμητε τοῦ Θεοῦ Θεῖε Θρόνε· χαίροις Σολομῶν ἁγιωτάτη κλίνη· χαίροις ἀΰλων τιμιωτέρα νοῶν· λύσις χαῖρε τῶν ἐμῶν ἁμαρτάδων· δέσποινα χαίροις ἀδαμιαίου γένους· μάχαιρα χαίροις τῶν πονηρῶν δαιμόνων· χαίροις ἁπάντων τῶν ἀγαθῶν αἰτία.

a) Ibid. pagg. 545. E-F. et 546. A-B. Ἀλλ᾽ ὦ παρθένε δέσποινα, ἄχραντε θεοτόκε, κυρία μου ὁλόδοξε, ὑψηλοτέρα οὐρανῶν, ὑπερκαθαρωτέρα ἡλιακῶν μαρμαρυγῶν, ἀκτίνων, λαμπηδόνων, τιμιωτέρα τῶν Χερουβὶμ, καὶ ἀσυγκρίτως πάντων τῶν οὐρανίων στρατειῶν ὑπερενδοξωτέρα· σὺ παρηγορία κόσμου καὶ λύτρον αἰχμαλώτων· σὺ στερέωμα καὶ ἐλπίς.

b) Ibid. pag. 547. D-F. Εἰς ἀπόγνωσιν πολλάκις ὁ Βελιὰλ ῥίπτει με, παναγία μου· διὸ βοήθησόν μοι, μή με ἐάσῃς, δέσποινα, ἐπίχαρμα γενέσθαι τοῦ πονηροῦ, πανάχραντε· χαῖρε τὸ τεῖχος τῶν πιστῶν· χαῖρε ἁγνὴ, ἡ δράκοντος τοῦ ἀρχεκάκου κάραν συνθλάσασα, καὶ εἰς ἄβυσσον ῥίψασα πεπεδημένον.

c) Orat. VI. in Deiparam §. XVI. pag. 644. B-C. apud Gallandium T. IX. Πῶς οὖν τὴν τοιαύτην σκαφὴν χειμάσωμεν; ἐὰν τὸν ἐν αὐτῇ ὑπνοῦντα κυβερνήτην καταλάβωμεν· πῶς τὸ πρόβατον σπαράξωμεν; ἐὰν τὸν ποιμένα ἀμελοῦντα ὑποπτεύσωμεν· πῶς τὴν πό-

his se mutuo verbis concitantes inducere: « Quonam itaque modo naviculam eiusmodi tempestate iactabimus? Si stertentem in ea gubernatorem invenerimus. Quonam modo discerpemus ovem? Si pastorem negligentem existimaverimus. Quonam modo diripiemus civitatem? Si regem torpescentem ac desidem intellexerimus. Ergo ne satanicus cuneus virginalem hunc non subvertet murum? Num spe frustrabimur, si a laboris mole nequaquam desistamus? Numquid ab exspectatione decidemus, si a vincendi contentione pertinacique studio non recesserimus? Ceterum quum neque virginali officinae insidiari licuerit, nec mentis agrum valuerimus obturbare, et neque proli quae utero gestatur, potuerimus resistere; iam illibatam Virginis conceptionem calumniae iaculis impetemus. » Germanus vero his fundamenti loco [a]) praeiactis, *tu autem quae materna in Deum auctoritate polleas, etiam iis qui gravissime peccant, eximiam remissionis gratiam concilies: non enim potes non exaudiri, quum Deus ceu verae et intemeratae matri suae quoad omnia et per omnia et in omnibus morem gerat,* mox [b]) pergit: « Quis te non admiretur spem incommutabilem, protectionem immobilem, statum perfugium, semper vigilem intercessionem, indeficientem salutem, auxilium stabile, inconcussum patrocinium, murum inexpugnabilem, oblectamentorum thesaurum, paradisum inaccusabilem, arcem tutam, vallum undique munitum, validam auxilii turrim? »

709. Eamdem sectatus imaginem auctor [1]) sermonis de Assumptione, qui inter homilias praestantissimorum ecclesiae catholicae

λιν διαρπάσωμεν; ἐὰν τὸν βασιλέα ῥαθυμοῦντα ὑπονοήσωμεν· ἆρα τὸ σατανικὸν στῖφος οὐ κατασείσει τὸ παρθενικὸν τεῖχος; ἆρα τῶν ἐλπίδων ἀποτυγχάνωμεν, ἐὰν τῶν πόνων μὴ κατολιγορήσωμεν; ἆρα τῆς προσδοκίας διαμαρτάνωμεν, ἐὰν τῆς φιλονεικίας μὴ ἀναχωρίσωμεν; ὅτι δὲ ἐργαστηρίῳ τῆς παρθενίας μὴ δυνηθῶμεν ἐπιβουλεῦσαι, καὶ τῷ χωρίῳ τῆς διανοίας μὴ ἰσχύσωμεν παρενοχλῆσαι, καὶ τῷ ἐμβρύῳ τῆς κοιλίας μὴ δυνηθῶμεν ἀντοφθαλμῆσαι· τότε τοῖς συκοφαντικοῖς πλήξομεν βέλεσι τὴν ἄφθορον τῆς παρθένου σύλληψιν.

a) Orat. II. in Deiparae dormit. pag. 1458. E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Σὺ δὲ μητρώαν ἔχουσα πρὸς τὸν Θεὸν τὴν ἰσχὺν, καὶ τοῖς καθ' ὑπεροχὴν ἁμαρτάνουσι καθ' ὑπερβολὴν τὴν συγχώρησιν ἐξανύεις· οὐδὲ γὰρ ἐνδέχεταί σέ ποτε παρακουσθῆναι, ἐπειδὴ πειθαρχεῖ σοι κατὰ πάντα, καὶ διὰ πάντα, καὶ ἐν πᾶσιν ὁ Θεὸς, ὡς ἀληθινῇ αὐτοῦ καὶ ἀχράντῳ μητρί.

b) Ibid. pag. 1459. D-E. Σὲ τίς μὴ θαυμάσει τὴν ἀμετάθετον σκέπην, τὴν ἀμετάστατον καταφυγὴν, τὴν ἀκοίμητον πρεσβείαν, τὴν ἀδιάλειπτον σωτηρίαν, τὴν σταθερὰν βοήθειαν, τὴν ἀσάλευτον προστασίαν, τὸ ἀπόρθητον τεῖχος, τὸν θησαυρὸν τῶν ἀπολαύ-

1) Serm. in festo Assumpt. pag. 890. col. 2. A-C.

Digitized by Google

doctorum Anselmo tribuitur, adductis [1]) verbis, *intravit Iesus in quoddam castellum,* subdit: « Heic castellum, in quod intravit Iesus, singularem et intemeratam Virginem eiusdem Iesu genitricem, salva Scripturarum regula, per similitudinem accipimus. Castellum enim dicitur quaelibet turris et murus in circuitu eius. Quae duo invicem sese defenduut, ita ut hostes per murum ab arce, et a muro per arcem arceantur. Huiusmodi castello non incongrue virgo Maria assimilatur, quam virginitas mentis et corporis quasi murus ita undique vallavit, ut nullus umquam libidini esset ad eam accessus, nec sensus eius aliqua corrumperetur illecebra. » Huc facit et Petrus Damiani, qui [2]) verba, *quae est ista quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum,* hoc commentario [3]) enarrat: « Haec est regina illa, quam [4]) videntes filiae Sion beatissimam praedicaverunt, et reginae laudaverunt eam. Ascendit autem hodie de deserto, idest, de mundo ad regalis throni celsitudinem sublimata. Deliciis, inquit, affluens. Vere affluens, quia multae filiae congregaverunt divitias, haec supergressa est universas. Deliciarum autem eius non est numerus, quia dum Spiritum sanctum suscipit, concipit Dei Filium, regem gloriae generat, penetrat caelos, cumulata divitiis et deliciis affluens ad regnum evolat sempiternum suum. Innixa super dilectum suum. Rex virtutum dilecti Pater est, in quo sibi bene complacuit. Super hunc innititur mater illa felicior, et in aureo reclinatorio divinae maiestatis incumbens, intra Sponsi immo Filii sui brachia requiescit. O quanta dignitas quam specialis potentia inniti super illum quem angelicae potestates reverenter aspiciunt! »

710. Iamvero in rythmo ad Deum et omnes sanctos inter [5]) orationes Anselmi legimus:

» Maria Virgo virginum,
» Redemptionis ostium,
» Porta salutis integra,
» Lapsis cervicem releva.

» Petenti manum porrige,
» Quietis opem tribue,
» Et per tuum auxilium
» Placare cura Filium.

σιων, τὸν ἀνέγκλητον παράδεισον, τὸ ἀσφαλὲς ὀχύρωμα, τὸ κραταιὸν περιχαράκωμα, τὸν ἰσχυρὸν τῆς ἀντιλήψεως πύργον.

1) Luc. X. 38.
2) Cant. VIII. 5.
3) Serm. XL. de Deiparae Assumpt. pag. 99. col. 2. C-E.
4) Cant. VI. 8.
5) Orat. XL. pag. 273. col. 1. A-C.

Digitized by Google

» Regina caeli filia,
» Mater Dei castissima,
» Ut manus praestet Filii
» Quod servus poscit, subveni.

In libello autem quem Honorius augustodunensis inscripsit, *sigillum beatae Mariae*, discipulis [1]) postulantibus, *rogamus igitur te omnes uno ore iterum novum laborem subire, et nobis causa caritatis aperire cur Evangelium,* Intravit Iesus in quoddam castellum, *et Cantica canticorum de sancta Maria legantur, cum nihil penitus ad eam pertinere videantur;* magister [2]) reponit: « Dicitis vos mirari cur Evangelium, *Intravit Iesus,* et Cantica in festivitate sanctae Mariae recitentur, cum quasi nihil de ea sonare utraque a simplicibus aestimentur. Debetis igitur inprimis de Evangelio scire, quod nihil potuit inveniri in tota Scripturae serie quod convenientius, quod aptius, quod dignius legeretur in eius sacra solemnitate. Dicitur itaque, *Intravit Iesus in quoddam castellum.* In castello est turris alta, in qua contra hostes propugnacula: murus vero exterius, qui est tutela civibus interius. Hoc castellum fuit illud sancti Spiritus saecellum, scilicet gloriosa Dei genitrix virgo Maria, quae iugi angelorum custodia fuit undique munita. » Et aliquot interiectis [3]) pergit: « Gloriosa virgo Maria typum Ecclesiae gerit. Ideo cuncta quae de Ecclesia scribuntur, de ipsa etiam satis congrue leguntur. »

711. Quam vero congrue id fiat, ex his etiam fas est intelligere quae [4]) Amedeus lausannensis antistes habet: « In Scripturis veritatis de sancta matre eius annunciatum est, quia [5]) Virgo concipiet et Virgo pariet Filium, cui nomen Emmanuel, et [6]) gressus eius a principio, a diebus aeternitatis. Hunc sola Virgo meruit suscipere, sola parere, sola lactare in votis et ardenti praestolatione [7]) deprecantis et dicentis Ecclesiae: *quis mihi det te fratrem sugentem ubera matris meae, et inveniam te foris et deosculer te, et iam nemo me despiciat?* » Tum ex his [8]) fas est intelligere quae de Virgine subdit: « Brachia eius illo sunt impressa signaculo, de quo Sponsus [9]) ait in canticis: *pone me signaculum super brachium tuum.* Torques aureus additur collo eius. Hoc soliti sunt secundi in re-

1) Sigillum beatae Mariae pag. 1217. col. 2. H. in biblioth. max. pp. T. XX.
2) Ibid. pagg. 1217. H. et 1218. A.
3) Ibid. pag. 1219. A.
4) Hom. I. de Virginis laudibus pag. 1263. col. 2. G. in maxima pp. biblioth. T. XX.
5) Is. VII. 14.
6) Mich. V. 2.
7) Cant. VIII. 1.
8) Ibid. hom. II. de Virginis laudibus p. 1265. col. 2. H.
9) Cant. VIII. 6.

Digitized by Google

gnis coronari, et haec est secunda corona. Prima namque praefulget in terribili capite dominatoris universae terrae. Secunda cecidit in sorte matris eius. Ipsa enim singularis regnat in regno Dei et Christi, dehinc sub illa et post illam sancti altissimi. » Atque ex his pariter innotescit quae de eadem [1]) scribit: « Igitur caeli reginam, matrem vitae, fontem misericordiae, deliciis [2]) affluentem et innitentem super dilectum suum sedulo celebremus officio, et laude licet impari praedicemus. Feramus animos in sublime intuentes diligentissime, quod [3]) virga elegantissima orta de radice Iesse ramorum suorum mirabili extensione sese ubique terrarum expandit, ut dispersos filios Adae ab aestu, a turbine et a pluvia umbra desiderabili protegeret, fructuque saluberrimo aleret esurientes. Sublimata igitur super omnia ligna paradisi, et super altissimorum montium praecelsos vertices exaltata ipsos caelos inaestimabili magnitudine penetravit. O decus, o gloria, o magnificentia arboris huius, cuius fructu indeficienti, cuius pastu immortali caeligenis atque terrigenis sit iugis epulatio, continua exaltatio, felix et sempiterna laudatio. Beati qui edunt cibum in regno tuo, beati [4]) qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. In te etiam laudabitur non Eva lethi propinatrix, sed Maria vitae propinatrix. Lucifer gloriosus et arrogans vulneratus ad ima corruit. Virgo humilis ad thronum gloriae coronata conscendit. Corruit ille elatus magna de se praesumendo; introivit Maria in holocaustis totam se plenitudini gratiae committendo. Ille dignitatis angelicae clarissimos fines excedens, per praecipitia rapitur, horrore tenebroso tegitur. At gloriosissima, carne integerrima, mente serenissima, viventium mitissima, quo cunctis humilior et sanctior exstitit, eo super omnes elevata, et in caelum a caeli civibus honorificentissime et ex more imperiali suscepta a Patre supremo, in regno claritatis aeternae et in throno excellentissimae gloriae prima post Filium quem ex se genuit incarnatum, iussa est residere. »

712. Quare mirum esse non debet si [5]) Rupertus tuitiensis commentario in canticum finem his verbis imponat: « O beata Maria, mons montium, Virgo virginum, sancta sanctorum, ad omnes quidem convertimur montes aromatum et vocamus ut respondeant

1) Ibid. hom. VIII. de Virginis laudibus pag. 1276. col. 2. F-H. et pag. 1277. col. 1. A.

2) Cant. VIII. 5.

3) Is. XI. 1.

4) Ps. LXXXIII. 5.

5) In Cant. lib. VII. pag. 72. col. 2. C

Digitized by Google

nobis, et hoc est quod unusquisque nostrum dicit [1]), levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi; sed ad te praecipue convertimur, ad te prae ceteris oculos nostros levamus, tuum prae omnibus auxilium suspiramus. » Ut enim Bernardus tum [2]) monet, quum [3]) parabolam virginum prudentium fatuarumque interpretatur « Erat quidem domus earum munda, virgines enim erant: erat ornata, quia simul omnes, idest, fatuae cum prudentibus lampades ornaverant; sed erat vacans, quia in vasis suis oleum non acceperunt. Hinc est quod nec ab eis suscipi in domos suas, nec admittere eas dignatur sponsus caelestis ad nuptias. Non sic mulier illa fortis, quae serpentis caput contrivit. Habes enim post multa [4]) in laudibus eius, quia non exstinguetur in nocte lucerna eius. In sugillationem hoc dicitur fatuarum, quae veniente media nocte sponso, conqueruntur sero et [5]) dicunt: quia lampades nostrae extinguuntur. Processit igitur gloriosa Virgo, cuius lampas ardentissima ipsis quoque angelis lucis miraculo fuit ut [6]) dicerent: quae est ista quae progreditur sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol? Clarius enim ceteris rutilabat, quam repleverat oleo gratiae prae participibus suis Christus Iesus, Filius eius, Dominus noster. » Quo factum est ut spectari Deipara [7]) aliter non possit ac ut [8]) *mulier amicta sole et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.* « Nam et defectus omnis sub ea, et quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate prae ceteris omnibus excedit et supergreditur creaturis, ut merito sub pedibus eius luna esse dicatur. Alioquin nihil magnum dixisse videbimur, ut sit luna ista sub pedibus eius quam super omnes angelorum choros, super Cherubim quoque et Seraphim exaltatam nefas est dubitare. Solet autem luna non modo defectum corruptionis, sed et stultitiam mentis, nonnumquam vero et Ecclesiam huius temporis designare; illam quidem propter mutabilitatem, hanc sane propter susceptum aliunde splendorem. Utraque vero ut ita dixerim luna sub Mariae pedibus congrue satis ponitur, alio tamen atque alio modo. Siquidem [9]) stultus ut luna mutatur, sapiens autem per-

1) Ps. CXX. 1.
2) Serm. II. in Mariae assumpt. n. 9. col. 1006. A-C. opp. T. III.
3) Matth. XXV. 12.
4) Prov. XXXI. 18.
5) Matth. XXV. 8.
6) Cant. VI. 9.
7) Sermo de duodecim praerogativis Deiparae nn. 3-4. col. 1013. B-F. opp. T. III.
8) Apoc. XII. 1.
9) Eccli. XVII. 12.

Digitized by Google

manet ut sol. In sole nimirum et splendor et fervor stabilis; in luna solus splendor, atque is omnino mutabilis et incertus, qui numquam in eodem statu permanet. Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae sapientiae ultra quam credi valeat penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne [1]) prophetae labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undique et circumfundi et tamquam ipso igne concludi. Candissimus sane sed et calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea non dico tenebrosum, sed ne subobscurum saltem vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid aut non ferventissimum liceat suspicari. Insipientia vero omnis longe sub pedibus eius est, ut penitus absit haec ab insipientium mulierum numero et collegio virginum fatuarum. Immo vero et unicus ille stultus et totius stultitiae princeps, qui vere mutatus ut lunae sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariae pedibus conculcatus et contritus miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est [2]) quondam a Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cuius plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine caussa. Sola enim contrivit universam haereticam pravitatem. » Quod ut [3]) ostendat, docet [4]) Mariam mediam Christum inter atque Ecclesiam constitutam; tum [5]) pergit: « In capite eius corona stellarum duodecim. Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam sol vestit? Sicut dies verni, ait [6]), circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. Nimirum [7]) laeva Sponsi sub capite eius, et iam dextera illius amplexatur eam. Quis illas aestimet gemmas? Quis stellas nominet quibus Mariae regium diadema compactum est? Supra hominem est coronae huius rationem exponere, indicare compositionem. Nos autem pro modulo nostrae exiguitatis abstinentes a periculoso scrutinio secretorum, non incongrue forsitan duodecim stellas istas, duodecim praerogativas gratiarum in-

1) Is. VI.
2) Gen. III. 15.
3) Ibid. n. 4. col. 1013. E-F.
4) Ibid. n. 5. coll. 1013. F. et 1014. A-C.
5) Ibid. n. 7. col. 1014. D-F.
6) Cant. II. 1.
7) Cant. VIII. 3.

Digitized by Google

telligere videamur, quibus Maria singulariter adornatur. » Quas ubi recenset, eiusdem generationem priore loco [1]) enumerans ait: « Quid ergo siderum micat in generatione Mariae? Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahae, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus noscitur esse concessa: quod longe ante eisdem patribus repromissa: quod mysticis praefigurata miraculis: quod oraculis praenuntiata propheticis. Huius ergo praerogativae fulgor quorum non vehementer reverberat aciem oculorum? »

713. His autem nihil eorum fit reliquum quae flagitari merito possunt, ut puritas Deiparae semper nitens eiusque conceptus immaculatus celebretur. Et nemo sane inficias eat, affatim ad id testimonia sufficere authentica quibus non modo Deipara appositis decoretur quae nullam patiuntur labem, quaeque ipsum creatae sanctitatis fastigium verticemque praeseferunt; verum etiam coniunctim exhibeatur hinc quidem tamquam peccati et satanae telis inaccessa, inde vero tamquam satanae et peccati victrix, atque adeo digna quae Deum inter hominumque genus media intercedat. Haec enim in summam collecta non minus plenissimam ostendunt puritatem, quam immaculatum omni ex parte conceptum demonstrent. At vero I. ea est Deipara quae in prolatis maiorum testificationibus dicitur *purissima, sanctissima, cuiusvis inscia labis, immaculatissima, summe immaculata, supersancta prae Deo supersancto, ipsa sanctitas, omni ex parte gloriosa et supergloriosa.* Tum II. ea est Deipara, cui veluti proprium tribuitur quod credatur et sit *regina generis adamitici, deliciis supra numerum referta, mons montium, sublimata super omnia ligna paradisi, cunctis sanctior, sancta sanctorum, ornamentum mundi, oleo gratiae prae suis participibus repleta, purior solaribus radiis, honorabilior spiritalibus mentibus, sublimissima rerum creatarum, prima post Filium, et quantum citra personalem unionem creaturae conditio patitur luci inaccessibili immersa.* Ad haec III. ea est Deipara inter cuius laudes numeratur, *quod sola sit Deo gratissima, sola mulierum pulcherrima, sola pura, sola intaminata, sola animo et corpore virgo, sola immaculatissima, et idcirco sola quae concipere Unigenitum meruerit.* Hinc IV. ei defertur quod numquam non fuerit *armatura salutis, protectio immobilis, robur atque de-*

1) Ibid. n. 8. col. 1015. A-B.

fensio divina, vallum undique munitum, valida turris, arx tuta, mentis et corporis virginitate vallata, castellum iugi angelorum tutela protectum, murus infractus, inconcussus, inexpugnabilis quemque satanas neque suis machinamentis subvertere, immo ne tentare quidem aut adgredi potuit. Neque mirum V. quum Deipara celebretur *tamquam daemonum gladius, tamquam mulier fortis quae serpentem profligavit, tamquam pura quae draconis caput contrivit, quaeque illum suis obnoxium pedibus victrix compescuit.* Quare VI. ea est Deipara quae spectanda proponitur *ceu virga elegantissima ex radice Iesse progerminans, ceu paradisus inaccusabilis, ceu filia caeli et mater vitae, quemadmodum Eva fuit mater mortis: ceu talis quae quidquid fragilitatis et corruptionis est excellentissima sublimitate praetergreditur: ceu denique talis cuius tam excellenter irradiata sunt omnia, ut nihil umquam obscuri, nihil opaci, et nihil non splendidi in seipsis admiserint.* Fuit ergo VII. cur ab universo hominum genere secreta haud aliter exhiberetur ac ut *redemptionis ostium, salutis ianua, solutio delictorum, mediatrix per quam reconciliati cum Deo sumus et amissum paradisum recepimus, vivificatrix quae mortis potentiam abolevit, et caussa gratiarum omnium quibus Adami progenies vel ditata olim fuit, vel nunc ditescit, vel ad extremum usque ditescet.* Quare ex maiorum fide atque sententia Richardus victorinus [1]) scripsit: «Obscurentur stellae, idest, sancti caligine humanae culpae; sed beata Virgo *tota pulcra fuit,* quam totam illustravit et perfudit sol iustitiae, ut nec maculam habuerit nec tenebras.»

CAPUT II.

De iis quae Ecclesiae usu maiorumque auctoritate ex libro Proverbiorum, Ecclesiastici et Sapientiae ad Deiparam accommodantur: ea distinctis referuntur articulis et opportune expoliuntur: quid ex singulis, quidve ex omnibus rite colligatur, ut innocentia Virginis omnibus expleta numeris eiusque conceptus immaculatus demonstretur.

714. **N**eque Ecclesiae neque maioribus nostris satis fuit pleraque ex iis omnia quae in Cantico canticorum habentur ad Virgi-

1) In Cant. cant. Par. II. cap. XXVI. pag. 136.

nem accommodare deque Virgine edisserere; sed alia etiam non pauca ex aliis decerpta Scripturarum libris ad ipsam retulerunt deque ipsa diligentissime explanarunt. E quorum numero illa potissimum consideranda veniunt, quae ex libro Proverbiorum, Ecclesiastici et Sapientiae desumpta eo novimus consilio adhibita, ut Virginis dotes insignesque eiusdem praerogativae declararentur. De his animus nobis est in praesentia agere, remque totam, quo melius ordini et perspicuitati consulamus, certis distinctisque articulis complecti.

ARTICULUS I.

De iis quae ex capite octavo Proverbiorum solemni Ecclesiae usu ad Deiparam accommodantur: eiusmodi usus idoneis testimoniis comprobatur: tum inquiritur quaenam censeri debeat Ecclesiae mens de originali Virginis innocentia: eadem investigatio auctoritate maiorum perficitur: et praerogativa immaculati conceptus nova luce perfunditur.

715. Monimenta omnium praeclarissima, quibus solemnis ratusque Ecclesiae usus aperitur, ea videri dubio procul debent quae ad liturgiam pertinent, quaeque ad publica officia referuntur. In his enim monimentis Ecclesiae animus spirat, atque ex his eiusdem fides splendidissime emicat. Iamvero octavum Proverbiorum caput prope integrum in utroque monimentorum genere ad Deiparam accommodatum reperimus. Accommodatum namque illud ad Deiparam reperimus in Missali mozarabico tam *ad offertorium* in votiva eiusdem Missa et in festo Conceptionis, quam in epistola quae in festo Praesentationis frequentatur. Accommodatum illud ad Deiparam reperimus in Missali romano, in quo epistola pro festis Conceptionis et Nativitatis ex hoc capite depromitur. Et illud ad Deiparam accommodatum reperimus in officio eorumdem festorum, in quibus vix non omnia ex hoc capite recitantur.

716. Hoc autem comperto Ecclesiae usu, non potest modo, verum etiam inquiri sedulo debet quae cum eo iuncta sint atque conserta. Quisque porro haud aegre cernit, duo potissimum cum eo cohaerere: atque inprimis cum eo cohaerere, *quae in octavo Proverbiorum capite prostant, sic esse ex Ecclesiae iudicio comparata ut in Virginem apte quadrent, illiusque dotes atque ornamenta insi-*

Digitized by Google

gniter exhibeant: cum eo deinde cohaerere, *primordia atque origines Deiparae iis belle referri quae eodem comprehensa capite leguntur.* Neque enim in festis Conceptionis et Nativitatis hoc maxime capite uteretur Ecclesia, nisi persuasum eidem foret conceptionem et nativitatem Deiparae ad eam formam expressam esse, quae eo in capite repraesentatur.

717. Verum cuiusmodi est haec sive forma sive species? Nemini obscurum erit, si summa illius capitis ob oculos habeatur. Itaque I. texuntur [1]) Sapientiae laudes his verbis: *ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Meum est consilium et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt: per me principes imperant et potentes decernunt iustitiam. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiae et gloria, opes superbae et iustitia. Melior est enim fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis iustitiae ambulo, in medio semitarum iudicii, ut ditem diligentes me et thesauros eorum repleam.* Tum II. Sapientiae origines ac veluti natales [2]) aperiuntur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar.* Hinc III. una cum Deo tamquam omnium caussa et principium Sapientia [3]) sistitur: *quando praeparabat caelos, aderam: quando certa lege et gyro vallabat abyssos: quando aethera firmabat sursum et librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, et le-*

1) Prov. VIII. 12-22. Primum comma ex hebraico textu, אֲנִי חָכְמָה שָׁכַנְתִּי עָרְמָה וְדַעַת מְזִמּוֹת אֶמְצָא, praeclare sic redditur: *ego sapientia habito sollertiam*, idest (collatis locis Is. LVIII. 15. et I. Tim. VI. 16. ubi Deus dicitur *habitare aeternitatem, habitare altitudinem, habitare sanctitatem, habitare lucem*) *teneo atque sollertiam veluti meam perfectissime possideo, et scientiam prudentiarum invenio.*

2) Prov. VIII. 22-27. Pauca monebo de primo atque altero commate. Illud sic babet: יְהוָה קָנָנִי רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ קֶדֶם מִפְעָלָיו מֵאָז *Dominus possedit me principium viae suae, ante opera sua iam inde*, atque ab ipsa adeo aeternitate. Posterius est huiusmodi: מֵעוֹלָם נִסַּכְתִּי מֵקַּדְמֵי אָרֶץ *Inde ab aeterno inuncta sum* tamquam omnium regina, *a primordiis terrae*, πρὸ τοῦ τὴν γῆν ποιῆσαι, *antequam terra fieret.*

3) Prov. VIII. 27-32. Ubi comma 27. in textu his verbis effertur: בַּהֲכִינוֹ שָׁמַיִם שָׁם אָנִי *Quando constituit caelos, tunc ego*, idest, eram, aderam, συμπαρήμην αὐτῷ. Porro commate 30. Sapientia depingitur veluti Dei אָמוֹן *delicium*, iucundissimusque infantulus Ioh. I. 18. ὁ ὢν ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ πατρός.

gem ponebat aquis ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terrae. Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciae meae esse cum filiis hominum. Postremo IV. fructus qui ex Sapientiae societate percipiuntur, et detrimenta vicissim quae ex eiusdem inimicitia imminent, ita [1]) describuntur: *nunc ergo filii audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam et estote sapientes, et nolite abiicere eam. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino: qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.*

718. Igitur si ex Ecclesiae sententia nihil horum est quod commode ad Virginem non referatur: si nihil est quo illius praerogativae atque dotes opportune non explicentur; plane consequitur, praerogativis ornamentisque Deiparae connumerari oportere I. *illam creatis rebus omnibus antecellere, et penes illam esse* [2]) *divitias et gloriam, opes superbas et iustitiam.* Consequitur II. *illius origines puritate nitere ab ea non dissimili, qua hypostatica Sapientia e Patris lumine effulsit: illam primum veluti reginam exstitisse: deque illa verissimo quodam sensu* [3]) *repeti,* Dominus possedit me initium viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno inuncta sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Consequitur III. *Virginem, utpote Trinitatis delicium, mediam esse Deum inter atque hominum genus: per eam homines nova quadam spiritali creatione refingi: deque ea merito ista* [4]) *usurpari,* quando praeparabat caelos, aderam, et cum eo eram ceu delicium et iucunditas. Consequitur tandem IV. *ex inexhausto divinitatis fonte per Mariam non secus ac per ditissimum regiumque flumen superna benefacta in homines iugiter dimanasse atque ita porro dimanare, ut de illa verissime* [5]) *affirmetur,* qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

719. Haec vero quae ex Ecclesiae iudicio consequuntur, quaeque maximam Virginis innocentiam et immaculatum eiusdem conceptum tanta perspicuitate praeseferunt; luculentis praeterea maiorum

1) Prov. VIII. 32-36.
2) Ibid. 18.
3) Ibid. 22-23.
4) Prov. VIII. 27-30.
5) Ibid. 35.

Digitized by Google

dictis commentariisque stabiliuntur. In quibus tamen congerendis multus idcirco non ero, quod et plurima in superioribus huc spectantia deprompserim, neque pauciora sim deinceps pro opportunitate relaturus. Auctor itaque homiliae in occursum Domini Athanasio tributae non solum [a]) Virginem vocat *Christi possessionem, praedium et habitaculum,* sed Symeonis [b]) verba enarrans, *et tuam ipsius animam gladius pertransibit,* inter cetera [c]) ait: « Tuam ipsius animam, quam [1]) Iacob scalam vidit ad caelos attingentem, Moysesque ille [2]) qui Deum vidit, rubum incombustum, lucernam, arcam, tabulamque ac mensam: Aaron [3]) sine humore germinantem virgam conspexit; tuam ipsius animam, o perfecte incorrupta atque immaculata, quam David [4]) arcam vocat sanctificationis, Salomon [5]) autem lectum aureum, et thronum convallemque liliorum, virtutum scilicet, ut puto, divinarum, et paradisum a Deo plantatum. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, tuam ipsius ante nativitatem electae, praedestinatae a seculis et generationibus. Tuam ipsius, quam Pater elegit, Filius inhabitavit, Spiritus sanctus, ut Deo convenit, obumbravit: omnisque creatura Dei matrem et Deiparam propriissime ac verissime praedicat. »

720. De eadem Virginis electione loquens vulgatus neocaesariensis Gregorius [d]) scribit: « Convenienter igitur sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam gratia elegit. Nam similis ei ex

a) Hom. in occursum Domini n. 17. pag. 424. C. inter opp. Athanasii T. II. Ὦ Χριστοῦ κτῆμα, καὶ χρῆμα, καὶ σκήνωμα.

b) Luc. II. 35. Καὶ σοῦ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία.

c) Ibid. n. 16. pagg. 423. E-F. et 424. A. Σοῦ αὐτῆς τὴν ψυχὴν, ἣν Ἰακὼβ φοιτῶσαν ὡς οὐρανοὺς ἑώρακε κλίμακα· καὶ Μωϋσῆς ὁ θεόπτης, βάτον πυράφλεκτον, καὶ λυχνίαν καὶ στάμνον καὶ πλάκα καὶ τράπεζαν, καὶ Ἀαρὼν ῥάβδον ἀνίκμως βλαστήσασαν· σοῦ αὐτῆς, ὦ πανάφθορε καὶ πανάμωμε, ἣν Δαβὶδ μὲν κιβωτὸν καλεῖ ἁγιάσματος, Σολομὼν δὲ κλίνην χρυσῆν, καὶ θρόνον, καὶ κοιλάδα κρίνων· ἀρετῶν, οἶμαι, τῶν θείων, καὶ παράδεισον θεοφύτευτον· καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαῖα· σοῦ τῆς ἐκλελεγμένης καὶ πρὸ γεννήσεως, τῆς προωρισμένη; ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν· σοῦ αὐτῆς, ἣν ὁ πατὴρ ἐξελέξατο, καὶ ὁ υἱὸς ἐνεσκήνωσε, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον θεοπρεπῶς ἐπεσκίασε· καὶ πᾶσα ἡ κτίσις θεοῦ μητέρα καὶ θεοτόκον κηρύττει κυριώτατά τε καὶ ἀληθέστατα.

d) Orat. I. in Mariae annunciat. pagg. 10. D. et 11. A. Πρεπόντως ἄρα τὴν ἁγίαν

1) Gen. XXVIII. 12.
2) Ex. XXVI. 11.
3) Num. IV. 8.
4) Ps. CXXXI. 8.
5) Cant. II. 1, III. 9.

universis generationibus nulla umquam est reperta. » Neque minus perspicue Iohannes damascenus [a]) qui sic habet: « Ave gratia plena, quae ex omnibus generationibus, tribubus, populis, gentibus et linguis electa es. Ave gratia plena, quae ante secula creatori ac regi seculorum fuisti destinata. » Et [b]) rursum: « O filia terrigena, quae Dei genitricibus ulnis creatorem gerebas! Certabant inter se secula, quodnam ortu tuo gloriaretur. Sed eorum contentionem superavit praefinitum Dei consilium, a quo secula facta sunt, ac postrema prima evaserunt, quibus tua fauste nativitas obtigit. Vere res omnes conditas dignitate antecelluisti. Nam ex te sola summus ille opifex partem assumpsit, massae nostrae primitias. Caro eius ex tuis carnibus, et sanguis ex tuis sanguinibus concretus fuit, et Deus ex tuis mammillis lac suxit, tuaque labia Dei labiis cohaeserunt. O miracula mentis captum et sermonem excedentia! Dignitatem tuam praecognoscens universorum Deus, te proinde dilexit, dilectamque praedestinavit, et ultimis temporibus produxit, ac Deiparam matrem, suique Filii ac Verbi nutritiam effecit. » Hinc alibi [c]) in eamdem men-

Μαριὰμ ἐκ πασῶν γενεῶν μόνην ἡ χάρις ἐκλέλεκται· οὐ γὰρ ὁμοία αὐτῇ ἐκ πασῶν γενεῶν τις γέγονεν πώποτε.

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 836. A. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ἡ ἐκ πασῶν ἐκλεχθεῖσα γενεῶν, καὶ φυλῶν, καὶ γλωσσῶν, καὶ ἐθνῶν, καὶ λαῶν, χαῖρε κεχαριτωμένη, ἡ πρὸ αἰώνων προορισθεῖσα τῷ ποιητῇ καὶ βασιλεῖ τῶν αἰώνων.

b) Orat. I. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 846. B-E. Ὦ θυγάτριον γηγενὲς, θεογενικαῖς ἀγκάλαις τὸν κτίστην βαστάσασα· ἡμιλλῶντο οἱ αἰῶνες, ποῖός τις ἐγκαυχήσεται τῇ σῇ γεννήσει, ἀλλ᾽ ἐνίκα τῶν αἰώνων τὴν ἅμιλλαν ἡ προωρισμένη βουλὴ τοῦ θεοῦ τοῦ τοὺς αἰῶνας ποιήσαντος, καὶ γεγόνασιν οἱ ἔσχατοι πρῶτοι, τὴν σὴν εὐμοιρήσαντες γέννησιν· ὄντως τιμιωτέρα πάσης κτίσεως γέγονας· ἐκ σοῦ γὰρ μόνης ὁ δημιουργὸς μοῖραν προσείληφε, τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἡμετέρου φυράματος· σὰρξ αὐτοῦ ἐκ τῶν σαρκῶν σου, καὶ τὸ αἷμα ἐκ τῶν αἱμάτων σου, καὶ γάλα μαστῶν σου ἐθήλασεν ὁ θεὸς, καὶ ἡνώθη τὰ χείλη σου τοῖς τοῦ θεοῦ χείλεσιν· ὢ ἀκαταλήπτων καὶ ἀποῤῥήτων θαυμάτων· σὲ προγνοὺς ὁ τῶν ὅλων θεὸς ἀξίαν, ἠγάπησε, καὶ ἀγαπήσας προώρισε, καὶ ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν χρόνων εἰς τὸ εἶναι παρήγαγε, καὶ θεοτόκον μητέρα καὶ τιθηνὸν τοῦ οἰκείου υἱοῦ καὶ λόγου ἀνέδειξε.

c) Orat. I. in Deiparae dormit. §. III. pag. 859. C-E. Αὕτη γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων ἐκλελεγμένη, τῇ προωρισμένῃ βουλῇ καὶ εὐδοκίᾳ τοῦ σὲ ἀχρόνως, ἀῤῥεύστως τε καὶ ἀπαθῶς γεννήσαντος θεοῦ καὶ πατρὸς, ἱλασμὸν καὶ σωτηρίαν, δικαιοσύνην τε καὶ ἀπολύτρωσιν, σὲ τὴν ἐκ ζωῆς ζωὴν, καὶ τὸ ἐκ τοῦ φωτὸς φῶς, τὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ θεὸν ἀληθινὸν, ἐξ αὐτῆς σεσαρκωμένον ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν χρόνων ἐκύησεν· ἧς ὁ τόκος παράδοξος, ἡ γέννησις ὑπὲρ φύσιν καὶ ἔννοιαν, καὶ τῷ κόσμῳ σωτήριος, ἡ κοίμησις ἔνδοξος καὶ ὄντως ἱερὰ καὶ πανεύφημος· ταύτην ὁ πατὴρ μὲν προώρισε, προφῆται δὲ διὰ μὲν τοῦ πνεύματος ἁγίου προηγόρευσαν· ἡ δὲ τοῦ πνεύματος ἁγιαστικὴ δύναμις ἐπεφοίτησεν, ἐκάθηρέ τε καὶ ἡγίασε, καὶ οἱονεὶ προήρδευσε.

Digitized by Google

tem de Virgine scribit: « Haec enim quum ab antiquiori aevo, praefinito consilio ac benigna Dei Patrisque voluntate, qui te extra tempus sine fluxu et perpessione genuit, electa esset, te propitiationem et salutem et iustitiam et redemptionem, vitam de vita, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero extremis temporibus ex se incarnatum peperit: cuius partus novus et inusitatus fuit, generatio natura et cogitatione praestantior mundoque salutaris, obitus denique praeclarus et sacer omnique commendatione dignus. Hanc quidem Pater praedestinavit, prophetae vero per Spiritum praenuntiaverunt: vis autem Spiritus sanctificans superveniens expurgavit sanctamque reddidit, et velut praerigavit. »

721. Consentit [a]) Georgius nicomediensis, qui de Virgine verba faciens illam nuncupat « Thronum gloriae, currum regalem, quo vectum Verbum in terram incarnatum venit: Sion illam [1]) sanctam, quam creator elegit, quam pro ratione providentiae ante secula paravit; ex qua carne natus est, ex qua prodiens impiorum vires confregit. » Consentit [b]) Nicetas paphlago qui Virginis laudes extollens, post alia scribit: « Quum enim multa et infinita in ea detecta sint magnifica opera atque munera; primum istud mirabilissimumque, quod supernaturalis nativitatis modum supra naturam evectum Deus praestrueret. Sapientia enim iam tum a principio ante secula eorum quae fient eventus praevidens, pro finium ratione congrue principia substernit. Quod igitur futurum erat, ut nedum Dei mater audiret, sed et filia secundum Spiritum adoptionis, sed

a) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1098. B-D. apud Combefisium Auctar Tom. I. Τὸν θρόνον τὸν ἔνδοξον, τὸ βασιλικὸν ὄχημα, ἐν ᾧ ὁ λόγος ὀχούμενος μετὰ σαρκὸς ἐπεδήμησε· τὴν Σιὼν τὴν ἁγίαν, ἣν ὁ δημιουργὸς ἐξελέξατο· ἣν τῷ τῆς προνοίας λόγῳ, πρὸ τῶν αἰώνων ἡτοίμασεν· ἐν ᾗ σαρκικῶς ἐγεννήθη, ἐξ ἧς προελθὼν τῶν ἀσεβῶν τὰς δυνάμεις συνέτριψε.

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 438. A-B. apud Combefisium Auctar. T. III. Πολλῶν γὰρ καὶ ἀπείρων ἀποκαλυπτομένων μεγαλουργιῶν ἐν αὐτῇ τοῦτο πρῶτον καὶ θαυμασιώτατον, τὸν ὑπερφυοῦς τῆς γεννήσεως τρόπον ὑπερφυῶς προκατεβάλλετο, ἄνωθεν γὰρ ἡ σοφία πρὸ αἰώνων τὰς τῶν γινομένων ἐκβάσεις προορῶσα, ἀναλόγως τοῖς τέλεσιν ὑποβάλλει καὶ τὰς ἀρχάς· ἐπειδὴ οὖν ἔμελλεν, οὐ μήτηρ μόνον χρηματίσαι θεοῦ, ἀλλὰ καὶ θυγάτηρ κατὰ πνεῦμα υἱοθεσίας, ἀλλὰ καὶ βασιλὶς καὶ κυρία τῶν ὅλων ἀναῤῥηθήσεσθαι· διὰ τοῦτο καὶ ἡ σύλληψις εὐθὺς ξένη, καὶ ἡ πρὸς τὸν βίον αὐτῆς εἴσοδος καινοπρεπής· διὰ τῶν ἡττόνων πρὸς τὴν τῶν μειζόνων αὐτὴν ὁδοποιοῦσα πίστιν.

1) Ps. CXXXI. 13.

et regina atque domina universorum celebraretur; idcirco etiam conceptio statim nova, eiusque in vitam ingressus mira extra usum ratione, quo nimirum ex minoribus ad maiorum fidem illi viam complanaret. »

722. Utrique suffragatur [a]) Andreas cretensis qui modo explendae reconciliationis commemorato pergit: « Quei vero ea res ad finem deduceretur, nisi prius munda intactaque Virgo ministraret mysterio, tumque lege supra naturae leges eum qui substantia superior est, in utero gestaret? Quaenam autem alia virgo haec possit intelligi, nisi quam ante omnes generationes naturae totius creator elegit? Haec porro Maria Dei genitrix est, illud a Deo vocatum nomen, ex cuius processit utero divinissimus ille carne indutus, quam sibi ipse in templum novum admirabili plane modo compegit. » His edoctus [1]) Isidorus thessalonicensis de Virgine ait: « Terra haec verum edidit panem et vinum laetificans hominis cor, quae nimirum nobis sunt meus Iesus et confirmans et laetificans. » Tum [2]) subdit: « Propter haec de ea propheta David [3]) ante cecinerat, *replebimur in bonis domus tuae*. Haec [4]) via et veritas et vita. Nam haec etiam ille est qui ab ipsa est, per ipsam et ad caelestem Patrem acceditur, quandoquidem nemo ad illum nisi per novum Virginis partum, ad hunc vero venit nemo sine matre. Et quum Deus hominem crearet, ob id, arbitror, illud [5]) praenunciavit: *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ut enim homines certa possent scientia contendere, quod plane perspicueque pervenisset homo ad divinam similitudinem, quantum fas esset per lutum e quo habet homo ut differat a Deo et ab angelis, nullus a prima temporum origine fuit ut Virgo, neque erit per futura secula. Nam neque Adam, neque ullus Adae filius perfecte implevit modum humanae

a) Orat. in Deiparae nalivit. pagg. 95. E. et 96. A. apud Gallandium T. XIII. *Τίνα δὲ τρόπον τοῦτο εἰς πέρας ἄγοιτο ἄν, ἢ παρθένου καθαρᾶς καὶ ἀνεπάφου διακονουμένης τῷ μυστηρίῳ πρότερον, εἶτα κυοφορούσης τὸν ὑπερούσιον, νόμῳ τοὺς νόμους ὑπερνικῶντι τῆς φύσεως; αὕτη δὲ τίς ἂν νοοῖτο, πλὴν μόνης ἐκείνης, τῆς πρὸ πασῶν γενεῶν ἐκλελεγμένης τῷ παγγενέτῃ τῆς φύσεως; αὕτη ἐστὶν ἡ Θεοτόκος Μαρία, τὸ θεόκλητον ὄνομα, ἧς ἐκ νηδύος μετὰ σαρκὸς ὁ ὑπέρθεος προελήλυθεν, ὃν αὐτὸς ἑαυτῷ ναοποιήσας ὑπερουσίως ἐπήξατο.*

1) Orat. III. in Deiparae annnnciat. pag. 82. edit. Maraccii.

2) Ibid. pagg. 82-83.

3) Ps. LXIV. 5.

4) Ioh. XIV. 6.

5) Gen. I. 26.

Digitized by Google

excellentiae. Quum ergo talem magnitudinem (quia non erat facta) fas quidem esset apprehendere et quaerere, experientia vero notitiam nullam praeberet nec aperte illam oculis subiiceret, non efformata scilicet ex pulvere honorabilissima Virgine; visa fuisset divina vox in cassum pronunciata. Propter ipsam igitur dictum fuit excelsum illud elogium de homine quod esset ad similitudinem Dei creandus. »

723. E quibus inferendo [1]) colligit: « Praeterea propter ipsam initio creatus homo est, et extensum caelum et terra et quidquid propter hominem productum est. Nam si praeviderat quidem Deus Adae lapsum, haud vero creasset, non praedestinata simul reparatione: medela autem per Virginem parabatur; liquet hominem etiam esse propter ipsam, et quidquid propter illum fuit ante et post illum. Rursus quia hominem liberare ab aerumna non valebat homo eiusdem naturae, quique propter virtutis abundantiam esset idoneus ad utendum Dei adiuvantis auxilio: maior enim erat culpa quam ut purus homo [2]) posset libertatem afferre; opus erat novum creari hominem qui valde prope ad Deum accederet ut medicinam adhibere posset. Hic vero plane fuit stupendissimus ille homo, Virgo, cunctorum hymnis decantatissima, de qua vel ipsi Deo curae fuit [3]) praedicere, quod tantis viribus esset praevalitura: et formare illam ut homo esset ad divinam similitudinem, quae quasi Deus operanti Deo suam operam praestans, nobili creaturae homini posset dare salutem. Licet igitur ex his etiam inferre, quod ab initio divina bonitas non fuisset diffusa, nec ulla creaturarum Dei gloriam enarraret, si multitudo decorum Virginis non prius emicuisset in mente opificis: neque enim Deus illud creasset quod ad meliorem sui statum, quoad eius fieri posset, pertingere non valeret. Cum ergo nemo alius aut hominem erexisset aut angelos illustriores reddidisset, aut quamvis aliam rem in formam hilariorem perduxisset,

1) Ibid. pagg. 83-85.

2) « Licet beata Virgo, *monet in subiecta adnotatione Maraccius pag.* 215, fuerit in se purus homo et pura creatura, quia in se nullam habuit unionem hypostaticam cum aliqua persona divina; attamen licentia quadam pia et abstrahendo a rigore theologicae loquutionis, potest dici non purus homo in Filio, ob hypostaticam unionem cum persona Verbi, homine Deo, quatenus idem Verbum sua carne induit, et per ipsum sua carne indutum homini perdito salutem et libertatem attulit. *Una est enim Mariae et Christi caro*, inquit in suo tractatu de laudibus Virginis Arnoldus carnotensis: et beatus Petrus Damiani in serm. de Nativitate, *Christus quodammodo est in Virgine per identitatem, quum sit idem quod ipsa*. Quomodo autem aliqua quae Deo et Christo sunt propria, tribui possint beatae Virgini, et quomodo a sanctis patribus eidem beatae Virgini tribuantur, explicat inter alios Hadrianus Lyreus in trisagio mariano in prooemio. »

3) Gen. III. 15.

praeter celeberrimam, sublimissimam, divinamque Virginem; liquido constat Deum esse creatorem propter ipsam, datoremque omnium quae bonitatis eius pelagus in nos refundit. » Et [1]) continuo: « Nec vero ea tantum ratione Verbi creatoris est mater quod eum peperit, sed etiam velut creatricis eius bonitatis mater, utpote argumentum et caussa manifestandae potentiae bonorum effectricis. Ita, si licet audacter loqui, concreatrix Dei fuerit etiam ante quam orta esset in terra, et comproductrix visibilium et invisibilium ad hanc pulcritudinem creaturarum; quemadmodum et ubi Virgo apparuit universi huius mundi fuit conformatrix et coornatrix. Nec solum praesentia propter ipsam habuere ortum, sed quidquid etiam illustre futurum est, beneficio ipsius erit: siquidem et illa propter nos, et nos propter ipsam, ut probatum est. »

724. Succedunt e Latinis non pauci, e quorum numero [2]) antiquus auctor sermonis in Deiparae nativitatem, commendata primum illius misericordia, subdit: « Nec mirum, o Domina, si tam copioso misericordiae oleo tui cordis perfusum est sanctuarium, quum illud inaestimabile opus misericordiae quod praedestinavit Deus ante secula in redemptionem nostram, primum in te a mundi artifice fabricatum sit. Quando enim complacuit gratiae supernae ut habitaret in nobis, a quibus diu elongata fuerat: tu sola digna inventa es, ut in tua virginali aula Rex regum et Dominus dominantium a regalibus sedibus veniens, primam sibi mansionem inter filios hominum eligeret. » Quare [3]) Rupertus tuitiensis descriptis cantici [4]) verbis, *surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni,* ita Virginem loquentem sistit: « Igitur haec verba dilecti loquentis mihi sic accipite quasi verba desiderantis, tamquam festinantis et optantis iam adesse materiam tantae salutis, scilicet me cuius caro illi materia foret assumendae carnis. Tamquam praesenti loquebatur mihi, meque iubebat surgere et properare, idest nasci et hospitium ventris mei sibi initio praeparare. Et revera priusquam nascerer, illi praesens aderam: antequam fierem, bene illi cognita fueram. Si enim Sapientia, ut ipsa [5]) testatur, iam antequam fieret, ludens erat cum eo in orbe terrarum, et deliciae eius cum filiis hominum; quanto magis ludens erat et deliciabatur cum ista an-

1) Ibid. pagg. 85-86.
2) Inter Homilias praestantiss. Eccles. cath. doctorum, pag. 902. col. 1. E.
3) Op. cit. pagg. 852-853.
4) Cant. II. 10.
5) Prov. VIII. 30-31.

Digitized by Google

cilla Domini, miraculo cunctorum filiorum vel filiarum hominum? » Quam priscus auctor operis de corona beatae virginis Mariae compellat [1]) inquiens: « O praeclara puella in matrem summi regis ab aeterno et ante secula praeparata! O regina splendida! Ab Spiritu sancto in sponsam omnium virtutum monilibus adornatam, a primo diluculo exoptatam, opus mirificum a summo conditore varietate mirifica vivifica compactum, totius sanctitatis et perfectionis sculptura mirificentius decoratum. Tu enim, Domina, es illa de qua [2]) scriptum est, *dixit Deus fiat lux et facta est lux.* O lux pura, lux pulcra, lux illuminans caelestia, illustrans terrestria, terrificans inferna, lux reducens erroneos, laetificans languidos, exhilarans angelos, et omnes curiae paradisi sanctos et iustos. » Hinc [3]) Goffridus vindocinensis abbas « Unde, *inquit,* Dei Filio haec sancta Virgo placuerit, si quaeratur; dilectione videlicet et humilitate, qua prima Domino virginitatem devovit. Ipsa enim Dei Sapientia [4]) dicit, *ego diligentes me diligo.* Vere dilexit Dei sapientia Mariam, et Maria dilexit et multum dilexit Dei Sapientiam, Deum scilicet Dei Patris Filium. Dilexit quidem alter alterum, sed Deus amplius dilexit, qui amplius diligere et novit et potuit. Dilexit utique eam super beatam societatem apostolorum, super angelos et archangelos, et super omnes virtutes et potestates caelorum. » Quare illam Petrus Damiani [5]) vocat *ante constitutionem mundi in consilio aeternae Sapientiae electam et praeelectam;* deque illa in Menaeis [a]) legimus: « Te, o Deipara, ante omnes generationes Christus selegit in suimetipsius habitaculum, nos perditos praestantissima unione renovans. » E quibus repetendum est quod [b]) in Anthologio canitur:

a) Men. die IV. Ianuarii Ode η'. pag. 41. col. 2. A. Ἀπὸ πασῶν σε γενεῶν ἐξελέξατο Χριστὸς εἰς κατοικίαν ἑαυτῷ, θεοτόκε, ἀνακαινίζων ἡμᾶς φθαρέντας ἑνώσει τῇ κρείττονι.

b) Antholog. in Octoecho pag. 15. col. 1. B. Σὲ τὴν μεσιτεύσασαν τὴν σωτηρίαν τοῦ γένους ἡμῶν ἀνυμνοῦμεν, θεοτόκε παρθένε· ἐν τῇ σαρκὶ γὰρ τῇ ἐκ σοῦ προσληφθείσῃ ὁ

1) Coron. b. Virginis cap. XXII. pag. 431. in collectt. pp. toletan. T. I.

2) Gen. I. 3.

3) Serm. in Deiparae nativit. pag. 110. col. 1. B-D. apud Combefisium biblioth. concionat. T. VIII.

4) Prov. VIII. 17.

5) Serm. XLV. in Deiparae nativit. pag. 111. col. 1. D. opp. T. II. Quam sententiam inculcat Hermannus monachus in tractatu de incarnat. Domini cap. VIII. pag. 389. apud Gallandium T. XIV., ubi ad Deiparam referens verba Gen. II 8. scribit: « Plantaverat ergo eam Dominus a principio, quia *antequam quidquam faceret a principio, ab aeterno ordinata erat et ex antiquis antequam terra fieret:* immobiliter in praescientia sua Deus proposuerat et definierat per eius fructum reparare genus humanum. »

Digitized by Google

« Te, o Deipara virgo, hymnis efferimus, quod generi nostro salutem conciliaveris. Filius enim tuus idemque Deus noster in carne ex te suscepta et per crucis quam subiit passionem, nos, utpote hominum amans, ex corruptione redemit. » Et [a]) rursum: « O innocentissima, quae sola super mentem mediatrix fuisti inter conditorem et homines, deprecare Filium tuum ut benignus sit in lapsos servos tuos illorumque propugnator. »

725. Huc itaque redeunt quae maiores nostri sive octavum enarrent Proverbiorum caput, sive oculos in illud intendant, de Virgine docent. Nimirum docent I. *Virginem super omnes divinitus fuisse dilectam, praedestinatam a seculis, solam ex omnibus generationibus electam et praeelectam, destinatam ante secula creatori atque regi, et pro ratione providentiae ante secula ita adornatam atque instructam, ut unigenitus Dei Filius suam ex ea carnem convenienter indueret.* Hinc II. docent *illius conceptionem fuisse novam, mirum in mundum ingressum, modum nativitatis in sinu atque ex sinu supra naturam evectum, ut initia atque origines iis apte quae erant consequutura responderent.* Consequuturum porro erat III. *ut Virgo crederetur et esset munda, intacta, sacrosancta, perfecte incorrupta et immaculata, digna Dei filia, et Christi possessio, praedium atque habitaculum.* Consequuturum erat IV. *ut multa atque infinita in Virgine splenderent, ut illa omnibus praecelleret, ut nemo illi similis foret, sed ipsa esset naturae venustas, feminarum gloria, miraculum inter omnes hominum filios, vera Dei similitudo et sola digna quae Christi mater esset, quaeque nobilissima Christi mediatoris et instauratoris ornamenta in semetipsa ceu in ectypo referret.* Nominatim vero V. *utpote innocentissima in semetipsa decus referret, quo communis via salutis haberetur, sola inter creaturas mediatrix, sola per quam ad Filium et ad Patrem pateret accessus, sola quae deceptorem deceperit, et sola quae contra satanam praevaluerit eiusque robur infregerit.*

726. Quemadmodum vero haec doctrinae capita eiusmodi sunt,

υἱός σου καὶ Θεὸς ἡμῶν, τὸ διὰ σταυροῦ καταδεξάμενος πάθος, ἐλυτρώσατο ἡμᾶς ἐκ φθορᾶς, ὡς φιλάνθρωπος.

a) Ibid. Ode ϛ'. pag. 18. col. 1. D. Πάναγνε, ἡ μόνη τῷ πλαστουργῷ καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑπὲρ νοῦν μεσιτεύσασα, τὸν υἱόν σου ἵλεων τοῖς ἐπταικόσι δούλοις σου καὶ ὑπέρμαχον χρηματίσαι δυσώπησον.

quae cum originali labe cohaerere non possunt; ita iuncta simul atque conserta non modo Virginem sistunt ab universali praevaricatione solutam, sed illi culmen creatae perfectionis atque innocentiae tribuendum esse demonstrant. Iure igitur Bonaventura [1]) eam versans quaestionem, *quomodo caeli natura et proprietates beatae virgini Mariae conveniant,* scripsit: « Nec caret natura et proprietate caelesti Virgo beatissima, ad cuius uterum subintrandum per incarnationem Verbi est divinitas inclinata, quando [2]) secundum Psalmistam, *inclinavit caelos et descendit; ibi Verbum Dei se inclinavit, et carne indutum ad nos venit,* sicut ibi exponit glossa. Caeli itaque puritatem in se habere debuit Maria, de cuius mundissimis particulis illa purissima caro Verbi caelestis unibilis est assumpta. Ecce caelum et caeli caelorum deitatis magnitudinem ad plenum capere non possunt, sicut [3]) dicitur in tertio Regum, et ad comprehendendam magnificentiam gloriae sanctitatis eius virtutes caelestes non sufficiunt; et tamen Maria ipsum cum plenitudine deitatis genuit, ad cuius susceptionem totus mundus non sufficit nec suffecit, iuxta illud [4]) Sapientiae, *tamquam momentum staterae est ante te orbis terrarum, et tamquam gutta roris antelucani.* Et [5]) Isaias, *ecce omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram te.* Patet igitur quod Maria Deum incomprehensibilem totum et plenum in se nullatenus suscepisset, nisi virtute et gratia caeli magnitudinem transcendisset. Caelo igitur caelica Virgo comparatur, quia caelo nihil purius, nihil sublimius, nihil pulcrius, nihil utilius, nihil communius, nihil velocius, nihil perfectius, nihil durabilius inter corpora visibilia invenitur. Caelo igitur nihil est purius, et hoc propter naturae suae transparentiam et diaphaneitatem: et hoc gloriosissimae Virgini convenit propter omnimodam ipsius munditiam et castitatem. Nam per sanctificationis gratiam in utero materno exstitit ab omni originalis culpae foeditate depurata, et ad susceptionem Verbi vitae antequam nasceretur, disposita et praeordinata, iuxta illud [6]) psalmi: *parata est sedes tua ex tunc.* » Ne vero haec de alia gratiae depuratione quam praeservante intelligantur, ea plane exposcunt quae continuo [7]) Bonaventura subiicit: « Nam quae ab aeterno prae-

1) De ecclesiast. hierarch. Part. IV. cap. VII. pag. 291. col. 1. E-F. et col. 2. A. opp. T. VII.
2) Ps. XVII. 10
3) III. Reg. VIII. 27.
4) Sap. XI. 23.
5) Is. XL. 15.
6) Ps. XCII. 2.
7) L. c. pag. 291. col. 2. A-C.

electa est et praedestinata in Dei scientia, ut ad tantam gloriam assumeretur, in materno utero a Spiritu sanctificante praeventa est et sanctificata, ut in tempore a Patre luminum praefixo mater Dei fieri mereretur, sicut dicit [1]) in Proverbiis: *ab aeterno ordinata sum, antequam terra fieret.* Et [2]) in Ecclesiastico: *ab initio et ante secula creata sum,* idest, quodam privilegiato modo creari praevisa, ut perficerer caelum in quo Deus novo modo resideret, sicut dicit [3]) Psalmista: *Dominus in caelo paravit sedem suam.* Et [4]) Isaias, *caelum mihi sedes est.* »

ARTICULUS II.

De nonnullis ex capite nono Proverbiorum usu Ecclesiae ad Deiparam accommodatis: quid his contineatur: quo spectent ex interpretatione maiorum: et quam egregie immaculato Deiparae conceptui suffragentur.

727. Nonum Proverbiorum caput his omnino [5]) verbis Salomon orditur: « Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, et ad moenia civitatis: si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus loquuta est: venite, comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam et vivite, et ambulate per vias prudentiae. »

728. Nihil porro exploratius quam fuisse iampridem Ecclesiae usu receptum, ut haec quae attulimus, ad Deiparam accommoda-

1) Prov. VIII. 23.
2) Eccli. XXIV. 14. coll. Prov. VIII. 22.
3) Ps. CII. 19.
4) Is. LXVI. 1.
5) Prov. IX. 1-7. Quae ex hebraico textu illustrari non minimum possunt. Itaque comma primum sic habet. חָכְמוֹת בָּנְתָה בֵיתָהּ חָצְבָה עַמּוּדֶיהָ שִׁבְעָה *Sapientia* (pluralis namque *excellentiae* numero singulari reddi debet) *aedificavit domum suam, excidit columnas eius septem.* Ubi suffixum femininum in עַמּוּדֶיהָ, non ad בַּיִת *domum*, quod uti masculinum adhiberi constat, sed ad Sapientiam referendum est. Incisum commatis secundi, טָבְחָה טִבְחָהּ, veteres interpretes unanimes reddunt, *immolavit victimas suas.* Videntur tamen *speciem pro genere* usurpasse, quum heic sermo sit non de apparatu sacrificiorum quae homines Deo mactant, sed de apparatu epularum ad quas Sapientia homines invitat. Tandem commati quarto haec in textu respondeant: מִי־פֶתִי יָסֻר הֵנָּה *quis est imperitus? divertat huc,* ad me Sapientiam.

Digitized by Google

rentur. Haec enim ad Deiparam accommodata cernimus [1]) in Graecorum Menaeis, in [2]) Officiis romanae ecclesiae, et in vetusto Missali gothico-gallicano, in quo prima *collectio pro missa in adsumptione sanctae Mariae matris Domini nostri* sic [3]) habet: « Deus, qui dum opus illud fabricae mundialis, quod sola imperii iussione creaveras, perire non pateris, domum tibi in alvum Virginis fabricasti; et ne periret gens a te plasmata, revelasti seculis inaudita mysteria, ut quem caelorum excelsa non capiunt, parvus puellulae alvus includeret: precamur supplices, ut de quibus et pro quibus suscepisti membra mortalia, intercedente beata Maria genitrice tua, capere facias, devicta seculi ambitione, victoriam, salvator mundi. » Sequitur [4]) altera *Collectio post nomina:* « Habitatorem virginalis hospitii, sponsum beati thalami, dominum tabernaculi, regem templi, qui eam innocentiam contulit genitrici, qua dignaretur incarnata deitas generari: quae nihil seculi conscia, tantum precibus mens attenta, tenuit puritatem in moribus quam perceperat angeli benedictione visceribus: nec per assumptionem de morte sensit inluviem quae vitae portavit auctorem: fratres karissimi, fusis precibus Dominum imploremus, ut eius indulgentia illuc defuncti liberentur a tartaro, quo beatae Virginis [5]) translatum corpus est de sepulcro. » Hanc excipit [6]) *Collectio ad pacem* his verbis concepta: « Deus universalis machinae propagator, qui in sanctis spiritaliter, in matre vero Virgine etiam corporaliter habitasti: quae ditata tuae plenitudinis ubertate, mansuetudine florens, caritate vigens, pace gaudens, pietate praecellens, ab Angelo gratia plena, ab Elisabeth benedicta, a gentibus merito praedicatur beata: cuius nobis fides mysterium, partus gaudium, vita provectum, discessus attulit hoc festivum: precamur supplices ut pacem quam in adsumptione matris tunc praebuisti discipulis, solemni nuper largiaris in cunctis, salvator mundi. »

729. Quibus si ea adiungantur quae in patrum libris ceterisque ecclesiae monimentis occurrunt, me plane fugit an quidpiam esse in votis possit, quo illud esse verissimum constet quod auctor tra-

1) Men. die XXV. Martii, die XV. Augusti, et die VIII. Septembris.

2) In Officio communi de b. Virgine.

3) Missale gothic. pag. 254. col. 2. apud Thomasium opp. T. VI.

4) Ibid. pagg. 254, col. 2. et 255. col. 1.

5) Cf. Gregorium turonensem de gloria martyrum lib. 1. cap. IV.

6) L. c. pag. 255. col. 1.

ctatus de conceptione Virginis Anselmo tributi his verbis [1]) complectitur: « Adhuc propone tibi palatium quod specialiter suis usibus aptum exsistat, construere volentem, in quo et ipse frequentiori et festiviori cursu conversetur, et omnibus ope eius atque auxilio indigentibus mitiori et laetiori vultu respondeat et auxilietur. Pateretur ne, quaeso, in principio palatii fundamentum invalidum, et structurae quae foret aedificanda incongruum et non cohaerens? Non puto, si saperet et propositum suum ad effectum perducere vellet. Ergo Sapientiam ante omnia secula proposuisse sibi habitaculum, quod specialiter inhabitaret, construere similiter [2]) indubitata fide tenemus. Quod autem habitaculum istud fuerit, iamdudum innotuit: hoc enim habitaculum illud sacrarium Spiritus sancti esse fatemur, in quo et per quod eadem Sapientia humanae naturae coniungi voluit et incorporari, et omnibus se pura mente confitentibus parcere et misereri: quod sacrarium, aula videlicet universalis propitiationis, cum operante Spiritu sancto construeretur, si fundamentum illius, scilicet initium sive primordium formationis beatae Mariae corruptum fuit, ipsi certe constructurae non congruebat nec cohaerebat. Inscia ne fuit et impotens sapientia Dei et virtus mundum sibi habitaculum condere, remota omni labe conditionis humanae? Angelis aliis peccantibus, bonos a peccatis servavit; et feminam, matrem suam mox futuram, ab aliorum peccatis exsortem servare non valuit? In aeternitate consilii fixum statuit eam dominatricem et reginam fore angelorum; et nunc inferiorem angelis natam, in consortium acceptam esse credemus omnium peccatorum? Existimet hoc et argumentis suis probet qui vult: ego donec ostendat mihi Deus aliquid dignius excellentia Dominae nostrae posse dici, quae dixi, dico; quae scripsi, non muto; ceterum me et intentionem meam Filio eius et illi committo. Nihil tibi, Domina, aequale, nihil comparabile est: omne enim quod est, aut supra te est, aut subtus te est; quod supra te est, solus Deus est; quod infra te, omne quod Deus non est. Ad tuam tantam excellentiam quis aspiciet? Quis attinget? Et certe ut ad hanc excellentiam pervenires, in humillimo loco, idest, in utero matris tuae purissima oriebaris. Quod si tali modo concepta et ordinata non fuisses, ad tantam celsitudinem non succrevisses. »

1) Tract. de Virginis concept. pagg. 500. col. 2. E. et 501. col. 1. A-C.

2) Prov. IX. 1.

Digitized by Google

730. Sane ut a Latinis initium ducam, is est Petrus cellensis [1]) qui de Virgine scribit: « Haec est porta per quam Christus ingressus est mundum ad nostram redemptionem, et haec est Virgo per quam reperimus Deum et hominem; haec est manubrium per quod velut ferrum inseparabiliter ei iunctum tenemus Christum; haec est securis qua resecanda sunt ligna aeterno tabernaculo necessaria. Sapientia [2]) tenuit istam cum aedificavit sibi domum et excidit columnas septem: manubrio siquidem isto ferrum ad tenendum est melius, ad movendum habilius, ad operandum utilius: qui caret isto, parum operabitur illo, quia non dominabitur: nisi ex ea Christus nasceretur, humana caecitas non illumiuaretur, humana infirmitas non sanaretur, humanum genus non redimeretur. Ecce quam iucunda, quam necessaria, quam veneranda nobis est virgo Maria, ex qua mundo apparuit lux vera, sanitas aeterna, redemptio copiosa; et utique qui non habet hoc manubrium, non habebit hoc ferrum: semel enim ista coniuncta sunt, et semper connexa manebunt. » Ubi autem [3]) *de pane* agit *qui coquitur in clibano,* principio scribit: « Tria quaedam proponenda et exponenda occurrunt, ubi tractare de pane qui coquitur in clibano, volumus; ac prius inspiciendum quis sit clibanus et quis panis, et quo igne vel clibanus succendatur vel panis decoquatur. » Tum [4]) pergit: « Compendiose igitur dicendum est, quia clibanus uterus est virginalis, ignis gratia sancti Spiritus, panis incarnatio Filii Dei. Virgo Verbo incarnando uteri et cordis locum parat: Spiritus sanctus mansionem parat: ipse Filius nuptialia foedera Verbi et carnis legitima copulatione conciliat: Gabriel archangelus iura connubii hinc inde allegat: Ioseph vices portitoris agens solatia ministrat et salaria et pretia et legationem sportularum implorat. » Hinc [5]) subdit: « Deinde videndum quid operetur unumquodque horum, et unde sit origo singulorum. » Reponit [6]) vero: « A nobis est Virgo, a summa Trinitate Spiritus sancti obumbratio, ab utraque partium, tam Patris scilicet quam Virginis, Filii generatio. Nam Verbum de Patre, caro de Virgine. Quomodo autem in fine temporum hic figurativus panis fieret, ubi, quando et a quo, a diebus aeternitatis decretum est. Oportuit nempe hunc prius clibanum non vili stemmate neque more

1) Serm. I. de Virginis assumpt. p. 202. B-C.
2) Prov. IX. 1.
3) Lib. de Panibus cap. XXI. pag. 358. D.
4) Ibid. pagg. 358. D. et 359. A.
5) Ibid. pag. 359. A.
6) Ibid. pag. 359. B.

Digitized by Google

consuetudinario fabricari, quatenus in plenitudine temporis panis qui dat vitam mundo de caelo descendens, pro dignitate sua congruum inveniret locum ubi posset opportune carnem assumendo decoqui. » Nec mirum, quum adduci in dubitationem nequeant quae alibi [1]) docet: « Haec (virginitatem intelligit) regnum et principatum suum tempore praedestinato in gloriosa Domini matre collocavit; nec fuit angelicus spiritus purior in caelis quam uterus Virginis in obumbratione Spiritus sancti et conceptione Filii sui. Adhaeret quidem Deo angelus obsequendo, astando et ministrando; sed non se in una eademque persona cum illo uniendo. Quid autem caro Virginis? Nonne fuit praeiacens materia, de qua opifex Trinitas [2]) naturam humanam fabricavit, quam inseparabiliter univit Verbo Dei una simul operatione, non tamen eadem Trinitatis assumptione? De hac sanctificata massa partem sibi Filius Dei assumpsit, quam statim assumendo deificavit, et tam illa quam de illa in tota protoplasti massa tam redemptione quam sanctificatione operatus est salutem totius eiusdem humani generis. »

731. Praeiverat [3]) Bernardus, qui expendens [4]) verba, *Sapientia aedificavit sibi domum,* illaque enarrans [5]) de Christo Dei virtute et Dei sapientia, ait: « Haec itaque Sapientia quae Dei erat et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, aedificavit sibi domum, ipsam scilicet matrem suam virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide et operibus praeparare? » Quomodo autem sibi praeparaverit, explanare [6]) pergit inquiens: « Nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria sancta Trinitas fuerit (fuerit dico per praesentiam maiestatis), ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis; testatur [7]) nuntius caelestis qui ei arcana mysteria reserans, ait: *ave gratia plena, Dominus tecum.* Et post pauca: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum sanctum: habes Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Neque enim potest

1) Serm. VII. de Virginis assumpt. p. 217.C-D.
2) Prov. IX. 1.
3) De diversis Serm. LII. n. 2. pag. 1191. E-F. opp. T. III.
4) Prov. IX. 1.
5) I. Cor. I. 30.
6) L. c. pagg. 1191. F. et 1192. A.
7) Luc. I. 28.

esse aut Pater sine Filio, aut sine Patre Filius, aut sine utroque procedens ab utroque Spiritus sanctus, ipso Filio [1]) dicente: *ego in Patre, et Pater in me est.* » Tum [2]) addit: « Utrum autem et quatuor principales virtutes, tamquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. » Quod ubi inquirit, de prima ex illis [3]) ait: « Primum ergo videamus an fortitudinem habuerit. Quae nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quae abiectis secularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis soli Deo in virginitate vivere proposuit? Nisi fallor haec Virgo est quae apud Salomonem [4]) legitur, *mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium eius.* Quae adeo fortis fuit, ut illius serpentis caput contereret, cui a Domino [5]) dictum est: *inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.* »

732. Eckbertus abbas schonaugiensis, sive alius quivis auctor *sermonis panegyrici ad beatam virginem Deiparam,* postquam de illa [6]) scripsit: *te inaestimabilis benignitatis feminam et venerandam esse cognoscimus ex eo, quod tu mundum hunc immundum et lubricum impolluto calle transisti, et adhuc inter peccatores degens tanta ante Deum sanctitate fecundaris, ut sola solio regis aeterni immediate approximare merueris;* amplificata summis laudibus eiusdem misericordia [7]) subdit: « Vere beneplacitum fuit Deo habitare in te quando ex ipsa illibata carnis tuae substantia, quasi de lignis Libani, architectura ineffabili domum [8]) sibi aedificavit Dei Sapientia, suffulsit eam septem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in ea collocavit. Hi sunt septem spiritus Dei, et haec est unica illa Salvatoris femina, in qua sola quaesitam [9]) in omnibus requiem invenit, atque in eius sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. »

733. Eadem luce haec nitent, quibus [10]) beatus Petrus Damiani natalem Virginis diem extollens inquit: « Nativitas beatissimae et intemeratae genitricis Dei merito praecipuum et singulare praebet hominibus gaudium, quae totius exstitit humanae salutis exordium.

1) Ioh. XIV. 10.
2) L. c. n. 3. pag. 1192. A.
3) Ibid. pag. 1192. A-C.
4) Prov. XXXI. 10.
5) Gen. III. 15.
6) Sermo panegyr. in b. Virginem n. 1. p. 700. E. inter opp. Bernardi T. V.
7) Ibid. n. 2. pag. 701. C-E.
8) Prov. IX. 1.
9) Eccli. XXIV. 1.
10) Serm. XLV. in Deiparae nativit. pag. 108. col. 1. C-E. et col. 2. A.

Digitized by Google

Sicut enim omnipotens Deus ineffabili providentiae suae intuitu antequam homo fieret, hominem periturum diabolica machinatione praevidit; sic etiam redemptionis humanae consilium ante secula in immensae pietatis suae visceribus habuit. Et non solum qualiter redimeret, modum et ordinem in profundissima sapientiae suae ratione constituit; verum etiam quando redimeret, certum temporis articulum praefinivit. Sicut ergo impossibile erat ut humani generis redemptio fieret, nisi Dei Filius de Virgine nasceretur; ita etiam necessarium fuerat ut Virgo, ex qua Verbum caro fieret, nasceretur. Oportebat quippe prius aedificari domum, in quam descendens caelestis rex habere dignaretur hospitium: illam videlicet de qua per Salomonem [1]) dicitur, *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Septem namque virginalis haec domus suffulta columnis exstitit, quia venerabilis mater Domini septem sancti Spiritus donis [2]) dotata fuit. Quam utique aeterna Sapientia quae [3]) attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, talem construxit, quae digna fieret illum suscipere, et de intemeratae carnis suae visceribus procreare. Necesse erat prius erigi thalamum, qui venientem ad nuptias sanctae Ecclesiae susciperet Sponsum, cui David exsultans in spiritu epithalamium canit [4]) dicens: *tamquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo.* »

734. Luce non dissimili resplendent quae beatus Hildephonsus toletanus Antistes [5]), commemorata primum humani generis ruina, continuo addit: « Dum conditor mundi omnia per sapientiam suam creasset, et tam fragilem hominem et caducum in omnibus et pronum semper ad deteriora cerneret, lapsum de bonis ruere in mala doluit per magnam pietatem suam; et quem ille pro benignitate [6]) ad imaginem suam condiderat, et ipse sponte perierat, qualiter revocaret in pristinum locum ubi eum constituerat, procuravit. In longinquo ergo disposuit per sapientiam suam, ut per semetipsum redimeret quod per semetipsum plasmavit. Voluit per pietatem suam et omnipotentiam suam visitare mundum, ut ipse qui hominem faceret, per visitationem suam redimeret. Praeparavit sibi vas, ut per ipsum potuisset apparere hominibus. Scriptum [7]) est enim, *Sa-*

1) Prov. IX. 1.
2) Is. XI. 2-3.
3) Sap. VIII. 1.
4) Ps. XVIII. 6.
5) Sermo in Deiparae nativit. pag. 46. C-D. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VIII., et in collectt. pp. tolet. pag. 383. T. I.
6) Gen. I. 26.
7) Prov. IX. 1.

pientia aedificavit sibi domum vel templum, hoc est, Mariam virginem. » De qua e vestigio [1]) subdit: « Consideremus in quantum possumus, quia nec lingua sufficit loqui quod voluntas cupit proferre; quanta fuit benignitas Dei ut de tam longinquo inquireret sibi templum ubi habitaret: quia Maria virgo non sic est nata sicut solent pueri vel puellae [2]) nasci. Sed de Anna sterili et patre iam sene, extra consuetudinem mulierum post refrigescentem calorem et sanguinem iam tepidum in pectore refrigescentem, et omnem amorum libidinis discessum, mundo corde et corpore ab omni pollutione carnali orta est. Sic enim Dominus voluit ut de tali vasculo mater sua nasceretur. Quod nunc scimus, quia per Spiritum sanctum, illo ordinante et benigniter praecipiente, praeparavit sibi matrem quae praecessit omnibus matribus. Talis enim fuit, qualis nec antea visa est, nec habebit sequentem. Honorabilis dies et sacra festivitas, in qua nata est virgo Maria Dei genitrix. Hoc est gaudium nostrum, haec est festivitas nostra: quia quando voluit fecit ut nos per suam magnam misericordiam per Virginem visitaret. Exsultemus et laetemur omnes in celebratione hodiernae festivitatis beatae Dei genitricis et semper Virginis Mariae, quia praeclara et sancta est, in qua inchoavit Redemptor omnium visitationem mirabilem, et nos de captivitate ad pristinum locum revocare dignatus est. »

735. In eamdem cum Latinis mentem doctrinamque concedunt Graeci e quorum numero Sophronius senior ubi gloriam assumptae Virginis celebrat, inter cetera [3]) sic habet: « Beata Dei genitrix quae adhuc tantis in terra praedicatur laudibus, non immerito creditur hodierna die exaltata et glorificata nec non et clarificata, quantum novit ille qui eam elegit in sua sapientia qua disposuit omnia. Quod si in domo Patris mansiones multae sunt, credimus splendidiorem matri hodie Filium praestitisse, quam sibi [4]) olim aedificavit domum

1) Ibid. pag. 46. col. 1. D-E. et col. 2. A. Similia dabit auctor operis de corona beatae virginis Mariae cap. XXIV. pag. 422. in collect. pp. toletan. Tom. I.

2) Orationis series ostendit quod et alias innuimus, *nascendi* verbum ita usurpari ut *conceptionem* quoque significet, et utramque idcirco nativitatem *in* utero et *ex* utero complectatur.

3) De Virginis assumpt. pag. 106. E-F. inter opp. Hieronymi T. XI.

4) Prov. IX. 1. Hinc quae Paulus diaconus orat. in Assumpt. pag. 267. D. apud Martenium Scriptt. vett. T. IX. de Virgine tradit inquiens: « Quis potuit in eius animo vel corpore locus esse vitiorum quando, ad vicem caeli continentis omnia, Domini effecta est templum? Haec est revera illa domus, de qua per Salomonem dicitur, *Sapientia aedificavit domum, excidit columnas septem*. Quam talem utique aeterna Sapientia *effecit*, quae digna omnino esset ex qua ipse carnem assumeret, inaestimabile scilicet pretium salutis humanae. »

subnixam columnis septem: in qua domo nimirum parantur nuptiae ecclesiarum Dei, et foederantur terrenis caelestia. In eo namque utero Virginis sponso immortali virginitas consecratur, ut sit totum caeleste commercium. » Consentit [a]) Sophronius iunior qui de Virgine scribit: « Ex te, o puella thori nescia, Dei sapientia sibi domum aedificavit, atque ex te ineffabili condescensione incarnatus est: tu enim sola ex omnibus generationibus incorrupta incorrupti Verbi habitaculum electa es. » Consentiunt reliqui Graecorum hymnographi, quibus haec [b]) in acceptis referimus: « Sapientia super mentem atque sermonem aedificavit sibi divinam domum, tendens veluti tabernaculum purum venerabilem tuum sinum, Spiritu purificatum, o celeberrima. » Tum vero [c]) haec: « Omnium conditor idemque Deus te, o Deiparam, semper Virginem utpote ex omnibus generationibus puram elegit, atque sinum tuum omni labe purum exstruxit solus rex seculorum, atque ex te hominibus apparuit. »

736. Neque alia tradunt sive Germanus constantinopolitanus, sive Iohannes euboeensis, e quibus prior [1]) scribit: « Illa vero quae purissimam numeris omnibus materiam subministrat, muliebris naturae decus et ornamentum longe praestantissimum, et cuius incorrupta integritas modum omnem comparationemque excedit, caelestium spirituum eminentissimae licet puritati collata facile antecellit. Hoc vero templum et ipse Salomon oculis propheticis multo ante vidit, et futurum quasi iam factum esset, contemplatus [2]) cecinit: *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem, immo-*

a) Triod. pag. 222. C. apud Mai spicileg. rom. T. IV. Ἐκ σοῦ Θεοῦ ἡ σοφία οἶκον ἑαυτῇ δομησαμένη ἐσαρκώθη, ἀποῤῥήτῳ συγκαταβάσει, κόρη ἀπειρόγαμε· σὺ γὰρ μόνη πάντων γενεῶν ἐκλέλεξαι ἄφθορος ἀφθόρου εἰς κατοικίαν λόγου.

b) Men. die VII. Augusti Ode γ'. pag. 45. col. 2. A. Σοφία οἶκον ἑαυτῇ ᾠκοδόμησε θεῖον, ὑπὲρ νοῦν τε καὶ λόγον, σκηνώσασα τὴν ἁγνὴν γαστέρα σου τὴν σεπτὴν, καθαρθεῖσαν πνεύματι, πανύμνητε.

c) Men. die XVIII. Augusti Ode δ'. pag. 104. col. 2. C. Ὡς καθαρὰν τῶν γενεῶν ἐξελέξατο, θεοτόκε, σὲ τὴν ἀειπάρθενον ὁ πλαστουργὸς πάντων καὶ θεὸς, καὶ τὴν σὴν γαστέρα παλάτιον ἀπειργάσατο ἀμόλυντον ὁ μόνος βασιλεὺς τῶν αἰώνων, καὶ ἐκ σοῦ τοῖς ἀνθρώποις ἐπέφανε.

1) Orat. in Deiparae annunciat. pag. 88 edit. Maraccii.

2) Prov. IX. 1-2.

lavit victimas suas. » Iohannes vero de festo nominatim agens [a]) conceptae Deiparae, rite illud sancteque celebrari declarat his verbis: « Si enim ecclesiarum dedicationes merito celebrantur, manifestum plane illud est quod nos debemus citra ullam comparationis rationem cum studio et pietate et Dei timore peragere celebritatem hanc, in qua non ex lapidibus fundamentum positum est, neque manibus hominum Dei templum aedificatum est: nimirum in utero concepta est sancta Maria Dei genitrix et beneplacito Dei Patris et cooperatione sanctissimi et vivificantis Spiritus: Christus Dei Filius, lapis ille angularis ipse eam aedificavit et ipse in ea habitavit. »

737. Ab his autem non admodum abludunt quae Philo Episcopus carpasius [b]) enarrans [c]) haec cantici verba, *sicut turris David collum tuum, quae aedificata est in Thalpioth,* scribit: « *Collum* eius definit humanum Verbi characterem. Ex David enim ortus est Dominus secundum carnem. Assimilatur vero *turri.* Turris enim instar qui ad eum confugiunt, protegit a bellis diaboli. *Quae aedificata est in Thalpioth.* Thalpioth interpretatur excelsum. Revera enim in excelso ipsum *(collum)* aedificatum est, hoc est, in Verbo Dei quod ante secula. *Verbum* enim, ait [1]) Scriptura, *caro factum est et habitavit in nobis.* Et [2]) *Sapientia aedificavit sibi domum.*

a) Orat. in Deiparae concept. Εἰ γὰρ οἱ ἐγκαινισμοὶ ἐκκλησιῶν ἐπαξίως ἐπιτελοῦνται, πάντως δῆλον ὅτι ἡμεῖς ὀφείλομεν μυριονταπλασίονα μετὰ σπουδῆς, εὐλαβείας τε καὶ φόβου θεοῦ ἐπιτελεῖν τὴν πανήγυριν ταύτην, ἐν ᾗ οὐκ ἐκ λίθων ὁ θεμέλιος ἐτέθη· οὐδὲ ἐκ χειρῶν ἀνθρώπων ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ ᾠκοδομήθη· τουτέστιν ἐν κοιλίᾳ συνελήφθη ἡ ἁγία Μαριὰμ ἡ θεοτόκος καὶ εὐδοκίᾳ θεοῦ πατρὸς, καὶ συνεργείᾳ τοῦ παναγίου καὶ ζωοποιοῦ πνεύματος· Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ λίθος ὁ ἀκρογωνιαῖος αὐτὸς (αὐτὴν) ᾠκοδόμησεν, καὶ αὐτὸς ἐν αὐτῇ κατῴκησεν.

b) Enarral. in Cant. pagg. 745. D. et 746. A. apud Gallandium T. IX. Τράχηλον αὐτῆς ὁρίζεται τὸν ἀνθρώπειον τοῦ λόγου χαρακτῆρα· ἐκ Δαβὶδ γὰρ ὁ κύριος τὸ κατὰ σάρκα· ἀπεικάζεται δὲ πύργῳ· ἐπειδὴ πύργου δίκην τοὺς ὑπ᾽ αὐτὸν καταφεύγοντας σκέπει ἀπὸ τῶν τοῦ διαβόλου πολέμων· τὸ δὲ ᾠκοδομημένος ἐν Θαλπιώθ· Θαλπιὼθ ἑρμηνεύεται ὑψηλόν· ἐν ὑψηλῷ γὰρ ὄντως ᾠκοδόμηται αὐτός· ὅπερ ἐστὶν, ἐν τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ τῷ πρὸ αἰώνων· ὁ λόγος γὰρ, φησι, σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· καὶ, ἡ σοφία ᾠκοδόμησεν ἑαυτῇ οἶκον· οὗτος ὁ οἶκος ἐν ὑψηλῷ ᾠκοδομήθη ἐν τῷ υἱῷ κατὰ τὸν λέγοντα· ὁ ἐν ὑψηλοῖς κατοικῶν, καὶ ταπεινὰ ἐφορῶν· θέλεις δὲ γνῶναι τὸ ὕψος ὅλον; ἴδε οὐ μόνην ἐν τῇ θεοτόκῳ Μαρίᾳ οἰκοδομὴν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐπέκεινα τῶν οὐρανῶν, καὶ τοῦ ἐν δεξιᾷ θρόνου καταπλάγηθι τὸ ὕψος, ὅπερ λέγεται Θαλπιώθ.

c) Cant. IV. 4. Ὡς πύργος Δαβὶδ τράχηλός σου, ὁ ᾠκοδομημένος ἐν Θαλπιώθ.

1) Ioh. I. 14.

2) Prov. IX. 1.

Haec domus in excelso aedificata est in Filio, secundum eum qui [1]) dicit: *qui in altis habitat et humilia respicit*. Vin' tu omnem cognoscere altitudinem? Aspice non solum in Dei genitrice Maria aedificium filii hominis, sed illud etiam quod ultra caelos est; et throni in dextera positi cum stupore demirare altitudinem, quae dicitur Thalpioth. »

738. Itaque de Virgine, deque eius primordiis atque originibus haec est maiorum indubitata sententia. I. *Deus qui nonnisi sua pietate permotus consultum voluit hominum generi quod praevaricando perierat, modum simul rationemque praestituit qua suae misericordiae sacramentum in beata plenitudine temporis exsequeretur*. Praestituit autem. II. *non aliter illud explere ac per Mariam veluti per materiam praeiacentem, et per Unigenitum qui ex Maria tamquam ex praeiacente materia humanam naturam susciperet*. Quare III. *sicuti Mariam una cum Filio ex ea carnem suscepturo praedestinavit, et sicuti in plenitudine temporum per Mariam mundum visitavit, atque in ea humanae salutis exordium reponens cum terrenis caelestia reconciliavit; ita ea sapientia qua omnia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, Virginem aedificavit non more consueto, non ceterarum ritu feminarum, sed illam exstruxit puram ab omni labe et Spiritus virtute praeparatam: adeo ut eius in materno sinu nativitas et conceptio fuerit praeclara, fuerit sancta, et omnino fuerit exordium virginalis hospitii, beati thalami, domus divinae, templi Deo digni et habitaculi incorrupti, in quo incorruptum Verbum versaretur*. Hinc IV. *Virgo primum exstitit ut mulier illa fortis quae serpentis caput contrivit, ut nulla in re conscia seculi, ut penitus illibata, ut sola feminarum in qua Unigenitus non indigne conquiesceret, ut ea in quam omnes thesauros Deus absque mensura transfuderit, ac tandem ut quae purior esset angelis, et praerogativa innocentiae cum Filio inseparabiliter coniuncta ad Deum meruerit immediate approximare*.

739. Iamvero his in rem praesentem decretoriis, et a nobis ex maiorum doctrina summa fide collectis, nescio an non etiam alio ex capite et uberior lux addi et maius etiam robur conciliari possit. Velim igitur animo reputetur, desumptum [2]) ex Proverbiis testimonium, *Sapientia aedificavit sibi domum*, usu maiorum ad exor-

1) Ps. CXXXVII. 6. 2) Prov. IX. 1.

dia Virginis sic referri, ut non minus de originibus humanae Christi naturae intelligatur. Sane referri illud ad Virginis primordia consuevisse, ea affatim demonstrant quae in medium adduximus; sed posteriori quoque significatione non infrequenter fuisse usurpatum, tum nonnulla ex superioribus ostendunt, tum alia eaque non pauca neque obscura quae subdimus, confirmant. Et inprimis confirmat [a]) Hippolytus, cuius haec sunt verba: « Christus Dei et Patris sapientia et virtus aedificavit sibi domum: carnem ex Virgine ut [1]) praedixerat: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Hoc idem sapientissimus testatur propheta: quae ante secula fuit, inquit [2]), et praebet omnibus vitam, infinita Dei *Sapientia aedificavit sibi domum*, ex matre virum haud experta templum corporaliter induens. Et *extulit columnas septem*, sacrosancti Spiritus dona fragrantissima, sicut ait [3]) Isaias: *et requiescent super eum septem spiritus Dei.* Et [4]) *miscuit* in poculo suo *vinum*, in Virgine divinitatem suam uniens cum carne tamquam vinum merum ac purissimum, Salvator ex ea natus est sine confusione Deus et homo. » Confirmat deinde [b]) Gregorius nyssenus scribens: « Dicimus ergo, quod supra quum Sapientiam sibi domum aedificasse dixit, carnis Domini constructionem verbis illis obscure significet. Non enim aliena in domo vera Sapientia habitavit, sed domicilium sibi ex virginali corpore exstruxit. » Cofirmat [c]) Eustathius antiochenus penes quem legi-

a) Comm. in Prov. IX. 1. pag. 488. B-D. apud Gallandium T. II. Χριστὸς, ἡ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς σοφία καὶ δύναμις ᾠκοδόμησεν ἑαυτῇ οἶκον, τὴν ἐκ παρθένου σάρκωσιν, καθὼς προείρηκεν· ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· ὡς μαρτυρεῖ καὶ ὁ σοφὸς προφήτης· ἡ πρὸ τοῦ αἰῶνος, φησὶ, καὶ παρεκτικὴ ζωῆς, ἡ ἄπειρος σοφία τοῦ θεοῦ ᾠκοδόμησε τὸν οἶκον ἑαυτῇ ἐξ ἀπειράνδρου μητρὸς, ναὸν γοῦν σωματικῶς περιθέμενος· καὶ ὑπήρεισε (al. ὑπήρεισε, *excidit*) στύλους ἑπτά· τὴν τοῦ παναγίου πνεύματος εὐωδίαν, ὥς φησιν Ἡσαΐας· καὶ ἐκέρασεν εἰς κρατῆρα τὸν ἑαυτῆς οἶνον, εἰς τὴν παρθένον τὴν ἑαυτοῦ θεότητα ἑνώσας τῇ σαρκὶ, ὡς οἶνον ἄκρατον, ὁ Σωτὴρ ἐγεννήθη ἐξ αὐτῆς ἀσυγχύτως θεὸς καὶ ἄνθρωπος.

b) In op. con. Eunomium apud Theodoritum ad calcem dialogi I. pagg. 64-65. opp. T. IV. P. I. edit. Schulze et inter opp. Nysseni T. II. pag. 505. Φαμὲν τοίνυν, ὅτι ἐν τοῖς πρὸ τούτου λόγοις εἰπὼν τὴν σοφίαν ᾠκοδομηκέναι ἑαυτῇ οἶκον, τὴν τῆς σαρκὸς τοῦ κυρίου κατασκευὴν τῷ λόγῳ αἰνίσσεται· οὐ γὰρ ἐν ἀλλοτρίῳ οἰκοδομήματι ἡ ἀληθινὴ σοφία κατῴκησεν, ἀλλ᾽ ἑαυτῇ τὸ οἰκητήριον ἐκ τοῦ παρθενικοῦ σώματος ἐδομήσατο.

c) Ex Sermone in illud Prov. VIII. 22. Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ, apud

1) Ioh. I. 14.
2) Prov. IX. 1.
3) Is. XI. 2.
4) Prov. IX. 2.

Digitized by Google

mus: « Quando igitur hominem quem templi instar exstruxerat, Verbum gestavit, corpore quidem inter homines versatum est, varia autem miracula invisibiliter edidit, et apostolos aeterni regni praecones misit. » Confirmat semel atque iterum pseudo-Ignatius, nunc quidem [a]) ubi ait: « Itaque Verbum in carne habitavit. Sapientia enim aedificavit sibi domum. » Nunc vero ubi [b]) scribit [1]): « Unus enim est homo factus, neque Pater, neque Paracletus, sed solus Filius, non opinione, non phantasia, sed revera. *Verbum* [2]) enim *caro factum est. Sapientia* [3]) enim *aedificavit sibi domum*. Et natus est ut homo Deus Verbum cum corpore ex Virgine sine viri commercio. »

740. Concludo apertissimis Ephraemi et Leonis Pontificis verbis, e quibus ille [c]) ait: « Lauda eum qui utero Virginis iacuit, et in eo aedificavit sibi regiam ac templum, vestemque indidem qua splendide ornaretur, sibi concinnavit, et quibus hostes debellaret, paravit arma. » Sequitur Leo qui adversus Eutychis perfidiam strenue decertans [4]) scribit: « An forte ideo putavit Dominum nostrum Iesum Christum non nostrae esse naturae, quia missus ad Mariam semper virginem Angelus [5]) ait: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei?* Ut quia conceptus Virginis divini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro concepti. Sed

Theodoritum ad calcem dialogi I. pag. 57. Ὁπηνίκα οὖν τὸν ἄνθρωπον ναουργήσας ἐφόρεσεν ὁ λόγος, σώματι μὲν τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφοιτῶν, παντοδαπὰς ἀοράτως θαυματουργίας ἐπεδείκνυτο, τοὺς δὲ ἀποστόλους κήρυκας τῆς ἀϊδίου βασιλείας ἐξέπεμπε.

a) Epist. ad Smyrn. §. II. pag. 87. Οὐκοῦν ὁ λόγος ἐν σαρκὶ ᾤκησεν· ἡ σοφία γὰρ ἑαυτῇ ᾠκοδόμησεν οἶκον.

b) Epist. ad Philipp. §. III. pag. 118. Εἷς γὰρ ὁ ἐνανθρωπήσας, οὔτε ὁ πατὴρ, οὔτε ὁ παράκλητος, ἀλλὰ μόνος ὁ υἱός· οὐ δοκήσει, οὐ φαντασίᾳ, ἀλλ᾽ ἀληθείᾳ· ὁ λόγος γὰρ σὰρξ ἐγένετο· ἡ γὰρ σοφία ᾠκοδόμησεν ἑαυτῇ οἶκον· καὶ ἐγεννήθη ὡς ἄνθρωπος, ὁ θεὸς λόγος, μετὰ σώματος, ἐκ τῆς παρθένου, ἄνευ ὁμιλίας ἀνδρός.

c) Serm. II. in Domini nativit. pag. 405. D-E. opp. syr. T. II.
ܫܒܚܘ ܠܗܘ ܕܫܪܐ ܗܘܐ ܒܟܪܣܐ ܘܒܢܐ ܠܗ ܦܠܛܝܢ ܘܗܝܟܠܐ ܕܢܬܓܒܐ ܒܗ . ܠܒܘܫܐ ܕܢܬܦܐܪ
ܒܗ . ܒܥܠܕܒܒܐ ܕܢܟܣ ܒܗ . ܘܙܝܢܐ ܕܢܩܛܠ ܒܗ .

1) Eumdem Proverbiorum textum ad Unigeniti Incarnationem relatum legimus in constitutt. apostolic. lib. V. capite ultimo.

2) Ioh. I. 14.

3) Prov. IX. 1.

4) Epist. XXVIII. al XXIV. ad Flavianum constantinopolitanum cap. II. pag. 811.

5) Luc. I. 35.

non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis et mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietas remota sit generis. Fecunditatem enim Virgini Spiritus sanctus dedit, veritas autem corporis sumpta de corpore est; et [1]) aedificante sibi Sapientia domum, *Verbum* [2]) *caro factum est, et habitavit in nobis:* hoc est in ea carne quam assumpsit ex homine, et quam spiritus vitae rationalis animavit. » Et [3]) alibi: « Ideo sacramentum reconciliationis nostrae ante tempora aeterna dispositum nullae implebant figurae, quia nondum supervenerat Spiritus sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbraverat ei: ut intra intemerata viscera aedificante [4]) sibi Sapientia domum, Verbum caro fieret; et forma Dei ac forma servi in unam conveniente personam, creator temporum nasceretur in tempore; et per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim novus homo factus in similitudinem carnis peccati nostram susciperet vetustatem, et consubstantialis Patri consubstantialis esse dignaretur et matri, naturamque sibi nostram solus a peccato liber uniret; sub iugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas, nec uti possemus triumphantis victoria, si extra nostram esset conserta naturam. »

741. Itaque Matri Filioque commune est, ut tam de hoc quam de illa sumatur Scripturae effatum, *Sapientia aedificavit sibi domum:* et utriusque primordia atque origines eodem effato significentur. Quum autem hoc effatum ad Filium refertur, illius origines intactas ostendit, illumque demonstrat novum hominem novo miroque modo in lucem editum atque inter hominis filios in similitudine carnis peccati sed sine peccato procreatum. Quid igitur est reliquum, nisi ut idipsum ea qua decet proportione, ubi de matre eiusque primordiis sermo est, affirmetur? Praesertim quum et verba Scripturae hanc ex sese vim praeferant, et nihil in ecclesiasticis monimentis frequentius ingeminetur, quam ex intacta incorruptaque radice intactum incorruptumque germen subolevisse?

1) Prov. IX. 1.
2) Ioh. I. 14.
3) Epist. XXXI. al. XXVII. ad Pulcheriam Augustam cap. II. pag. 855.
4) Prov. IX. 1.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Reliqua proferuntur ex libro Proverbiorum desumpta testimonia quae in ecclesiasticis monimentis ad Deiparam accommodata reperiuntur: quo haec pertineant, quidve ex his ad asserendam immaculati conceptus praerogativam non immerito colligatur.

742. Quae in libro proverbiorum potiora sunt, et insigni maiorum suffragatione ad Virginem accommodantur, ea pro facultate expendimus: id unum in praesentia superest ut quae adhuc sunt reliqua, quo fieri brevissime potest explanemus. Nulla autem se primum nobis offerunt quam [1]) haec: *viae eius viae pulcrae, et omnes semitae illius pacificae;* et [2]) *iustorum autem semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem.* De quibus Amedeus lausannensis praesul [3]) sic habet: « Quia semel annuente Deo beatissimae Virginis laudes exorsi sumus, restat ut eiusdem praeconia medullis cordis et vocis officio persolvamus. Intendamus gloriae eius, et ingressi abyssum tanti luminis splendorem rutilum semitarum illius dilatato corde et inenarrabili percurramus laetitia, dicentes cum Salomone, *viae eius viae pulcrae, et omnes semitae eius pacificae.* Quod si dicente eodem propheta, *iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem;* quis lucem et splendorem semitarum eius eloqui sufficiet? Harum tamen processus et incrementa viarum partim explicare conabimur, ut in gradibus suis gloriosa dignoscatur, et per singulos gradus suos pronuncietur. Habuit enim distinctos gradus et incrementa divisa, ut pulcherrimo claritatis ordine incederet, et [4]) de virtute in virtutem proficiens videret Deum deorum in Sion, translata [5]) a gloria in gloriam tamquam a Domini Spiritu. Primo itaque omnium virtutum

1) Prov. III. 17. דְּרָכֶיהָ דַרְכֵי־נֹעַם וְכָל־נְתִיבוֹתֶיהָ שָׁלוֹם *Viae eius* (sunt) *viae amoenitatis, et omnes semitae eius* (sunt) *pax.*

2) Prov. IV. 18. Hebraica sunt: וְאֹרַח צַדִּיקִים כְּאוֹר נֹגַהּ הוֹלֵךְ וָאוֹר עַד־נְכוֹן הַיּוֹם *Semita autem iustorum* (est) *quasi lux splendoris* (lucifer), *ambulans et lucens usque ad firmum diei* (usque ad meridiem). Alexandrini vero sic habent: *αἱ δὲ ὁδοὶ τῶν δικαίων ὁμοίως φωτὶ λάμπουσι· προπορεύονται καὶ φωτίζουσιν ἕως κατορθώσῃ ἡ ἡμέρα. Viae vero iustorum luci similes splendent, procedunt et illuminant quousque stabiliat se dies.*

3) Hom. II. de Virginis laudibus pag. 8264. col. 1. D. et col. 2. E-F. in max. pp. biblioth. T. XX.

4) Ps. LXXXIII. 8.

5) II. Cor. III. 18.

Digitized by Google

decore meruit ornari. Secundo Spiritui sancto foedere maritali copulata est. Tertio mater inventa est Salvatoris. Quarto animam eius pertransiit gladius, et carne sumpta de carne eius mundi perditi ruina reparatur. Quinto exsultat in Filio resurgente et ascendente super caelos caelorum ad Patris dexteram. Sexto de hoc seculo rapitur, et occurrente sibi Domino supra caeligenas omnes collocatur. Septimo demum perficietur, quum plenitudo gentium introierit, et omnis Israel salvus erit. »

743. Altero loco commemoranda veniunt quae his concepta verbis [1]) leguntur: *mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius.* Ad haec enim oculos intendens [2]) Petrus Damiani scribit: « Tuus est dies, Domine, in quo Adam est conditus: tua est nox, in qua Adam a die est eiectus: tu fabricatus es auroram, idest virginem Mariam: et solem, solem videlicet iustitiae, qui de virginali thalamo consurrexit. Nam sicut aurora terminum noctis, diei principium adesse testatur; sic et Virgo noctem expulit sempiternam, et de die diem, de terra suae virginitatis exortum, terris infudit. *Progreditur,* inquit [3]), quasi procul egreditur, quia procul et de ultimis finibus pretium eius. » Eodem spectans Bernardus, ut Virginem in Scripturis praenunciatam [4]) ostendat, ait: « Scrutare Scripturas, et proba quae dico. Visne ut et ego aliqua ex his testimonia hic inseram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem [5]) ait: *inimicitias ponam inter te et mulierem?* Et si adhuc dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur: *ipsa conteret caput tuum.* Cui haec servata victoria est nisi Mariae? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quae omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. Quam vero aliam Salomon requirebat quum [6]) dicebat: *mulierem fortem quis inveniet?* Noverat quippe vir sapiens huius sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem. Quia tamen et Deum legerat promisisse, et ita videbat congruere, ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipsam; vehementer admirans aiebat: *mulie-*

1) Prov. XXXI. 10. אֵשֶׁת־חַיִל מִי יִמְצָא וְרָחֹק מִפְּנִינִים מִכְרָהּ *Mulierem roboris* (strenuam et virtute praestantem), *quis inveniet? et longum est prae margaritis pretium eius.*

2) Serm. XL. in Virginis assumpt. pag. 98. col. 2. C-D.

3) Cant. VI. 9.

4) Hom. II. super *missus est*, de laudibus Virginis nn. 4-5. pag. 744. C-F. opp. T. III.

5) Gen. III. 15.

6) Prov. XXXI. 10.

Digitized by Google

rem fortem quis inveniet? Quod est dicere: si ita de manu feminae pendet et nostra omnium salus, et innocentiae restitutio, et de hoste victoria; fortis omnino necesse est ut provideatur quae ad tantum opus possit esse idonea. Sed mulierem fortem quis inveniet? At ne hoc quaesiisse putetur desperando, subdit prophetando: *procul et de ultimis finibus pretium eius*, hoc est non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra, sed de caelo, nec de caelo proximo terris pretium fortis huius mulieris, sed a summo caelo egressio eius. » Quibus tum gemina [1]) tradit, quum enarrata [2]) virginum fatuarum parabola, subdit: « Non sic mulier illa fortis, quae serpentis caput contrivit. Habes enim post multa [3]) in laudibus eius, quia *non extinguetur in nocte lucerna eius*. In sigillationem hoc dicitur fatuarum, quae veniente media nocte sponso, conqueruntur sero et [4]) dicunt, *quia lampades nostrae extinguuntur*. Processit igitur gloriosa Virgo, cuius lampas ardentissima ipsis quoque angelis lucis miraculo fuit ut [5]) dicerent: *quae est ista quae progreditur sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* Clarius enim ceteris rutilabat, quam repleverat [6]) oleo gratiae prae participibus suis Christus Iesus, Filius eius, Dominus noster. »

744. Eumdem proverbiorum locum versans Adamus Perseniae abbas [7]) inquit: « Mulierem itaque [8]) fortem sane possumus intelligere Dei Sapientiam, aut matrem ipsius Sapientiae Mariam. » De qua, pluribus interiectis [9]) pergit: « Ipsa est portus noster, ipsa est anchora spei nostrae, ipsa est mulier fortis, fecunda et potens, ad quam nobis confugiendum est, qui sumus inopes et infirmi. Sufficiens est eius fecunditas mendicitatem filiorum expellere, fortitudo eius sufficiens nihil de suis praesumens viribus liberare. Stella maris Maria est, necessaria in huius incertitudinis pelago naviganti. Portus est totius misericordiae mundo naufragium patienti. Ne diffidat reus, ipsa mater nostra quae nobis genuit iudicem nostrum, fecit etiam nobis de iudice advocatum. Si propter culpam desideras veniam, respice in Mariam confidenter, et misericordiam obtinebis. In omni impugnatione daemonum ad angelorum reginam

1) Serm. II. in Virginis assumpt. n. 9. p. 1006. opp. T. III.
2) Matth. XXV. 1-13.
3) Prov. XXXI. 18.
4) Matth. XXV. 8.
5) Cant. VI. 9.
6) Hebr. I. 9.
7) Serm. V. in Virginis assumpt. pag. 103. edit. Marccii.
8) Prov. XXXI. 10.
9) L. c. pagg. 126-128.

Mariam confugies, et ad imperatricis nutum cessabit calliditas tentatoris. Ipsa est quippe [1]) aurora consurgens, quae tenebras arguit, quae malis terminum, quae finem ponit erroribus et veri luminis radios administrat. Est enim Maria mater gratiae, mater misericordiae, vitae via, forma iustitiae, Ecclesiae gaudium, miseriae terminus, porta paradisi et portus ad quem nos perducat Iesus Christus.» Hinc [2]) Albertus cognomento magnus: «Quidquid, *inquit*, est fortius fortiore, fortius est infirmiore. Beatissima Virgo fuit fortior tribus fortioribus omni viatore. Ergo ipsa fuit fortior omni viatore. Tres fortiores omni viatore sunt Deus, mors, diabolus. Humilitas beatae Virginis Deum superavit quodammodo, quando eum de caelis ad terras humilitate deducens, caritate vinculatum pariter et humiliatum et vulneratum in sua virginitate incarceravit. Unde [3]), *dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis*. Et [4]) *mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium eius*. Ultimi fines sunt deitas et humanitas maxime a se distantes. Unde fortissima mulier fuit, quae haec coniunxit. Sic ergo fortitudo beatissimae Virginis rigorem fortitudinis et divinae severitatis superavit, de quo [5]) dicitur, *cuius fortitudo similis est rinocerotis*, cuius fortitudo in gremio Virginis mansuescit; et sic patet per quem modum beatissima Virgo Dei fortitudinem superavit. Item secundus fortis est mors, cui nemo mortalium resistere potest: *omnes* [6]) *enim morimur, et quasi aquae dilabimur super terram, quae non revertuntur*. Hac fortior erat beatissima Virgo, quae mortem destruxit: sicut enim mors intravit per feminam, et vitam destruxit; ita et beatissima Virgo fuit destructio mortis, et ita fortior fuit morte. Tertius fortis est diabolus, de quo [7]) dicitur: *non est potestas super terram, quae ei possit comparari*. Beatissima Virgo fuit fortior illo, iuxta [8]) illud, *ipsa conteret caput tuum*. Item actus fortitudinis essentialiter est firmiter adhaerere. Beatissima Virgo adhaerebat Deo inseparabiliter. Ergo fuit aliis fortior improportionabiliter. Item actus fortitudinis est terrenas cupiditates non tantum reprimere, sed penitus oblivisci. Hoc autem non contigit in

1) Cant. VI. 9.
2) In Mariali cap. CI. et in bibl. Mariae super lib. Prov. cap. XXXI.
3) Cant. I. 11.
4) Prov. XXXI. 10.
5) Num. XXIII. 22.
6) II. Reg. XIV. 14.
7) Iob. XLI. 24.
8) Gen. III. 15.

Digitized by Google

aliquo viatore in via, interim quod fomes aliquo modo viguit; sed solum in Virgine potuit, in qua fomes extinctus fuit. Ergo habuit actum fortitudinis per modum patriae, et super omnem viatorem sine proportione. »

745. Est et tertium illudque postremum quod nobis succurrat ex proverbiis effatum, quod scriptores ecclesiastici ad Virginem transferunt, deque Virgine in rem praesentem opportune interpretantur. Quod enim [1]) legimus his expressum verbis, *multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas;* Germanus [a]) ad Virginem accommodans inquit: « Vocatur filia, *multae filiae acquisierunt divitias, multae fecerunt virtutem; tu autem emines et supergressa es universas.* » Pleniora sunt quae habet [b]) Leo Augustus ubi Davidem inducit his verbis Deiparam celebrantem: « Abi in sacrum templum, ipsa templum Dei futura. Audi [2]) filia, et obliviscere populum tuum; ipsa enim innumerabilis multitudinis caelestium et terrestrium sortieris dominatum. Multae filiae fecerunt virtutem, multae gloriam adeptae sunt, multae comparaverunt honestatem; sed tu supergressa es universas, sed gloria et magnitudine superas. Ita, o David, filiam tuam laudans, mecum conficias hymnum, et una nobiscum solemnitate fruere; immo vero tu multis partibus superior es. Quum enim optasses olim Deo templum [3]) erigere, ad finem

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1315. A-B. apud Combefisium Auctar. T. I. Καλεῖται θυγάτηρ. πολλαὶ θυγατέρες ἐκτήσαντο πλοῦτον· πολλαὶ ἐποίησαν δύναμιν· σὺ δὲ ὑπέρκεισαι καὶ ὑπερῆρας πάσας.

b) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1628. B-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἄπιθι εἰς ναὸν ἅγιον, ναὸς θεοῦ χρηματίζουσα· ἄκουσον θύγατερ, καὶ ἐπιλαθοῦ τοῦ λαοῦ σου· πλήθους γὰρ ἀναριθμήτου τῶν ἐν οὐρανῷ καὶ γῇ, τὴν δεσποτείαν ὀφθήσῃ λαχοῦσα· πολλαὶ θυγατέρες ἐποίησαν δύναμιν· πολλαὶ δόξαν ἐκληρώσαντο· πολλαὶ σεμνότητα περιποιήσαντο, ἀλλ' ὑπέρκεισαι πασῶν· ἀλλ' ὑπεραίρεις δόξῃ καὶ μεγαλειότητι· ἀλλὰ πασῶν ὑπερήκεις σεμνότητι· ταῦτά μοι Δαβὶδ τὴν σὴν ἐπαινῶν παῖδα, συνεργάζου τὸν ὕμνον, καὶ τῆς ἑορτῆς συναπόλαυε· μᾶλλον δὲ, σοὶ τοῦ πλείονος μέτεστι· πάλαι μὲν γὰρ ἐπιθυμήσαντί σοι ναὸν ἐγείρειν θεῷ, οὐκ ἐγένετο πρὸς πέρας ἐξήκειν τὸ ἐπιθύμιον· νῦν δὲ σοι τῶν οὐρανῶν ἀμείνων ἠγέρθη ναός· ναὸς οὐ θυμάτων, οὐδὲ κτίσεως δεόμενος· ἤδη γὰρ τούτων προκόπτει τὸ τέλος, τοῦ οὐρανίου ἀρχιερέως τὸν ἐκ σοῦ ναὸν ἁγιάζοντος.

1) Prov. XXXI. 29. Hebraice: רַבּוֹת בָּנוֹת עָשׂוּ חָיִל וְאַתְּ עָלִית עַל־כֻּלָּנָה *Multae filiarum egerunt strenuitatem, tu autem ascendisti super omnes eas.* Interpretes alexandrini incisum עָשׂוּ חָיִל reddunt, ἐκτήσαντο πλοῦτον, iisque suffragantur Vulgatus, Syrus et Chaldaeus, itemque favet usus non infrequens, quo חָיִל *opes* significat.

2) Ps. XLIV. 11.

3) II. Reg. VII. 2.

Digitized by Google

perducere quod optabas non potuisti. Nunc vero caelis potius tibi erectum est templum, quod neque victimis neque nidore indiget. Iam enim eorum imminet finis, sanctificante templum ex te progenitum, caelesti pontifice. » Et [a]) rursum: « Multae filiae fecerunt virtutem (addatur haec etiam ad laudationem pars, quandoquidem nusquam alibi eius veritas constat), multae acquisierunt divitias, sed universas supergreditur quae gloria omnibus antecellit. Nulla ergo in eius pulcritudine gratia fallax: propterea eius specie captus Deus matrem sibi illam ex omnibus generationibus delegit, et e sanguinibus eius formatus dilapsam creaturae formam pristinae dignitati restituit. Vere sola benedicta in mulieribus, quae una primae nostrae parenti eiusque posteris suppetias tulit: illi quidem, quatenus duplicem calamitatem, cuius illa sibi ac filiis auctrix fuerat, exsolvit: his vero, quatenus a malis quibus obnoxii tenebantur, eos redemit nec passa est ut posteri in eadem mala denuo incurrerent; ut nimirum maledictio quae ante naturam depascebatur, ultra non procederet, sed retro converterentur mali undarum fluctus, ut benedicta adfuit; neque amplius homines inevitabilibus mortis retibus tenerentur, sed ea veluti transitu ad vitam uterentur. »

746. Concinit Basilius seleuciensis qui [b]) de Virginis praestantia et singulari prorsus dignitate scribit: « Quae digna satis in eam

a) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1744. B-E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Πολλαὶ θυγατέρες ἐποίησαν δύναμιν· προσκείσθω καὶ τοῦτο τοῖς ἐγκωμίοις τὸ μέρος· ἐπείπερ οὐδαμῇ ἑτέρωθι συμβαίνει τῶν ῥημάτων τὸ ἀληθές· πολλαὶ ἐκτήσαντο πλοῦτον· κρατεῖ δ' ἁπάντων ἡ παρὰ πάντας ὑπερδεδοξασμένη· οὔκουν ἐν τῷ κάλλει αὐτῆς ψευδομένη ἀρέσκεια· διὰ τοῦτο καταστὰς εἰς ἀρέσκειαν αὐτῆς ὁ Θεὸς, ἐκ πασῶν γενεῶν μητέρα ἐκλέγεται· καὶ τῶν ἐκείνης αἱμάτων μορφοποιούμενος, εἰς τὸ ἀρχαῖον τὴν διαῤῥυεῖσαν τοῦ πλάσματος ἀνακαινίζει μορφήν· τῷ ὄντι μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, ἡ μόνη τῇ προμήτορι, καὶ τοῖς ἐξ αὐτῆς βοηθήσασα· τῇ μὲν, οἷς διπλοῦν οὖσαν τὴν κατήφειαν, ἑαυτῇ καὶ τοῖς τέκνοις λυμηναμένῃ, διελύσατο· τοῖς δὲ δι' ὧν τούς τε κατόχους ὄντας τῷ κακῷ, ἀπελυτρώσατο· καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα οὐκ εἴασε κατασχεθῆναι τῇ συμφορᾷ· οὐκ ἔτι κεχωρηκυίας ἐπὶ τὸ πρόσθεν τῆς πρώην τὸ πλάσμα κατανεμομένης ἀρᾶς· ἀλλ' εἰς ἀνάῤῥουν στραφέντος τοῦ κακοῦ ῥεύματος, ἐπιστάσης τῆς εὐλογημένης· οὐδ' ἔτι κρατουμένων ἀνθρώπων ἐν τοῖς ἀφύκτοις τοῦ θανάτου λίνοις, ἀλλὰ χρωμένων αὐτῷ διαβατηρίῳ πρὸς τὴν ζωήν.

b) Orat. in Deiparam pag. 590. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ποῖα ταύτης ἄξια ἐγκώμια προσενέγκωμεν, ἧς ἐστιν ἀνάξια τὰ τοῦ κόσμου ἅπαντα; εἰ γὰρ περὶ τῶν ἄλλων ἁγίων ὁ Παῦλος φησίν· ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος, τί ἂν εἴποιμεν περὶ τῆς Θεοτόκου, ἣ τοσοῦτον ἅπαντας ὑπερεκλάμπει τοὺς μάρτυρας, ὅσον καὶ τοὺς ἀστέρας ὑπεραυγάζει ὁ ἥλιος; εὔκαιρον ἀναβοῆσαι πρὸς ταύτην τὸ τοῦ Σολομῶντος λόγιον, καὶ εἰπεῖν· πολλαὶ θυγατέρες ἐποίησαν δύναμιν· σὺ δὲ ὑπέρκεισαι, καὶ ὑπερῇρας ἁπάσας, ὦ παρθένε ἁγία,

Digitized by Google

conferemus encomia, cuius infra meritum sunt mundana omnia? Quum enim Paulus de aliis sanctis [1]) dixerit, *quibus dignus non erat mundus:* quid de Deipara dicturi sumus, quae tanto supra martyres omnes splendore refulsit, quantis sol stellarum micantes radios fulgoribus vincit? Congruum plane, ut in eam illud acclamemus [2]) Salomonis elogium, *multae filiae fecerunt virtutem, tu autem emines, atque universas es supergressa.* O sacra Virgo, propter quam merito exsultant angeli in hominum ministerium missi, qui humanum pridem genus aversabantur: gaudetque nunc Gabriel, cui conceptionis nuntius creditus est, multoque honore sese Virgini sistit. Quapropter a gaudio et gratia salutationem auspicatus, ait: *ave gratia plena, Dominus tecum.*» Concinit Eckbertus abbas schonaugiensis, qui [3]) proverbiorum sententiam ad Virginem transfert, deque eximiis illius ornamentis interpretatur: et concinit anonymus sed idem excellentissimus in Alcuini Homiliario [4]) scribens: « Multae filiae congregaverunt divitias, mater Domini supergressa est universas. Multae fideles animae pretiosa virtutum ornamenta quibus Deo placerent, sibi thesaurizaverunt; mater Domini supergressa est universas. Supergressa est omnes in terris, supergressa est in caelis. In die peregrinationis suae omnes habitatores terrae meritorum decore excessit, in die reparationis suae omnes habitatores caeli praemiorum honore transcendit. » Et [5]) mox: « Usquequo exaltata est? Usque ad caelos. Etiam certe super omnes caelos, et super omnes caelos [6]) caelorum. Etiam certe super angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim atque seraphim. *A Domino* [7]) *factum est istud, et est mirabile in oculis nostris,* ut femina fragilis, vermiculus educatus in limo huius seculi tam puras, tam praeclaras, tam excellentes creaturas tam excellenter supergredi meruerit. Sed dignum et omnibus modis conveniens

δι' ἧς ἄγγελοι δικαίως ἀγάλλονται, πρὸς διακονίαν ἀνθρώπων ἀποστελλόμενοι, οἱ πρώην τὸ ἡμέτερον ἀποστρεφόμενοι γένος καὶ νῦν φαιδρύνεται Γαβριὴλ, τὸ τῆς θείας συλλήψεως μήνυμα πιστούμενος, καὶ μετὰ πολλῆς τιμῆς τῇ παρθένῳ παριστάμενος· διόπερ ἀπὸ χαρᾶς καὶ χάριτος τῆς προσηγορίας ἀπάρχεται, χαῖρε λέγων κεχαριτωμένη· ὁ κύριος μετὰ σοῦ.

1) Hebr. XI. 38.
2) Prov. XXXI. 29.
3) Serm. de b. Virgine pag. 734. A-F. inter opp. Bernardi T. V.
4) Sermo in Deiparae assumpt. pag. 716. col. 1. B-D. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII.
5) Ibid. pag. 716. col. 2. A-E.
6) II. Cor. XII. 2.
7) Ps. CXVII. 23.

Digitized by Google

erat, ut omnia subiicerentur sub pedibus eius, quae omnium genuerat creatorem. Dignum erat ut angelica puritas illi subderetur in caelis cui totam se infuderat divina puritas in terris. Dignum erat ut amplius matrem suam honoraret quam ministros, ipse qui [1]) dixerat: *honora patrem tuum et matrem, ut sis longaevus super terram.* Dignum erat ut familiarius hanc amaret, copiosius remuneraret, quae singularius atque ardentius omni rationali creatura ipsum dilexerat. Et quis aestimare aut excogitare poterit, quanta fuit dilectio talis matris erga talem filium? Si mala mater malum filium solius naturae instinctu diligit: si bona mater bonum filium tam naturae, quam virtutis instinctu diligit; optima mater optimum filium quantum dilexisse aestimabitur? Diligendi caussam praestabat in Filio natura, virtutum plenitudo, insuper et divinitas: virtutem vero diligendi plenitudo Spiritus sancti operabatur in matre. Quis ergo modus esse potuit dilectionis, ubi nulla deesse potuit caussa diligendi? Quia ergo plus omnibus dilexit, merito plus omnibus dilecta est a Domino et honorata. Ecce enim exaltata est super choros angelorum usque ad dexteram Filii, et facta est potens mater-familias in universa domo Domini, et regina caelorum appellata est.»

747. Quibus omnibus in summam redactis commonemur, Deiparam maioribus nostris visam eiusmodi esse, de qua disertis repetitisque sententiis affirmarent: I. *eam divinitus fuisse provisam tamquam mulierem fortem, quae mortem destrueret, serpentem contereret, maledictioni finem imponeret, terrestria cum caelestibus conciliaret, portus quidam veluti esset in quo mundus naufragium passus conquiesceret, et caussa tandem foret e qua nexa penderent omnium salus, innocentiae restitutio et de communi hoste triumphus.* Placuit namque Deo II. *ut qui per feminam vicerat, per mulierem fortem vinceretur, et inde vita ingrederetur in mundum, unde mors in hominum genus pervaserat.* Quare III. ut suum hoc consilium Deus exsequeretur, rato fixoque tempore *Mariam tamquam singularissimum opus ipsemet condidit, tamquam delubrum caelis potius exstruxit, effecitque ut instar templi sibi sacri e David procrearetur.* Hinc IV. *omnes Virginis viae fuerunt pulcrae, et omnes semitae illius pacificae: ab ipsis primordiis omnium virtutum decore insignis exstitit: Deo inseparabiliter adhaesit: nulla in eius pulcritudine fallax*

1) Ex. XX. 12.

Digitized by Google

gratia apparuit: Deum eximia venustate in sui amorem pellexit; atque ex ea Unigenitus prodiit ceu dies de die. Igitur V. ad Virginem quod attinet, non minus prima mediis, quam media extremis perfectissime responderunt. Et prima sane mediis responderunt: *quemadmodum enim sola a suis usque originibus fuit benedicta, ut mediatricis obire partes et originale damnum posset reparare; ita Deum singularius atque ardentius quavis rationali creatura iugiter dilexit, intra sanctos non secus eminuit* [1]) *ac sol prae stellis refulgeat, angelicam supergressa est puritatem, dignaque habita in quam divina puritas se totam infunderet.* Mediis autem responderunt extrema: *quemadmodum enim lampas Virginis ipsis quoque angelis miraculo fuit, et in Virgine ipsa veluti iustitiae forma enituit; ita eiusdem gloria tanta est, ut iure merito hominum omnium atque angelorum domina et regina celebretur.* Atqui in hac Virginis effigie maiorum depicta coloribus nullus locus umbris, nullus patet naevis; sed omnia eo usque splendent ut ipsum iustitiae solem referre quodammodo videantur.

ARTICULUS IV.

De capite XXIV. Ecclesiastici, eiusque ad Deiparam accommodatione: potiora recensentur et maiorum commentariis explananantur: iuncta cum his consectaria, et immaculati conceptus confirmatio.

748. Si quis est Scripturarum locus ad Deiparam celebrandam eiusque extollendas dotes solemnius accommodatus, is existimari omnino debet quo caput vicesimum quartum ecclesiastici continetur. Hoc enim Ecclesia utitur [2]) in festis plerisque omnibus Deiparae, hoc in eiusdem Officiis, atque hoc in Missis in quibus eius ornamenta recoluntur. Summopere autem fallerentur qui censerent, recentiori dumtaxat aetate eiusmodi usum invaluisse. Is enim iam-

1) Hinc illa ex auctore libelli de corona beatae virginis Mariae cap. I. pag. 396. in collect. pp. tolet. T. I. « Tu es incomparabilis cunctis mulieribus in pulcritudine, in decore et in elegantia: clarior omnibus hominibus in virtute, gratia et sapientia: gloriosior angelis in eminentia dignitatis, in excellentia sanctitatis, in adeptione gloriae et honoris. » Et mox: « Corona haec quam tibi, Domine, polliceor, merito debet esse aurea; nam ut aurum excellit omnia genera metallorum, sic tu, Domina, in caelo et in terra super omnes obtines principatum. »

2) Videsis Officium Conceptionis, et Missale romanum in missa votiva, et in festis Assumptionis, beatae Virginis de monte Carmelo, aliisque ferme omnibus.

pridem obtinuit, quemadmodum [1]) vetusta lectionaria et missalia sive romanum, sive gallicanum, sive mozarabicum ad evidentiam usque patefaciunt. Factis igitur historice indubitatis accenseri debet, caput vigesimum quartum ecclesiastici ex persuasione maiorum iis coalescere, quae efferendis Deiparae laudibus eiusque dotibus significandis egregie conducant.

749. Quare operae pretium fuerit de iis paullo diligentius exquirere, et quo eadem pertineant, accuratius investigare. Iamvero sedula capitis lectio demonstrat, Sapientiam principio induci [2]) suas laudes verissime praedicantem. « Sapientia laudabit animam suam, et in Deo honorabitur, et in medio populi sui gloriabitur, et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, et in conspectu virtutis illius gloriabitur, et in medio populi sui exaltabitur, et in plenitudine sancta admirabitur, et in multitudine electorum habebit laudem, et inter benedictos benedicetur. » Sequuntur continuo dotes quas sibi Sapientia vindicat, et illae primum [3]) quae ad eiusdem originem referuntur. « Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ab initio et ante secula creata sum, et usque ad futurum seculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. » Has reliquae excipiunt, quas continenti oratione Sapientia complectitur [4]) inquiens: « Ego feci in caelis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram: ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum caeli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: et in omni populo et in omni gente primatum habui: et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quaesivi, et in hereditate Do-

1) Confer lectionarium Missae iuxta ritum ecclesiae romanae ex antiquis mss. codd. collectum a cardinali Thomasio opp. T. V. pagg. 403-404, itemque missalia gallicanum et mozarabicum in festis Assumptionis, Nativitatis, Purificationis et Annunciationis.

2) Eccli. XXIV. 1-5. In sixtina editione titulus huius capitis est, *αἴνεσις σοφίας*, *laudatio sapientiae*. Primum comma graece sic est: Ἡ *σοφία αἰνέσει ψυχὴν αὐτῆς, καὶ ἐν μέσῳ λαοῦ αὐτῆς καυχήσεται. Sapientia laudabit animam suam*, idest semetipsam, *et in medio populi sui gloriabitur*. Sicut vero heic desideratur incisum, *et in Deo honorabitur*, ita pariter desiderantur integra commata tertium et quartum. Tandem in commate secundo verbis Vulgati, *et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum*, graece ista respondent, *ἐν ἐκκλησίᾳ ὑψίστου στόμα αὐτῆς ἀνοίξει*, *in ecclesia* coetuque *Altissimi aperiet os suum*.

3) Eccli. XXIV. 5-14. coll. Prov. VIII. 22. Graece v. 5. non habentur nisi verba, *ἐγὼ ἀπὸ στόματος ὑψίστου ἐξῆλθον*, *ego ex ore Altissimi prodivi*. Neque plura refert Ambrosius de Fide lib. IV. cap. IV., sed Cyprianus in altero testimoniorum libro addit ea fere quae apud vulgatum occurrunt. Comma 14. est huiusmodi: *πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέν με, καὶ ἕως αἰῶνος οὐ μὴ ἐκλίπω. Ante seculum ab initio creavit, et usque ad seculum non desinam*. Ergo vulgatus non legit *ἔκτισέ μεν*, sed longe commodius *ἐκτισάμην*.

4) Eccli. XXIV. 6-36.

mini morabor. Tunc praecepit et dixit mihi creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: in Iacob inhabita, et in Israel hereditare et [1]) in electis meis mitte radices. Et sic in Sion firmata sum, et [2]) in civitate sanctificata similiter requievi: et in Ierusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et [3]) in parte Dei mei hereditas illius, et [4]) in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum [5]) in Cades, et quasi plantatio rosae in Iericho: quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum [6]) iuxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, et [7]) quasi storax, et galbanus, et [8]) ungula, et [9]) gutta, et [10]) quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et [11]) quasi balsamum non mistum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fructus [12]) honoris et honestatis. Ego mater pulcrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me [13]) gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. » His tandem sponte veluti sua cohortationem Sapientia [14]) adiicit subdens: « Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et [15]) a generationibus meis implemini: spiritus [16]) enim meus super mel dulcis, et hereditas mea [17]) super mel et favum. Memoria [18]) mea in generationes

1) v. 13. καὶ ἐν Ἰσραὴλ κατακληρονομήθητι, *et in Israel possessionem firmam habe.*

2) v. 15. ἐν πόλει ἠγαπημένῃ, *in civitate dilecta*, alias ἡγιασμένῃ, *sanctificata.*

3) v. 16. ἐν μερίδι κυρίου κληρονομίας αὐτοῦ, *in parte Domini, hereditatis eius*, quam nimirum Deus proprio iure possedit.

4) v. 16. Haec in graecis desunt.

5) v. 18. ἐν αἰγιαλοῖς, *in littoribus*, alias ἐν γαδοις, aut ἐν γαδδὶ, idest, ἐν Ἐγγαδί.

6) v. 19. καὶ ἀνυψώθην ὡς πλάτανος, *et quasi platanus exaltata sum*, neque desunt codices in quibus additur ἐφ' ὕδατος *ab aqua*, idest, aqua incrementum conferente.

7) v. 21. Voces, *quasi storax*, absunt a graeco.

8) v. 21. καὶ ὄνυξ, continens pro contento, *onyx* pro *nardo.*

9) v. 21. καὶ στακτη.

10) v. 21. καὶ ὡς λιβάνου ἀτμὶς ἐν σκηνῇ, *et quasi Libani vapor in tabernaculo.* Vulgatus legit, ὡς λίβανος ἄτομος.

11) v. 21. Desunt in graeco.

12) v. 23. καὶ τὰ ἄνθη μου καρπὸς δόξης καὶ πλούτου, *et flores mei, fructus honoris et divitiarum.*

13) v. 25. Abest a graeca editione, in nonnullis tamen codicibus haec leguntur: ἐγὼ μήτηρ τῆς ἀγαπήσεως τῆς καλῆς, καὶ φόβου, καὶ γνώσεως, καὶ τῆς ὁσίας ἐλπίδος· δίδωμι δὲ σὺν πᾶσι τοῖς τέκνοις μου ἀειγενεῖς τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ. *Ego mater pulcrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei. Do autem omnibus filiis meis dictis ab illo sempiterni.* Quae postrema Grotius emendands sic censuit: δίδωμι δὲ σύμπασι τοῖς τέκνοις μου ἀεὶ γενέσθαι, ἐκλεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ: *do autem omnibus filiis meis ut semper sint, nempe eis qui ab illo* (Deo) *electi sunt.*

14) Eccli. XXIV. 26-33.

15) v. 26. καὶ ἀπὸ τῶν γεννημάτων μου, *a fructibus meis.*

16) v. 27. τὸ γὰρ μνημόσυνόν μου, *recordatio enim mea.*

17) v. 27. ὑπὲρ μέλιτος κηροῦ, *super mellis favum.*

18) v. 28. Absunt a graecis.

seculorum. Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient. Qui audit me non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt. Qui [1]) elucidant me vitam aeternam habebunt. »

750. Quatuor ergo potissimum sunt quibus praesens ecclesiastici caput absolvitur. Eo namque I. nobilissima Sapientiae origo declaratur: tum II. innumera illius benefacta aperiuntur: hinc III. conquisitis undique coloribus suprema illius praestantia depingitur, singularesque dotes efferuntur: ac tandem IV. universi commonentur homines ut se ad Sapientiam recipiant, atque ex ea sibi optima quaeque polliceantur. Quare nisi vitio Ecclesiae adscribere velimus, quod hoc ipsum caput ad celebrandam Virginem temere atque inconsulto accommodarit; fateamur necesse est, Virginem in suis primordiis, in beneficiis quae impertit, et in dotibus quibus aucta splendet, eiusmodi esse imaginem quae ad Sapientiae archetypum quam proxime accedat. Ab hoc autem archetypo vehementissime Deipara dissideret, si non antea exstitit quam obligata fuerit culpa et eorum inscripta albo qui irae filii nuncupantur. Solemni igitur Ecclesiae usu, eaque voce quae ex usu clarissima resonat, edocemur origines Virginis habendas esse immaculatas, et omnino tales quae puritatis candore origines Sapientiae, quae candor est lucis aeternae, praeclarissime repraesentent.

751. Praesertim quum magno numero suppetant commentarii testificationesque maiorum, quibus hoc ipsum luculenter stabilitur. Sane Honorius augustodunensis ubi [2]) rationem explicat qua factum est ut ecclesiastici de quo loquimur caput, ad celebrandam Virginem transferretur, sic habet: « Cur autem de laude Sapientiae in eius die *(festo nimirum Deiparae die)* legatur, caussa satis probabilis declaratur. Christus est Dei Sapientia, cuius hic loquitur persona: *in omnibus,* subauditur gentibus, *requiem quaesivi,* sed *in hereditate Domini* tantum, idest, in Ecclesia *morandi* locum inveni. Quae gratulando subiungit: *qui me creavit, in tabernaculo meo requievit.* Tabernaculum Ecclesiae vel Dei est beata semper virgo Maria, ut dicitur: *in sole posuit tabernaculum suum.* In quo Filius Dei homo veniens requievit, et de quo *ut sponsus de thalamo processit. In Iacob inhabita, et in Israel hereditare, et in electis meis*

1) Hoc incisum a graecis abest.

2) Sigillum beatae Mariae pag. 1218. col. 1. D. et col. 2. E-H. in max. pp. biblioth. T. XX.

mitte radices. Ordo apostolicus est Iacob, idest, supplantator vitiorum: ipse etiam Israel, scilicet vir videns Deum. In quo Iacob Virgo Dei habitavit, et cum quo Israel regnum Dei hereditavit, et in ipsis electas radices suae castitatis et humilitatis misit. *Sic in Sion firmata sum.* Sion dicitur specula, et est Ecclesia in qua Dei genitrix scriptis et praedicationibus est firmata ut columna, super cuius laudabilem vitam tota Ecclesia innititur fulta. *Et in civitate sanctificata similiter requievi.* Civitas sanctificata est superna patria, aeterna claritate illustrata. In qua nunc perpetua Virgo cum angelis et sanctis requiescit, sed prae omnibus gloria et honore coronata fulgescit. Unde dicit, *in Ierusalem potestas mea.* Sion praesens Ecclesia, Ierusalem vero caelestis patria intelligitur. Maria autem regina caelorum vocatur, ideo non immerito Ierusalem potestas eius praedicatur. *Et* quia hic *in populo honorificato,* idest, in populo credentium exemplo sanctimoniae radicavit, ideo *hereditas illius in parte Dei sui,* idest, Filii sui divinitate erit. *Et hoc in plenitudine sanctorum,* idest, quum completus fuerit electorum numerus, laudem et gloriam habebit ex omnibus. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Libanus est mons in terra repromissionis, in quo cedri, et de cuius radice fluit Iordanis. Libanus dicitur candidatio, et est iudaicus populus cultu Dei et sacra Scriptura candidatus. In quo gloriosa Virgo ut cedrus fuit exaltata, idest odore et decore sanctitatis transcendens omnium merita: de cuius utero ut Iordanis de monte, manavit qui fontem baptismatis mundo consecravit. *Quasi cypressus in monte Sion.* Cypressus incisa non revirescit, ideo antiquitus portabatur ante mortuorum funera. Dei itaque genitrix virgo Maria cypressus in monte Sion fuit, idest, in vera specula scilicet Ecclesia cuius mens quum semel aruit sicut ficus numquam reviruit de mundi gaudiis; ideo praedicatione antefertur omnibus pro Christo mortificandis. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Palma datur victoribus, et hoc Cades, idest, sanctificatis, quibus Virgo alma exstat sanctificationis palma, dum per eius generosam sobolem nanciscuntur victoriam et sanctificationem. *Quasi plantatio rosae in Iericho.* Iericho dicitur luna, idest, Ecclesia in qua rosa significat martyres, quos omnes sancta Theotocos eminentia suae passionis ita transcendit, ut rosa alios flores rubedine praecellit. *Quasi oliva speciosa in campis.* Oleum significat misericordiam: campus autem est terra iuarata et significat virgines, quae non sunt sul-

catae per virilis amplexus vomeres. In quibus est casta Christotocos valde speciosa, ut in campis oliva decora; de qua profluxit oleum gaudii et misericordiae, quod nos sanans ab infirmitate ungit in regnum caelestis gloriae. *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas in plateis*. Aquae sunt populi per plateas gradientes, idest, in seculari vita, scilicet in coniugio fulgentes: inter quos praeclara Virgo ut platanus claruit, quum nobilem prolem fecunda attulit. *Sicut cinnamomum*. Cinnamomum dicitur immaculati, et significat innocentes, quibus haec Virgo cinnamomum exstitit, quum de immaculato utero largitorem innocentiae edidit. *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi*. Balsamum suaviter redolet, hoc frontes Christianorum signantur, hoc etiam sacerdotes et templa Dei consecrantur. Ut pretiosum balsamum haec Virgo odorem dedit, quum suavem animarum odorem Christum mundo genuit, qui nos ad suum regnum chrismate signat, et nos sua templa effectos ipse rex et sacerdos in reges consecrat. *Quasi myrrha electa*. Myrrha mortuorum corpora condiebantur. Omnibus mundo renunciantibus et Christo commorientibus iam saepe dicta Virgo et saepius dicenda Maria non solum myrrha exstitit, sed etiam electa, quum carnem suam mundi illecebris crucifixit, et se ieiuniis et vigiliis afflixit. *Odorem suavitatis spiravit,* quum Christum generavit odorem angelorum, qui prae omnibus electa myrrha se morti pro nobis Deo Patri obtulit in odorem suavitatis, ut nos mortificatos vitiis, participes efficeret suae divinitatis. »

752. Honorio igitur auctore, laudationem Sapientiae ad Deiparam traducere Ecclesia idcirco consuevit, quod Deipara secundum Sapientiam omnibus praecellat, et super omnes sibi primatum vindicet. Quidquid enim puri est in caelis, et quidquid sancti in terris, primas Virgini defert, quae omnium et purissima est et sanctissima celebratur. Ab his autem vix aut ne vix quidem differunt, quae his verbis Haymo [1]) complectitur: « Lectionis huius capitulum specialiter laudem aeternae Dei Sapientiae, per quam omnia creata sunt, commendare videtur. Sed haec particula a catholicis et eruditis patribus in solemnitate perpetuae virginis Mariae, de qua eadem Dei Sapientia carnem assumpsit, ad legendum ordinata est: et potest pars quaedam illius non incongrue eidem Dei genitrici aptari,

1) Hom. de Virginis assumptione in Sylloge concionum praestantiss. Ecclesiae patrum p. 886. col. 2. A-C.

Digitized by Google

quae ab ipsa Dei Sapientia talis creata est, ut per illam ad redimendam humanam naturam Dei Filium sine humana concupiscentia crearetur. » Neque ab his differunt quae [1]) Radulphus Ardens in eumdem ecclesiastici locum scribit. « *Et in plenitudine sanctorum detentio mea.* Ubi enim maior sanctimonia, ibi divina magis invitatur et detinetur Sapientia. Cum autem in omnibus his divina requiescat Sapientia, praecipue et singulariter requiescit in Maria. Ipsa enim omnia haec et plusquam haec habet. Quis enim fuit sic electus, immo praeelectus ut Maria? Quis fuit sic Sion, idest, speculativus ut Maria? Quae civitas sic fuit sanctificata, *ut civitas et claustrum Dei Maria?* Quis fuit sic Ierusalem, idest, pacificus ut mediatrix Dei et hominum Maria? Quis fuit populus sic honorificatus, et pars vel hereditas Dei, ut singularis Dei mater et virgo et regina caelorum Maria? Quis habuit tantam sanctimoniae plenitudinem, quantam Maria? Singulariter igitur et superexcellenter Dei Sapientia requievit in Maria. » Et [2]) infra: « Divina Sapientia est odorifera sicut cinnamomum et balsamum et myrrha, quoniam sanctos suos virtute humilitatis, benignitatis et castitatis redolere facit. Et si Sapientia Dei Patris, Dominus noster Iesus Christus sic exaltat, sic decorat, sic redolere facit ceteros sanctos; quanto magis dilectissimam et singularem matrem suam? Et mandatum quod de honorificatione patris et matris nobis [3]) dedit, quanto magis ipse custodit? Exaltavit itaque dilectissimam matrem suam sicut cedrum in Libano, sicut cypressum in monte Sion, et sicut palmam in Cades: qui eam in via super altitudinem fidei, spei et caritatis, ceterarumque virtutum omnium superexaltavit, et in patria super omnem angelorum et archangelorum celsitudinem singulariter sublimavit. Decoravit quoque eam sicut plantationem rosae in Iericho, et sicut olivam speciosam in campis, et platanum exaltatam iuxta aquam in plateis: quoniam eam etiam in via martyrii et misericordiae et magnanimitatis, ceterarumque virtutum operibus decoravit: et in patria omni corona, omnique gloria, omni pulcritudine, claritate et honore, plusquam cor hominis capere possit, mirificavit. Redolere quoque fecit eam sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, et sicut myrrham electam: quoniam tam bono odore, tam bona opinione

1) Hom. in Deiporae assumptionem, op. cit. pag. 887. col. 2. B-D. Floruit Radulphus ab anno Domini 1040. usque ad annum 1100.

2) Ibid. pag. 888. col. 1. D-E. et col. 2. A-C.

3) Ex. XX. 12.

Digitized by Google

humilitatis, benignitatis, virginitatisque singularis, ceterarumque omnium virtutum eam aromatizavit, quod universi fideles, tam illi qui adhuc sunt in via, quam illi qui iam sunt in patria, omnisque militia caelestis in fragrantia illius incomparabili delectentur ut admirentur [1]) dicentes: *quae est ista quae ascendit de deserto sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris, et omnis pulveris pigmentarii?* »

753. Plenioribus his commentariis ii succedunt, quibus nunc unum nunc alterum ecclesiastici comma de Virgine enarratur. Porro hos inter primus ille succurrit quem praebet [2]) Eckbertus schonaugiensis inquiens: « Vere beneplacitum fuit Deo habitare in te, quando ex ipsa illibata carnis tuae substantia, quasi de lignis Libani, architectura infallibili domum sibi [3]) aedificavit Dei Sapientia: suffulsit eam septem columnis argenteis ac reclinatorium aureum in ea collocavit. Hi sunt septem spiritus Dei, et haec est unica illa Salvatoris femina, in qua sola [4]) quaesitam in omnibus requiem invenit, atque in eius sinum omnes thesauros suos absque mensura transfudit. » Ille mox succurrit, cuius auctor est Guerricus abbas, qui non solum [5]) verba, *et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo,* de Virgine [6]) enarrans ait: *haec Dominum thalamo suscepit uteri;* verum etiam his in medium [7]) prolatis, *ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris,* illico [8]) pergit: « Natalem beatissimae Virginis matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem. Nata est hodie Virgo, de qua salus omnium voluit nasci, ut natis ad mortem daret ad vitam posse renasci. Nata est hodie mater nova, quae primae matris maledictionem dissolvit, ut pristinam benedictionem hereditate possideant, qui per illam sub praeiudicio maledicti aeterni fuerant nati. Prorsus nova mater, quae novitatem attulit filiis inveteratis, vitiumque sanavit tam ingenitae quam superadditae vetustatis. » Ubi autem [9]) haec interpretatur, *ego mater pulcrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei,* sic [10]) habet: « Meminisse potestis quum praeterito anno loqueremur de prin-

1) Cant. VI. 9.
2) Sermo panegyr. ad beatam Virginem p. 701. col. 2. C-E. inter opp. Bernardi T. V.
3) Prov. IX. 1.
4) Eccli. XXIV. 11.
5) Eccli. XXIV. 12.
6) Serm. IV. in Deiparae assumpt. num. 1. pag. 1054. E. inter opp. Bernardi T. V.
7) Eccli. XXIV. 23.
8) Serm. I. in Deiparae nativit. num. 1. pag. 1056. E-F.
9) Eccli. XXIV. 24.
10) Serm. II. in Deiparae nativit. num. 1. pag. 1058. E-F.

Digitized by Google

cipio lectionis hodiernae, non inconvenienter, ut arbitror, beatae Dei genitrici illud assignasse, salvo tamen intellectu illo quo tota lectio Filio eiusdem proprie competit, idest Dei Sapientiae. » Et [1]) infra: « Ergone est iste Filius tuus, o Virgo virginum? Ergo ne talis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Plane talis est dilectus meus, et ipse est filius meus, o filiae Ierusalem. Dilectus meus est pulcra dilectio in seipso: dilectus meus est pulcra dilectio, timor et spes et agnitio in illo qui natus est ex ipso. »

754. Neque multo secus [2]) Adamus Perseniae abbas qui Deiparam his verbis invocat: « O arborem fructuosam in medio paradisi plantatam, ramis expansam, radice firmatam! Ipsa quippe est quae [3]) dicit: *in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi;* et [4]) illud: *radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hereditas illius.* Arbor illa scientiae boni et mali gustu suo experientiam mali contulit, et boni scientiam ex parte abstulit, et de bono miserum fecit. Haec arbor Sapientiae fructum proferens, et palatum animae reparat ad saporem boni, et malorum experientiam dedocet restituens hominem amissae beatitudini. Hoc modo crevit virga in arborem, profecit Virgo in Altissimi genitricem. Inter bonas arbores incomparabiliter optima est virga de radice Iesse, ex qua vitae fructus processit. » Bernardus vero [5]) imagine aquaeductus Virginem adumbrans scribit: « Advertisti iam, ni fallor, quem velim dicere aquaeductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, si non prout est, saltem prout capere poteramus. Nostis enim cui dictum sit, *ave gratia plena.* An vero inveniri potuisse miramur, unde talis ac tantus fieret aquaeductus, cuius nimirum summitas, instar [6]) profecto scalae illius quam vidit patriarcha Iacob, caelos tangeret, imo et transcenderet caelos, et vividissimum istum aquarum quae super caelos sunt, posset attingere fontem? Mirabatur et Salomon, et velut desperanti similis [7]) aiebat: *mulierem fortem quis inveniet?* Nimirum propte-

1) Ibid. n. 4. pag. 1050. F.

2) Serm. I. in Virginis annunciat. pagg. 13-14. edit. Maraccii.

3) Eccli. XXIV. 15.

4) Eccli. XXIV. 16.

5) Serm. in Mariae nativit. n. 4. pag. 1019. E-F. opp. T. III.

6) Gen. XXVIII. 12.

7) Prov. XXXI. 10. De quibus verbis Adamus Perseniae abbas Serm. V. in Virginis assumpt. pagg. 113-116. edit. Maraccii scribit: « Iam quomodo haec quae de Sapientia utcumque intelleximus, et Sapientiae matri Mariae conveniant, secundum gratiam quam ipsa gratiae mater nobis impetraverit, videamus. Dicitur itaque *mulier*, non fracta mollitia voluptatis, sed quod sit in ea natura sexus fragilis, vel quod mollescat affectu, utpote misericordiae mater, ad teneritudinem pietatis. Quam *fortis* haec mu-

rea humano generi fluenta gratiae defuerunt, quod necdum intercederet is de quo loquimur, tam desiderabilis aquaeductus. Nec mirabere diutius exspectatum, si recordaris quot annis Noe vir iustus in arcae fabrica laboravit, in qua paucae, idest, octo animae salvae factae sunt, idque satis ad modicum tempus. » Et [1]) continuo: « Sed quomodo noster hic aquaeductus fontem illum attigit tam sublimem? Quomodo putas nisi vehementia desiderii, nisi fervore devotionis, nisi puritate orationis? Sicut [2]) scriptum est: *oratio iusti penetrat caelos.* Et quis iustus, si non Maria iusta, de qua sol iustitiae ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attigit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quaerendo? Denique et quod quaerebat, invenit, cui [3]) dictum est: *invenisti gratiam apud Deum.* Quid? Plena est gratia, et gratiam adhuc invenit? Digna prorsus invenire quod quaerit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono; sed quemadmodum [4]) scriptum est: *qui bibit me, adhuc sitiet.* Petit superfluentiam ad salutem universitatis. *Spiritus sanctus,* ait, *superveniet in te,* et pretiosum illud balsamum tanta copia, tantaque plenitudine influet, ut copiosissime effluat circumquaque. »

755. Concinit [5]) Amedeus qui explanata ornamentorum Virgi-

lier fuit, quae sine exemplo tam sexum quam seculum invicti spiritus fortitudine superavit? Quam fortis fuit, quae in fragili corpore posita et in seculo nequam adhuc peregrinans, aemulo puritatis angelicae, omne quod creatum est mentis sublimitate transcendit? Denique *ad mulierem fortem* fortitudo Dei Gabriel mittitur, quam gratia et fortitudine plenam invenit, parituram etiam Verbum omnipotens protestatur. An non fortis Maria fuit, cuius fortia ut mors dilectio, intantum virtutis Altissimi obumbratione convaluit, ut Rex virtutum, Dominus fortis et potens in praelio infirmus in ea fieret: et fortis armatus atrium quod in pace possidebat, dimitteret, et infirmitas hominum ad salutem ex ea plenariam perveniret? Sed ubi, obsecro, haec mulier tantae fortitudinis invenitur? Procul utique. Quia sicut gratiae plenitudine omni creaturae praecellit, sic incomparabiliter gloriae sublimitate transcendit. Procul, inquam, est, quia licet mediatrix, et singularis misericordiae compassione propitia, est tamen incomparabilis excellentiae privilegio super omnem altitudinem angelorum exaltata. Procul est pretium eius, quia speciosus forma prae filiis hominum de pretiosa eius carne nascitur, quo pretio genus humanum redimitur, at ipsa sanctorum omnium angelorum et hominum meritis et gloriae antefertur. Ultimi fines sunt incomparabiles virtutes Mariae, in quibus omnis consummationis finem se propheta testatur videre sic Domino dicens: *omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* Quid enim illo mandato latius, quo mandat saluted Iacob? Qui in salutatione Mariae, quam ei Gabriel ex Deo attulit, salutem omnibus quantum in se est praeparavit? Sunt itaque ultimi fines humilitatis Mariae incomparabiles, singularis virginitas, caritas spiritualis, privilegiata foecunditas. Quae omnia sicut nullum omnino exemplum antevenit, sic nullum omnino meritum vel aequiparat vel excellit. Omnino excipitur Patris Unigenitus, primogenitus ipsius Virginis, qui licet Spiritum ad mensuram non acceperit, tamen de his ultimis finibus, idest, summis Mariae virtutibus nostrae redemptionis pretium venit secundum naturam quam ex carne Virginis traxit. Sunt ii, ut dictum est, ultimi fines Virginis consummatae virtutes, ex quibus recepimus inaestimabilia pretii partum, tamquam ex floribus fructum.»

1) Ibid. n. 5. pag. 1020. A-C.

2) Eccli. XXXV. 21.

3) Luc. I. 30.

4) Eccli. XXIV. 29.

5) Hom. II. de Virginis laudibus pag. 1205. col. 1. D. in Biblioth. max. pp. T. XX.

Digitized by Google

nis *pretiositate*, ad eorumdem *varietatem* progressus ait: « Huius duae sunt species, una in coloribus, alia in usibus. » Tum de priori specie [1]) subdit: « Quae in coloribus consistit, dividitur in albedinem et nigredinem, in ruborem et viriditatem. Hos principales colores asserunt, et hi maxime exornant praefatam [2]) vestem. Viret enim [3]) ut oliva vel laurus, et ut iris virens in nubibus. Viret in fide et spe aeternorum, in obedientia mandatorum, in contemplatione aeternae viriditatis et virore aeternitatis. Rubet vero ut sphaera ignea, ut regis purpura, ut coccus bis tinctus, praeferens amorem Dei et proximi. Si candorem quaerimus, candet perpetua virginitate, et perfecta puritate. Decoris quoque suavitate fortem Rhinocerotem inclinat, Deum maiestatis invitat. » De altera vero specie [4]) inquit: « Varietas quae usibus accommoda deservit, multis et ipsa refulget speciebus. Alia namque ornamenta illud caput altissimum, collumque ornant et velant: alia crines et aures: alia pectus et brachia: alia manus et digitos: quaedam totum corpus induunt: quaedam lumbos accingunt: quaedam pedes muniunt. » Hinc [5]) de ornamentis agens tum capitis, tum colli, pergit: « Caput eius, mens eius dicitur. Nam sicut caput regit membra corporis, ita mens sensus animae regit et moderatur. In collo quod ceteris membris eminet, et vitalem gratiam capitis artubus subministrat, altitudo illius exprimitur qua praesidens membris Ecclesiae, caput suo connectit corpori, quia Christum coniungit Ecclesiae, et vitam quam primo loco suscipit, reliquis membris infundit. Decebat enim ut sicut [6]) per feminam mors, sic per feminam vita intraret in orbem terrarum. Et sicut [7]) in Eva omnes moriebantur, ita in Maria omnes resurgerent. Illa male credula verbis serpentis, mortis venenum miscuerat; haec [8]) conterens caput serpentis, antidotum vitae cunctis ministravit, ut mortem occideret et vitam repararet. »

756. Concinit [9]) Anselmus qui Deiparam his verbis deprecatur: « Quid umquam potest dignius aestimari, quam ut sis mater quorum Christus dignatur esse pater et frater? Ipse namque propter suam insolitam bonitatem omnibus paternos praebebit profectus, si te, Domina, senserit maternos non denegare affectus. Quo

1) Ibid. et col. 2. E.
2) Ps. XLIV. 10-14.
3) Eccli. XXIV. 19.
4) Ibid. col. 2. E.
5) Ibid. col. 2. E-F.
6) Rom. V. 18.
7) I. Cor. XV. 22.
8) Gen. III. 15.
9) Orat. XLVI. ad Virginem p. 277. col. 2. E.

Digitized by Google

namque modo mihi non miserearis, mater misericordiae? Ubi est nisi in Deo et in te spes mea? Ergo sine te nihil pietatis est, nihilque bonitatis, quia [1]) mater virtutis et virtutum es omnium. » Et [2]) rursum: « Virgo serenissima Dei genitrix sancta Maria, per merita tuae gloriosae assumptionis, et per amorem tui dulcissimi Filii, a quo assumpta es in caelum, da mihi virtutem contra hostes tuos et in regnum aeternum ingredi. Felix namque es sacra Virgo Maria et omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol iustitiae Christus Deus noster. *Sicut* [3]) *cedrus exaltata in Libano, et sicut cypressus in monte Sion, quasi myrrha electa dans suavitatem odoris*. Exaltata super choros angelorum gaudens et gloriosa in perpetuum regina caelorum, ubi adiuvas omnes qui te Dominam glorificant, et sanctum nomen tuum humili prece frequentant. O Virgo gloriosa, quae mortem subiisti, sed mortis nexibus deprimi non potuisti, quia tu sola Virgo genuisti eum, qui erat mors mortis et morsus inferni. » Hinc [4]) in Psalterio quod Anselmo tribuitur, legimus:

» Ave cuius Altissimus
» Sacravit [5]) tabernaculum,
» Paternae lucis radius
» Factus nobis remedium.
» Ave caelestis [6]) mansio
» De cuius templi medio
» Suscepimus incarnatam
» Dei misericordiam.
» Ave caeli introitus,
» Divina habitatio,
» Cuius est nobis filius
» Et frater et redemptio.
» Ave Sion gloriosa,
» De qua nobis manifesta
» Fit carne Verbi facies,
» Decoris Dei specie.
» Ave caelestis ianua,
» Qua Dei Patris unica
» Processit nobis reddita
» Salutaris laetitia.

757. Venio ad beatum Petrum Damiani, qui [7]) comparatione Christum inter atque Salomonem instituta ait: « Salomon noster non solum sapiens, sed et Sapientia Patris: non solum pacificus, sed et pax nostra qui fecit utraque unum, fecit [8]) thronum, uterum videlicet intemeratae Virginis, in quo sedit illa maiestas quae nutu concutit orbem. » De qua sessione [9]) pergit: « Hanc sessionem Filii

1) Eccli. XXIV. 24-25.
2) Orat. LIX. ad Virginem p. 285. col. 1. C-D.
3) Eccli. XXIV. 18-20.
4) Psalter. Virg. pag. 304. col. 2. C-E.
5) Eccli. XXIV. 12.
6) Ibid. XXIV. 11.
7) Serm. XLIV. in Virginis nativit. pag. 106. col. 2. B. Quo commode referri item possunt quae leguntur in collectione ss. patrum ecclesiae toletanae T. I. p. 399. col. 2. A. et in Thesauro hymnolog. T. II. pag. 82.
8) Eccli. XXIV. 7.
9) L. c. pag. 106. col. 2. B-E.

Digitized by Google

et probavit et cognovit Pater, ipso [1]) dicente: *tu cognovisti sessionem meam*, et [2]) *thronus tuus Deus in seculum seculi*, et [3]) *thronus iste sicut sol in conspectu tuo. Sedes*, inquit [4]) Scriptura, *super thronum qui iudicas aequitatem.* Quid enim iustius quam vilem et transfugam servum, et conservi sui sedulum deceptorem perpetuis ignibus assignare, et illum quem fefellerat, suo resignare principio? Ait ille [5]) alter filius Virginis, *et vox de throno exivit dicens, laudem dicite Deo nostro, omnes sancti eius.* Ex hoc throno laus angelorum prorumpit et hominum, quia dum hic restituitur et ille resarcitur, utrique gratiarum debent devotionem. Nosti quidnam dicat [6]) qui sedet in throno: *ecce*, inquit, *nova facio omnia*. Felix [7]) thronus in quo sedet dominator Dominus, in quo et per quem non solum omnes sed omnia renovantur. Parco verbis quia quosdam vestrum sentio praevolare, et currentis styli praevenire pauperiem. Merito ergo tale opus non eloquenti, non glorioso, sed pacifico scribitur [8]) assignatum; quia venit Iesus instaurare et quae in caelis et quae in terris, pacemque et concordiam inter homines et angelos, mediante Virgine, reformare. » Quae vero fuerit Virginis mediatricis excellentia, quae magnitudo, enarrat [9]) Petrus Damiani subdens: « Quid grandius virgine Maria, quae magnitudinem summae divinitatis intra sui ventris concludit arcanum? Attende seraphim, et in illius superioris naturae supervola dignitatem: et videbis quidquid maius est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi. »

758. Cum his autem ista conspirant egregie, quibus [10]) Fulbertus carnotensis natalem extollens Virginis diem scribit: « Est enim ista suscepta festivitas non modicis nec paucis praefulgens mysteriis, aut reliquorum sanctorum festivitatibus coaequanda; sed tantum est excellentior, quantum constat eam omnibus hominibus praeferendam, cuius hodie praelucida recitantur nativitatis initia. Ad cuius ergo magnificentiam collaudandam et gloriam praeferendam tanta valeant exuberare praeconia, quantum illi congruit quae cunctas

1) Ps. CXXXVIII. 2.
2) Ps. XLIV. 7.
3) Ps. LXXXVIII. 30.
4) Ps. IX. 5.
5) Apoc. XIX. 5.
6) Ibid. XXI. 5.
7) Eccli. XXIV. 7.
8) III. Reg. X.
9) L. c. pagg. 106. col. 2. E. et 107. col. 1. A. His adde quae scribit Anselmus in psalterio p. 303. col. 3. C-D. quaeque occasiona verborum Eccli. XLV. 14. habentur in corona beatae Mariae virginis p. 393. col. 1. E. collect. ss. patrum eccles. tolet. T. I.
10) Orat. in Virginis nativit. pag. 119. col. 1. A-C. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VIII.

superexcellit in praeeminendo creaturas et angelicam dignitatem? Et ubi usquam inveniri poterat locus qui intra se concluderet maiestatem coaequalem Patri, auctorem omnium rerum, nisi uterus Mariae ante secula praescitus? In hunc siquidem tota divinitas cum humanitate versata est, et qui in coaequalitate cuncta disponebat caelestia et terrestria, in virginea praeangusta septa venturam et promissam praeparabat carnis suae redemptionem. Felix talis partus et ortus, de cuius substantia assumpta est talis virgo quae tolleret veternas parentum offensas, et relevaret concussum orbem qui sub saevo duri hostis erat dominio. Cuius itaque partus, ut censemus, ad nihil aliud exstitit, nisi ut fieret eius sanctae pudicitiae [1]) domus et susceptio Filii Altissimi (ad quid enim aliud?); ergone huius castitas aut ante partum, vel post dignum pignus genitum foedata est aliquo contagio? »

759. Quare [2]) beatus Hildephonsus toletanus praesul his omnino verbis fideles cohortatur: « Quaeso vos, o filii, imitamini signaculum fidei vestrae beatam Mariam, quam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit et ignivit, ita ut in ea Spiritus sancti flamma videatur, nec sentiatur nisi tantum ignis amoris Dei. Haec namque est [3]) *hortus conclusus* ille deliciarum, *fons signatus, puteus aquarum viventium,* reparatio vitae, ianua caeli, decus mulierum, fastigium omnium virginum, quae ut [4]) cedrus Libani quotidie in terris multiplicabitur, dilatabiturque ramis, et in caelo radicibus ut crescat amplius, solidatur. Exaltatur ut palma, floret velut oliva speciosa in campis, et fructificabit in domo Dei in aeternum. » Et aliquot interiectis [5]) pergit: « Idcirco, filii, perpendite matrem Domini, quae [6]) *quasi vitis fructificavit suavitatem odoris,* et protulit cunctis gentibus *fructus honestatis* et gratiae. Floruit ut mater honorificata, ut mater pulcrae dilectionis et timoris, ut mater agnitionis Dei, et spei, in qua gratia omnis, spes vitae et virtutis, et quae sola refulsit virgo sancta inter filias, ac si lilium inter spinas. »

760. His autem quae ex latinae ecclesiae monimentis decerpsimus, mirum dictu est quam belle respondeant quae in orientalis

1) Eccli. XXIV. 12.
2) Serm. I. in Virginis assumpt. p. 667. col. 1. B-D. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII.
3) Cant. IV. 12.
4) Eccli. XXIV. 17-19.
5) Loc. c. pag. 667. col. 1. D-E.
6) Eccli. XXIV. 23-24-25.

Digitized by Google

ecclesiae libris reperiuntur. Et ea imprimis quae reperiuntur in libris sive ecclesiasticis sive liturgicis, e quorum censu liturgia Iacobo inscripta [a]) sic habet: « Tibi, o plena gratia, universa creatura gratulatur, angelorum coetus et hominum genus; tibi quae es templum sanctificatum, paradisus spiritalis, virginum gloria, ex qua Deus carnem assumpsit et puer factus est Deus noster qui est ante secula: tuum enim uterum [1]) thronum fecit, et tuum ventrem latiorem ac ampliorem caelis ipsis reddidit: tibi, o gratia plena, universa creatura gratulatur, gloria tibi. » Quae gloria sic illi [b]) in Menaeis defertur: « Tamquam [2]) vitis non exculta, o Virgo, botrum speciosissimum protulisti quo nobis salutare vinum proflueret omnium animos atque corpora exhilarans: quare te utpote bonorum caussam praedicamus beatam perpetim utentes his angeli vocibus, ave gratia plena. » Porro [c]) in Octoecho legimus: « Ave throne [3]) Dei gloriose, ave fidelium praesidium, per quam versantibus in tenebris lux Christus iis effulsit qui te beatam dicunt et clamant: omnia opera Domini Dominum laudate et superexaltate in omnia secula. » Eodem *throni* encomio [d]) honestatur Deipara his verbis: « Ave throne igniformis, ave sponsa viri nescia, ave, o Virgo, quae Deum hominibus peperisti. » Huic autem simile illud est, quo Unigeniti *thalamus* [e])

a) Liturg. Iacobi pagg. 16. col. 2. E. et 17. col. 1. A. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II. Ἐπὶ σοὶ χαίρει, κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις, ἀγγέλων τὸ σύστημα, καὶ ἀνθρώπων τὸ γένος, ἡγιασμένε ναὲ, καὶ παράδεισε λογικὲ, παρθενικὸν καύχημα, ἐξ ἧς Θεὸς ἐσαρκώθη, καὶ παιδίον γέγονεν ὁ πρὸ αἰώνων ὑπάρχων Θεὸς ἡμῶν· τὴν γὰρ σὴν μήτραν θρόνον ἐποίησε, καὶ τὴν σὴν γαστέρα πλατυτέραν οὐρανῶν ἀπειργάσατο· ἐπὶ σοὶ χαίρει, κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις· δόξα σοι.

b) Men. die XV. Ianuarii Ode γ΄. pag. 120. col. 2. C. Ὡς ἀγεώργητος, παρθένε, ἄμπελος τὸν ὡραιότατον βότρυν ἐβλάστησας, ἀναπηγάζοντα ἡμῖν τὸν οἶνον τὸν σωτήριον πάντων τὸν εὐφραίνοντα τὰς ψυχὰς καὶ τὰ σώματα· ὅθεν ὡς αἰτίαν σε τῶν καλῶν μακαρίζοντες ἀεὶ σὺν τῷ ἀγγέλῳ βοῶμέν σοι· χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη.

c) Antholog. in Octoecho pag. 7. col. 1. B. Χαῖρε θρόνε ἔνδοξε Θεοῦ· πιστῶν χαῖρε τὸ τεῖχος, δι' ἧς φῶς τοῖς ἐν σκότει ἐξανέτειλε Χριστὸς, τοῖς σε μακαρίζουσι καὶ βοῶσι· πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον ὑμνεῖτε, καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

d) Antholog. in Octoecho pag. 14. col. 1. E. Χαῖρε θρόνε πυρίμορφε, χαῖρε νύμφη ἀνύμφευτε, χαῖρε ἡ Θεὸν τοῖς ἀνθρώποις, παρθένε, κυήσασα.

e) Offic. quadr. Fer. II. hebd. III. Ieiunorum Ode θ΄. pag. 230. B. Θεομῆτορ κόρη, ἡ παστὰς τοῦ οὐρανίου βασιλέως Χριστοῦ, σῶζε τῇ πρεσβείᾳ σου τοὺς πόθῳ ὑμνοῦντάς σε.

1) Eccli. XXIV. 7.
2) Ibid. XXIV. 23.
3) Ibid. XXIV. 7.

Digitized by Google

nuncupatur: « Puella Dei mater, caelestis regis Christi [1]) thalamus salva precibus tuis eos qui te cupide celebrant. » Et rursum [a]) alibi praeclarius: « Te, labis omnis expers Dei genitrix, fideles universi mysticum gloriae thalamum annunciamus; unde me lapsum, o innocens, deprecor, aptum fac paradisi thalamum. » A quibus haec seiungi non debent [b]) ex ecclesiasticis Coptorum libris: « Magnitudo tua, o Maria virgo immaculata, est excelsior palma, de qua Salomon loquutus est. Tu es fons aquae vivae quae fluit e Libano, ex quo nobis divinitatis gratia effusa est. »

761. Suffragantur patres, e quibus [c]) Germanus constantinopolitanus de Virgine loquens exclamat: « Benedicta tu in mulieribus, mystica et sata a Deo [2]) vitis, quae in collectis Ecclesiae coetibus uberes profers pampinos, maturumque nobis botrum incorruptionis e sinu procreas. » Penes Tarasium Anna triennem Virginem sic [d]) alloquitur: « Sed veni, filia, ad eum qui te mihi elargitus est. Veni arca sanctimoniae ad misericordem Dominum. Veni porta divinae vitae: veni thalame Verbi ad templum Domini: intra in gaudium Domini, quae mundi gaudium es et exsultatio: fruere eius pulcritudine, quem non ita post humana forma indutum paries. » Eadem vero Anna et una cum ea Ioachimus Deiparam offerentes,

a) Offic. quadrag. Domin. Tyroph. Ode ϛ'. pag. 85. C. *Νυμφῶνα δόξης σε μυστικὸν πάντες καταγγέλλομεν πιστοὶ, Θεοκυῆτορ πανάμωμε, ὅθεν δυσωπῶ σε, ἁγνὴ, πεσόντα με νυμφῶνα παραδείσου οἰκεῖον ποίησον.*

b) Theotoch. pag. 162. tetrast. V-VI.

Ⲧⲉⲙⲉⲧⲛⲓϣϯ, ⲱ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ ⲛ̀ⲁⲧⲑⲱⲗⲉⲃ, ⲉⲥⲟⲓ ⲙ̀ⲡϭⲓⲥⲓ ⲙ̀ⲡⲓⲃⲉⲛⲓ, ⲉⲧⲉ Ⲥⲟⲗⲟⲙⲱⲛ ⲥⲁϫⲓ ⲉⲑⲃⲏⲧϥ· Ⲛ̀ⲑⲟ ⲡⲉ ϯⲙⲟⲩⲙⲓ ⲙ̀ⲙⲱⲟⲩ ⲛ̀ⲱⲛϧ, ⲉⲧϧⲁϯ ⲉⲡⲓⲗⲓⲃⲁⲛⲟⲥ, ⲉⲧⲁ ⲡⲓϩⲙⲟⲧ ⲛ̀ⲧⲉ ϯⲙⲉⲑⲛⲟⲩϯ ⲃⲉⲃⲓ ⲛⲁⲛ ⲉⲃⲟⲗ ⲛ̀ϧⲏⲧⲥ ⳼

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1310. C-D. apud Combefisium Auctar. T. I. *Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ μυστικὴ καὶ θεοφύτευτος ἄμπελος· ἡ ἐν τοῖς κλήτεσι τοῖς ἐκκλησίας εὐκληματοῦσα, καὶ τὸν πέπειρον βότρυν ἡμῖν τῆς ἀφθαρσίας ἐκ μήτρας κυπρίζουσα.*

d) Orat. in Deiparae praesentat. *Ἀλλὰ δεῦρο, θύγατερ, πρὸς τὸν σέ μοι παρασχόντα· δεῦρο κιβωτὲ τοῦ ἁγιάσματος, πρὸς τὸν εὔσπλαγχνον δεσπότην· δεῦρο πύλη τῆς θείας ζωῆς· δεῦρο παστὰς τοῦ λόγου, πρὸς τὸν ναὸν κυρίου· εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου, ἡ τοῦ κόσμου χαρὰ καὶ ἀγαλλίασις· ἀπόλαυσον τούτου τῆς ὡραιότητος, ὅνπερ μετὰ μικρὸν τέξεις ὡς ἄνθρωπον.*

1) Eccli. XXIV. 12. Huc etiam referuntur quae in Euchologio habentur pag. 410. E. et Paraclit. pag. 76. col. 2. C.

2) Ibid. XXIV. 13-23. Neque enim mihi dubium est, Germano ob oculos ista fuisse, *et in electis meis mitte radices*, quae modo in graecis desiderantur.

Digitized by Google

his plane verbis [a]) Zachariam sacerdotem compellant: « Accipe, o Zacharia, tabernaculum intemeratum: accipe, sacerdos, immaculatum Verbi thalamum: accipe, o propheta, thuribulum lucis ab omni materia solutae: accipe, o iuste, igniformem Altissimi currum: accipe, o inculpate [1]), speciosam vitem quae racemum perennis vitae efferet. »

762. Neque minus luculenta sunt quae, auctore [b]) Iohanne damasceno, apostoli et viri apostolici ad Mariae exsequias congregati his cecinisse verbis perhibentur: « O quomodo [2]) vitae fons ad vitam media morte trahitur! O quomodo quae pariendo naturae leges excesserat, nunc eius legibus cedit, et immaculatum corpus morti subiicitur! Oportet enim [3]) hoc mortali posito, inducre incorruptionem, quandoquidem naturae Dominus mortis periculum facere non recusavit. O quomodo sacrosanctam illam animam e tabernaculo [4]) quod Deum susceperat, emigrantem rerum omnium conditor suis manibus excipit! » Neque dissimili ea fulgore splendent quae de Virgine [c]) Modestus hierosolymitanus tradit inquiens: « Per

a) Ibid. pag. 7. Δέχου Ζαχαρία τὴν σκηνὴν τὴν ἀμίαντον· δέχου ἱερεῦ τὴν ἀκηλίδωτον παστάδα τοῦ λόγου· δέχου προφῆτα τὸ θυμιατήριον τοῦ ἀΰλου φωτός· δέχου δίκαιε τὸ πυρίμορφον ἅρμα τοῦ ὑψίστου· δέχου ἄμεμπτε τὴν ὡραίαν ἄμπελον, ἥτις βλαστήσει τὸν ἀείζωον βότρυν.

b) Orat. I. in Deiparae dormit. §. X. pag. 864. E. 865. A. Ὦ πῶς ἡ πηγὴ τῆς ζωῆς πρὸς τὴν ζωὴν διὰ μέσου θανάτου μετάγεται· ὢ πῶς ἡ ἐν τῷ τόκῳ τοὺς ὅρους ὑπερβᾶσα τῆς φύσεως, νῦν ὑποκύπτει τοῖς ταύτης θεσμοῖς, καὶ θανάτῳ τὸ ἀκήρατον καθυποβάλλεται σῶμα· δεῖ γὰρ αὐτὸ τὸ θνητὸν ἀποθέμενον τὴν ἀφθαρσίαν ἀμφιάσασθαι, ἐπεὶ καὶ ὁ δεσπότης τῆς φύσεως τῆς τοῦ θανάτου πεῖραν οὐκ ἀπηνήνατο· ὢ πῶς ψυχὴν ἱερὰν τοῦ θεοδόχου διαιρουμένην σκηνώματος, οἰκείαις χερσὶν ὁ παντουργὸς ὑποδέχεται.

c) Encom. in Deiparam §. II. pagg. 11-13. Δι' αὐτῆς γὰρ εὕρηται ἡ βροτογενὴς δραχμὴ, καὶ ὑπέδυ τὴν τοῦ προβάτου δορὰν ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, καὶ ἔσωσε τὸ πεπλανημένον λογικὸν πρόβατον, ἄρας ἐπ' ὤμων, εὐφραινόμενος κύριος τῶν δυνάμεων, ὁ ἐξ αὐτῆς σὰρξ γενόμενος ἀτρέπτως, καὶ ἁγιάσας αὐτὴν εἶναι θεοδόχον χωρίον, ἐν ᾧ ὁ θεὸς καὶ πατὴρ κατ' εὐδοκίαν γέγονε γεωργὸς, καὶ φυτουργὸς τὸ πανάγιον πνεῦμα· ἐξ οὗπερ Χριστὸς ὁ μονογενὴς υἱὸς αὐτοῦ ἐκαρποφορήθη ἄμπελος ἀληθινὴ εἰς εὐφροσύνην οὐρανίων ἁγίων δυνάμεων, καὶ σωτηρίαν ἐπιγείων βροτῶν, φάσκων ἐν εὐαγγελίοις· ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, ἡ ἀληθινή, καὶ ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐστι· πρὸς ταύτην ἐφοίτησεν ἡ θεομήτωρ· ἣν ἐκαρποφόρησεν, ἄμπελον ἀληθινὴν, δρέψασθαι τοὺς βότρυας τῆς ἀφθαρσίας καὶ ἀθανασίας, εὐφραινομένη ἐπὶ τοῦ καινοῦ αὐτῆς γεννήματος, ἐν τῇ τῶν οὐρανῶν βασιλείᾳ· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ κατατρυφῶσα τοῦ ζωοποιοῦ οὐρανίου ἄρτου τῆς ζωῆς, ζωοποιουμένη ὑπ' αὐτοῦ εἰς αἰῶνας, οἰκονομήσαντος ἐκ πανάγνων λαγόνων αὐτῆς, καὶ προελθόντος εἰς μέθεξιν βροτῶν, στηρίζοντος καρδίας ἐν

1) Eccli. XXIV. 23.
2) Ibid. XXIV. 25-29.
3) I. Cor. XV. 54.
4) Eccli. XXIV. 12.

ipsam enim inventa est humana drachma, et bonus pastor ovis pellem induit, et errabundam rationalem ovem sublatam in humeros gaudens Dominus virtutum servavit; qui ex Maria caro factus est incommutabiliter, eamque sanctificavit ut esset ager quo Deus exciperetur, in quo Deus et Pater secundum suum beneplacitum fuit agricola, et plantator Spiritus sanctus, unde Christus unigenitus eius Filius veluti fructus exortus est, vera vitis in gaudium sanctarum caelestium Potestatum et salutem terrestrium hominum: ait enim [1]) in Evangeliis: *ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.* Ad hanc Dei mater accessit, quam ipsa protulit, vitem veram, ut quasi racemos incorruptibilitatis et immortalitatis inde decerperet, novo suo gaudens [2]) fructu in regno caelorum. Verum vivifico vitae caelesti pane quasi deliciis delectata, et ab illo vivificata est in aeternum qui ex purissimis eius ilibus incarnatus in hominum prodiit communionem, et in orthodoxa fide sua corda firmavit; productaque nobis [3]) oliva, tamquam a Deo cultus ager, misericordiae fontem protulit Christum, qui misericordia sua omnia implet. »

763. Utitur eadem *olivae* imagine Proclus, utitur et Iohannes damascenus, quorum ille [a]) de Virgine ait: « Haec [4]) oliva fructifera plantata in domo Domini, ex qua Spiritus sanctus dominici corporis ramum accipiens, tempestate iactato humano generi detulit, fauste de caelo annuntians pacem. » Alter vero [b]) postquam scripsit: *atque ita sanctissimum corpus clarissimo praestantissimoque tumulo imponitur, unde triduo post in caelos attollitur;* illico [c])

ὀρθοδόξῳ πίστει αὐτοῦ ἡ ἐλαιοφορήσασα ἡμῖν, ὡς θεογεώργητον χωρίον, τὴν πηγὴν τοῦ ἐλέους Χριστὸν, ὑπερπληροῦντα τὰ σύμπαντα τοῦ ἐλέους αὐτοῦ.

a) Orat. VI. de Virginis laudibus §. XVII. pag. 646. A-B. apud Gallandium Tom. IX. Αὕτη ἡ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ πεφυτευμένη κατάκαρπος ἐλαία, ἐξ ἧς τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸ σωματικὸν τοῦ κυρίου λαβὸν κάρφος, τῇ χειμαζομένῃ τῶν ἀνθρώπων διεκόμισε φύσει, τὴν ἄνωθεν εὐαγγελισάμενος εἰρήνην.

b) Orat. II. in Deiparae dormit. §. XIV. pag. 876. D. Καὶ οὕτως τὸ πανάγιον σῶμα τῷ πανευκλεεῖ καὶ ὑπερφυεῖ ἐπιτίθεται μνήματι· κἀντεῦθεν τριταῖον πρὸς οὐρανίους δόμους μετεωρίζεται.

c) Ibid. pag. 876. D-E. Ἔδει γὰρ τοῦτο τὸ θεοπρεπὲς ἐνδιαίτημα τὴν ἀνόρυκτον πηγὴν τοῦ τῆς ἀφέσεως ὕδατος, τὴν ἀνήροτον ἄρουραν τοῦ οὐρανίου ἄρτου, τὴν ἀνάρδευτον

1) Ioh. XV. 1.
2) Eccli. XXIV. 23.
3) Ibid. XXIV. 19.
4) Ibid. XXIV. 19. coll. Ps. LI. 10.

pergit: « Siquidem divinum illud domicilium, illum minime effossum aquae remissionis fontem, inaratum illud caelestis panis arvum, illam numquam irrigatam uvae immortalis vineam, illam paternae miserationis [1]) semper virentem olivam, pulcherrimosque fructus proferentem, terrae penetralibus claudi minime conveniebat. »

764. Hinc [a]) Ephraemus relatis Mariae ad Gabrielem verbis [2]), *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* subdit: « Maria ergo hodie caelum pro nobis facta est divinitatem portans quam Christus, quin a paterna gloria secederet, angustos uteri limites conclusit ut homines ad altiorem dignitatem extolleret. Hanc solam ex universo virginum coetu elegit, ut nostrae esset salutis instrumentum. In ipsa terminum habuere iustorum ac prophetarum omnium vaticinationes. Ex ipsa splendentissimum illud sidus prodiit, quo duce populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Diversis Maria nominibus potest aptissime nuncupari. Ipsa

ἄμπελον τοῦ τῆς ἀμβροσίας βότρυος, τὴν ἀειθαλῆ καὶ καλλίκαρπον ἐλαίαν τοῦ πατρικοῦ ἐλαίου, τοῖς κενεῶσι τῆς γῆς μὴ καθείργεσθαι.

a) De diversis Serm. III. de laudibus Deiparae, pag. 607. A-F. opp. syr. Tom. III.

[illegible]

1) Eccli. XXIV. 19.

2) Luc. I. 38.

namque templum est Filii Dei, qui ex eadem alio plane modo egressus est ac fuerat ingressus; quum enim ingressus esset in uterum sine corpore, corpore indutus erupit. Ipsa est [1]) mysticum illud caelum novum, in quo rex regum tamquam in sua sede inhabitavit, ex quo in terram delapsus est, terrenam quamdam speciem et similitudinem praeseferens. Ipsa est [2]) vitis fructificans suavitatem odoris, cuius fructus quoniam ab arboris natura admodum discrepabat, necesse fuit ut suam ab arbore similitudinem mutuaretur. Ipsa [3]) fons est de domo Domini egrediens, ex quo [4]) sitientibus fluxerunt aquae vivae, quas siquis primis dumtaxat labiis gustaverit, non sitiet in aeternum. Errat autem, dilectissimi, quisquis hodiernam reparationis diem cum altera creationis comparari posse arbitratur. Initio namque terra condita est, hodie renovata: initio ob Adami crimen [5]) maledicta est in opere suo, hodie vero pax illi et securitas restituta: initio [6]) protoparentum delicto in omnes homines mors pertransiit, hodie vero per Mariam translati sumus de morte ad vitam: initio serpens Evae auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit; hodie Maria ex auribus perpetuae felicitatis assertorem excepit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitae exstitit instrumentum. » Qua imbutus fide Ephraemus ita Deiparam [a]) exorat: « Domina laudabilissima atque optima, misericordiae fons, bonitatis abyssus, aqua viva, peccantium patrona, fluctuantium portus, quae digna habita es fieri mater Dei, vitis [7]) vera, vas continens manna, cadentium correctio, cunctorum perfugium, totiusque mundi vita; me exsecrabilem ut Dei mater benignissima simul et misericors noli respuere, sed accelera suscipere deprecationem ad te prolatam a sordidis labiis meis,

a) Orat. ad Deiparam pagg. 539. C-F. et 540. A. opp. graec. T. III. Δέσποινα πανύμνητε καὶ πανάγαθε, ἡ τοῦ ἐλέους πηγὴ, ἡ τῆς φιλανθρωπίας ἄβυσσος, τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν, ἡ τῶν ἁμαρτανόντων προστάτις καὶ τῶν χειμαζομένων λιμὴν, ἡ ἀξιωθεῖσα γενέσθαι μήτηρ Θεοῦ, ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ, ἡ μανναδόχος στάμνος, ἡ τῶν πιπτόντων ἀνόρθωσις, ἡ πάντων καταφυγὴ, καὶ παντὸς τοῦ κόσμου ἡ ζωὴ, τὸν ἐναγῆ ὡς Θεοῦ μήτηρ φιλάνθρωπός τε καὶ συμπαθὴς μὴ βδελύξῃ, ἀλλὰ προφθάνουσα τὴν ἐκ ῥυπαρῶν χειλέων μου φερομένην σοι πρόσδεξαι δέησιν, ἵλεόν μοι τὸν κριτὴν ἀπεργασαμένη ταῖς εὐπροσδέκτοις καὶ παναγάθοις δεήσεσί σου τῆς ἀληθοῦς πανάγνου καὶ Θεομήτορος.

1) Apoc. XXI. 1.
2) Eccli. XXIV. 13.
3) Ioel. III. 18.
4) Eccli. XXIV. 20.
5) Gen. III. 17.
6) Rom. V. 12.
7) Eccli. XXIV. 23.

Digitized by Google

conciliando mihi benevolentiam iudicis precibus acceptissimis atque humanissimis tuis, quae vere es innocentissima et Dei mater. »

765. Manifesta igitur testificatione maiorum compertum est, vicesimum quartum ecclesiastici caput ad Virginem transferri, deque ipsa sumi atque enarrari solemniter consuevisse. Eo autem capite de Sapientia agitur, quae sicuti a reliquis omnibus *origine, dotibus, virtute, efficientiisque* distinguitur; ita universis *praeter omnem comparationem* longissime anteponitur. Ne igitur huiusce capitis ad Virginem accommodatio inanis atque praepostera videatur, necesse prorsus est Virginem inter atque Sapientiam *certus quidam exsistat analogiae habitus,* quo fiat ut Virgo *origine, dotibus ac virtute* ab universo hominum genere secreta, eidem praecellat suoque merito anteferatur. Quod quidem ea sententiarum perspicuitate in maiorum enarrationibus confirmatum occurrit, ut extra omnem controversiam situm iure quam qui optimo existimetur.

766. Sane ex illorum quas descripsimus enarrationibus *principio* liquet, nullam esse creaturam sive angelicam sive humanam, quam Virgo dignitate, gratia, innocentia, gloriaeque splendore non summopere excedat. *Ea namque est quae dicitur Sionis et Hierusalem, idest, militantis et triumphantis Ecclesiae regina: ea est quae dicitur supernarum Virtutum Domina: ea quae incomparabiliter optima inter ipsas bonas arbores nuncupatur: et ea cui defertur quod utpote Dei claustrum, tabernaculum, civitas, thalamus et paradisus decore sanctitatis meritum omne transcenderit, sibique in omnibus primatum vindicarit.* Liquet *deinde* primatus, qui Deiparae convenit, *gradus rationemque* sedulo declarari. Ut enim de gradibus primum dicamus, *ad originem quod attinet, Virgo plane sistitur uti talis ab aeterno praescita et praeparata quae Patris Unigenitum digne conciperet: uti vitis in plenitudine temporis a Deo sata: uti novum a Deo conditum caelum: et uti opus a Deo procreatum ex quo humanam naturam citra quemvis concupiscentiae naevum Unigenitus susciperet. Hinc concordi ore celebratur tamquam sola sancta inter filias, tamquam sola in qua Deus conquieverit, tamquam lilium inter spinas, tamquam oliva semper virens, tamquam una quae serpentis caput contriverit, tamquam* [1]) *stella ma-*

1) Eccli. L. 6. interprete Petro Damiani Orat. in Virginis assumpt. pag. 720. col. 1. B. apud Combefisium Biblioth. concionat. T. VII.

Digitized by Google

tutina in medio nebulae, quae in caeli cardine summo splendore coruscans, orbem subditum splendidioribus radiis incolorat, atque adeo tamquam perfecte immaculata et vere innocentissima.

767. Singularia primordia singulares eximiaeque progressiones ex doctrina maiorum exceperunt. *In sinum namque Virginis omnes sine mensura thesauros divina largitas transfudit: ipsa autem Virgo inter omnes tam homines quam angelos sanctitate emicuit quasi cedrus in Libano, quasi cypressus in monte Sion et quasi palma in Cades.* His vero initiis progressionibusque singularibus singularis, uti par erat, exitus respondit. *Etenim exitus universorum hominum mors est, qua in eum pulverem redeunt, e quo primum exstiterunt. Sed Virgo mortem quidem subiit, ut omnia in se Unigeniti lineamenta referret; detineri tamen mortis vinculis non potuit, ut quae veneficum serpentis halitum non persenserit, vitaeque auctorem immaculata in lucem ediderit.* Quo pacto enarratis gradibus, quibus Deipara ex traditione maiorum in omnes creaturas primatum obtinuit; nihil expeditius quam ex eorumdem mente caussam rationemque aperire, quae huiusmodi providentiae ordinem postulavit.

768. Scilicet ratum illis fixumque erat praedestinatam fuisse Deiparam suoque tempore in lucem productam *ut ipsa foret instrumentum salutis, ut per ipsam et in ipsa omnia innovarentur, repararetur vita, potestas mortis solveretur, aboleretur peccatum et vetustas sive ingenita sive superaddita tolleretur: ut ipsa esset aquaeductus, per quem caelestes latices ad hominum genus culpae aestu exsiccatum defluerent: ut esset collum quod in se vitam primum recipiens, reliquum deinde humanitatis corpus cum Christo capite copularet: ut talis esset cui angeli iuxta ac homines devotionem rependerent, illi quidem utpote resarti, hi vero utpote restituti: paucis, ut ipsa crederetur et esset mediatrix Dei et hominum, et sola Salvatoris femina per quam regnaret vita, sicut per feminam mors grassabatur.* Iamvero ut hisce explendis partibus par esset, et ne mediatrix mediatrice indigeret, non potuit communi reliquorum numero comprehendi, sed debuit super omnes ita efferri, ut non minus a corpore quod perierat distaret, quam cum Christo capite eodemque mediatore penitissime iungeretur. Iungeretur *natura, et cum illo secundum carnem consubstantialis esset:* coniungeretur *innocentia, qua non secus ac ille Deo semper placuerit:* et coniungeretur *muneribus, e quibus una cum illo participatione mediatrix*

Digitized by Google

appareret. Norunt haec patres scriptoresque christiani, nihilque propterea omiserunt *sive quo unam eamdemque esse Virginis et Christi carnem persuaderent, sive quo innocentiam Virginis semper nitentem declararent, sive tandem quo dotes Christi mediatoris una cum Virgine quoad eius fieri posset communicatas ostenderent*. Hinc celebres penes illos et frequentatae sententiae: *de plenitudine Virginis universos homines accipere: Virginem esse fidelium matrem, sicuti Christus est eorumdem pater: et Virginem esse caelestem ianuam, veram vitem e qua omnes uti palmites pendere debent, caeli introitum, spem communem, vitae fontem e quo siqui biberint, non amplius sitiant*, et ne plura commemorem, *mundi medelam atque salutem*. Quae profecto talia sunt ut reputari mente nequeant, quin ineptum absurdumque videatur aut origines Virginis communi reliquorum conditioni subiicere, aut de intacta illarum puritate dubitare.

ARTICULUS V.

De iis quae ex libro Sapientiae ad Deiparam relata in veterum monimentis occurrunt: quae ex illis colligantur: quamque asserendae immaculati conceptus praerogativae opportunitatem praebeant.

769. Ex praeclaris hortamentis quibus sapientiae liber refertus est, illud haberi postremum non debet quo [1]) traditur, *quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Expendit hoc effatum Maximus taurinensis, et occasione ex eo sumpta de Virgine [2]) ait: « Unde ad incrementum et plenitudinem gratiae Virgini nostrae accessit, ut ingressurus eam Dei Filius et purgatam inveniret a reatu alieno, et immunem a proprio. In [3]) malevolam enim animam non poterat intrare Sapientia, nec habitare in corpore subdito peccatis. » Verum quam significat Maximus *purgationem a reatu alieno?* Illi scilicet geminam qua Virgo *immunis fuit a reatu proprio*. Fuit autem Virgo immunis a reatu proprio non illius iam contracti remissione, sed singu-

1) Sap. I. 4. ubi graece postremum incisum est, οὐδὲ κατοικήσει ἐν σώματι καταχρέῳ ἁμαρτίας, *neque habitabit in corpore quod peccato subditum est.*

2) Serm. in adventu Domini apud Muratorium Anecdot. T. III. pag. 223.

3) Sap. I. 4.

lari tutela qua cautum est ne eo umquam obligaretur. Simili igitur praeservantis gratiae tutela effectum est, ut ab alieno reatu purgata inveniretur. Quem si actu contraxisset, non utique *alienus* sed *proprius* iure quam qui optimo [1]) censeretur.

770. Idem sapientiae effatum expendit Fulbertus carnotensis, penes quem nonnulla occurrunt dignissima quae observentur. Principio [2]) namque de Virgine scribit, ipsam *inter cognatos peccatores speciosam veluti lilium inter spinas apparuisse;* tum [3]) *Mariae* nomen ita interpretatus ac si *stellam* significaret, pergit: « Quid ergo mysticum haec interpretatio gerat, per similitudinem ostendamus. Nautis quippe mare transeuntibus notare opus est stellam hanc longe a summo caeli cardine coruscantem, et ex respectu illius aestimare atque dirigere cursum suum ut portum destinatum apprehendere possint. Simili modo, fratres, oportet universos Christicolas inter fluctus huius seculi remigantes attendere maris stellam hanc, idest, Mariam, quae supremo rerum cardini Deo proxima est, et respectu exempli eius cursum vitae dirigere. Quod qui fecerit, non iactabitur vanae gloriae vento, nec frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur scyllea voragine voluptatum; sed prospere veniet ad portum quietis aeternae. » Ac postremo [4]) concludit: « Heic siquis interroget, quid ergo putas qualis olim in anima fuerit, vel nunc sit haec persona, quae sic omnibus sanctis spectanda atque imitanda proponitur? Veraciter respondemus, quia longe perfectior quam nostra oratione demonstrari possit. Tamen ne ibi nihil dicere arguamur, ubi maior affluit copia dicendorum, reservantes multa atque magna facundis, saltem pauca dicamus super hoc, et quae facile probentur audita. Hoc igitur inprimis adstruere fas est, quod anima ipsius et caro quam elegit et habitaculum sibi fecit Sapientia Dei Patris, ab omni malitia et immunditia purissima fuerunt, affirmante [5]) Scriptura, quoniam *in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Item e contra asserimus, quia nullo virtutum genere vacabat, cui plenitudinem gratia Dei nuntius asserebat inesse. » Iis ergo quae quum om-

1) Unde patres tridentini in decreto de peccato originali Sess. V. §. III. statuunt: « Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione non imitatione transfusum omnibus inest unicuique *proprium*, etc. »

2) Serm. de Virginis nativit. pag. 98. col. 2. C. apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VIII.

3) Ibidem pag. 98. col. 2. C-E.

4) Ibid. pag. 98. col. 2. D-E.

5) Sap. 1. 4.

nium fide tenerentur, vix audita facile probabantur, Fulbertus accenset I. *quod Virginis anima et caro ab omni malitia et immunditia purissima fuerit.* Caro autem Virginis pura *semper fuit,* nec umquam indiguit ut ab immunditia semel contracta purgaretur. Ergo et eiusdem anima semper pura fuit, nullamque labem recepit qua abluta niteret. Originalis autem culpa labes est, et ea quidem labes, quae universam inficiens naturam, corporis iuxta ac animi sanitatem violat, puritatemque deturpat. Virgo igitur ab eiusmodi labe immunis atque soluta existimanda est. Iisdem II. accenset, *quod Virgo nullo virtutum genere vacarit, utpote quae plenitudine gratiae ditata caelitus fuerit.* Iamvero ad plenitudinem gratiae liquido pertinet quum innocentia numquam laesa, tum puritas nullis umquam culpae tenebris infuscata. Non est autem cur adhibitis argumentis comprobemus, originali labe innocentiam laedi, puritatisque nitorem tenebrescere. Plenitudo igitur gratiae Virginis propria originalis culpae maculas non patitur. Tum III. accenset, *quod Virgo supremo rerum cardini Deo proxima sit; omnibus, licet sanctissimis, praecellat; neque minus a reliquo distet hominum genere, ac stella dux itineris ab iis secernitur omnibus qui inter fluctus huius seculi remigantes ad portum quietis aeternae contendunt.* Haec autem non ferunt, sive ut origo Virginis infecta, sive ut eius candor angelico minor videatur. Tandem IV. ubi caussam Fulbertus aperit tot decorum, quibus insignita Virgo resplendet, divinam eiusdem maternitatem proponit. Nullum vero excogitari ornamentum potest, quod aut hac dignitate sit potius, aut cum hac non iure consertum existimetur.

771. Quare Iohannes damascenus ad hoc alterum respiciens Sapientiae [1]) effatum, *iustorum autem animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis,* postquam, descriptis redemptionis beneficiis, interrogando [a]) petiit, *quaenam igitur immensorum bonorum istorum quae captum omnem et comprehensionem superant, officina fuit? Annon perpetua Virgo quae te in lucem edidit?* De

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. III. pag. 860. D. Τίς οὖν τῶν ἀπείρων τούτων ἀγαθῶν, τῶν ὑπὲρ πάντα νοῦν καὶ κατάληψιν, ἐργαστήριον γέγονεν; οὐχὶ ἡ σὲ τεκοῦσα ἀειπάρθενος;

1) Sap. III. 1. Graece postremum incisum sic habet: καὶ οὐ μὴ ἅψηται αὐτῶν βάσανος. Quare desideratur *mortis* nomen, quod item desideratur in apologia Luciferi pro Athanasio.

die assumptae Deiparae sermonem [a]) instituens pergit: « Videtis huiusce diei gratiam: videtis quam sublimis ac veneranda illa sit cuius nunc laudes celebrantur? Annon tremenda eius mysteria? Annon admirationis plena? Beati, qui vident quantum maxime decet. Beati qui intelligendi sensum sunt consequuti. Quales lucis fulgetrae praesentem noctem illustrant! Qualia angelorum satellitia matris illius ex qua vita orta est, obitum cohonestant! Qualia apostolorum Deo afflante proloquia corporis huius quod Deum suscepit, funus exornant! Quomodo Dei Verbum, quod pro sua miseratione illius effici filius dignatum est, dominicis manibus suis sanctissimae huic divinissimaeque utpote matri ministrans, sacrosanctam suscepit animam? » Quibus e vestigio [b]) subdit: « O probum legislatorem! Qui legi subiectus non est, legem implet quam ipse tulit. Siquidem ipse [1]) legem tulit, ut filii debitum officium parentibus tribuant: *honora*, inquit, *patrem tuum et matrem tuam*. Hoc autem verum esse cuivis perspicuum est, qui vel tantillum in divinis Scripturae oraculis eruditus sit. Nam si, ut litterae divinae [2]) ferunt, *iustorum animae in manu Dei sunt;* annon ipsa magis in Filii Deique sui manus animam commendavit? » Quae quidem et Deiparam prae omnibus Unigenito carissimam ostendunt, et illius cum Unigenito penitissimam coniunctionem aperiunt, ipsumque Unigenitum in eam obstrictum demonstraut.

772. Hinc Petrus Damiani de Virgine loquens [3]) orditur his

a) Ibid. pag. 860. D-E. Ὁρᾶτε τῆς παρούσης ἡμέρας τὴν χάριν· ὁρᾶτε τῆς νῦν εὐφημουμένης τὸ ὑψηλὸν καὶ σεβάσμιον; οὐ φρικώδη τὰ ταύτης μυστήρια, οὐ θαύματος γέμοντα; μακάριοι οἱ ὁρῶντες, ὡς ἰδεῖν πρεπωδέστατον· μακάριοι οἱ νοερὰν κτησάμενοι αἴσθησιν· οἷαι φωτὸς ἀστραπαὶ τὴν παροῦσαν νύκτα καταφαιδρύνουσαν· οἷαι ἀγγέλων δορυφορίαι τὴν τῆς ζωαρχικῆς μητρὸς καταγλαΐζουσι κοίμησιν· οἷαι ἀποστόλων θεηγορία τὴν κηδείαν τοῦ θεοδόχου σώματος μακαρίζουσι· πῶς ὁ τοῦ θεοῦ λόγος, ὁ ταύτης υἱὸς δι' εὐσπλαγχνίαν γενέσθαι καταδεξάμενος, δεσποτικαῖς παλάμαις τῇ παναγίᾳ ταύτῃ καὶ θειοτάτῃ οἷα μητρὶ λειτουργῶν, τὴν ἱερὰν ψυχὴν ὑποδέχεται;

b) Ibid. pagg. 860. E. et 861. A. Ὦ ἀγαθοῦ νομοθέτου· μὴ ὑποκείμενος νόμῳ, τὸν νόμον πληρῶν, ὃν αὐτὸς ἐνετείλατο· αὐτὸς γὰρ τοῖς γονεῦσι τὴν ὀφειλὴν τοὺς παῖδας νέμειν ἐθεσμοθέτησε· τίμα, φησὶ, τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα σου· ὅτι δὲ ἀληθὲς τοῦτο, παντί που δῆλον, τῷ κἂν μικρὸν γοῦν τῶν θείων τῆς ἁγίας γραφῆς μεταμεμυημένῳ λογίων· εἰ γὰρ, ὥς φησιν ἡ θεία γραφὴ, ψυχαὶ δικαίων ἐν χειρὶ κυρίου, οὐκ αὐτὴ μᾶλλον ταῖς χερσὶ τοῦ υἱοῦ καὶ θεοῦ αὐτῆς τὴν ψυχὴν παρατίθηται;

1) Ex. XX. 12.
2) Sap. III. 1.
3) Serm. XL. in Virginis assumpt. pagg. 397. col. 2. E. et 98. col. 1. A

Digitized by Google

verbis: « Attende autem diligentiam et consequentiam Scripturarum. Spiritus enim sanctus, in cuius fabrica tam veteris quam novi testamenti fuit compositio fabricata, ascensionem Filii et Matris assumptionem simili stilo perambulans, ter [1]) interrogat: *quis est iste?* Et tertio repetit, *quae est ista?* Primum de Filio, postea de Matre videamus. » Iis autem quae ad Filium pertinent expeditis, illico [2]) pergit: « Sed iam vertendus est stilus ad sanctam sanctarum, et illorum verborum enodanda proprietas, quae Virgini matri sunt specialiter dedicata. Sed uti superlimінarem titulum in fronte futuri aedificii proponamus, dicamus breviter quia prima interrogatio convenit eius nativitati, secunda eius conversationi, tertia assumptioni. *Quae est ista,* inquit [3]) Spiritus sanctus de eius nativitate, *quae progreditur sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Haec est [4]) *quae nescivit thorum in delicto,* Virgo Dei Filio singulariter consecrata, specialiter sancto coniugata Spiritui. » Et propterea quo intimius cum Deo coniuncta, eo longius a reliquo hominum genere separata, neque conversatione magis et assumptione, quam nativitate et origine quae fuit delicti nescia et prorsus apparuit candida ut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, et terribilis ut castrorum acies ordinata.

773. Quibus egregie suffragatur Guerricus abbas, ubi haec exponit [5]) Sapientiae verba: *o quam pulcra est casta generatio cum claritate!* Etenim traducta ad Deiparam [6]) invitatione, *veni electa mea, et ponam in te thronum meum*, scribit [7]): « Non poterat signantius aut elegantius describi praerogativa gloriae eius, quam ut thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animae tanta plenitudine aut familiaritate copia sui divina maiestas videtur indulgere, sicut illi in qua specialiter prae ceteris residere delegerit. Discipulis quidem Dominus loquebatur [8]), qui pauperes facti pauperem sequebantur: *in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes.* Alibi quoque [9])

1) Ps. XXIII. 8-10. coll. Cant. III. 6.
2) L. c. pag. 98. col. 1. D-E.
3) Cant. VI. 9.
4) Sap. III. 13.
5) Sap. IV. 1. Graece sic est, *κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς, melius est esse sine filiis cum virtute.* Supple ex praecedentibus, *quam tibi filios adulterio comparare.*
6) In Officio de virginibus.
7) Serm. I. in Virginis assumpt. pag. 1049. A-C. inter opp. Bernardi T. VI.
8) Matth. XIX. 28.
9) Apoc. III. 21.

Digitized by Google

promittit idem Agonotheta noster de caelo spectans et incitans decertantes: *qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi in throno Patris mei.* Matri vero cuius longe differens est meritum, nihilo minus differens promittit praemium. *Veni,* inquit, *electa mea, et ponam in te thronum meum.* Parum est, inquit, ut iudicanti consedeas, nisi et ipsa mihi sedes fias: ut maiestatem regnantis eo felicius quo familiarius in te contineas, et specialius prae ceteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti parvulum in gremio, continebis immensum in animo: fuisti diversorium peregrinantis, eris palatium regnantis: fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo, eris solium triumphantis in caelo: fuisti thalamus sponsi incarnati, eris thronus regis coronati. » Tum [1]) oratione ad Unigenitum directa subdit: « O Fili Dei, nihil tibi, nihil in illo tuo displicuit hospitio, quod tam libenter repetit, tamque affluenter remunerat tua dignatio. Nihil utique in illo sordidum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinosum, quia nulla erat superbia sed fundatissima humilitas: nihil obscurum, quia exclusa erat infidelitas: nihil angustum, quia diffusa erat caritas. Adornaverat thalamum Virgo prudentissima te regem Christum non solum hospitem susceptura, sed et sponsum habitura. Adornaverat, inquam, multiplici decore virtutum et gloria, tanto fortasse locupletius, quanto interius totum erat. Hunc ornatum mirabatur qui [2]) dicebat: *omnis gloria eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate.* Et [3]) alius: *o quam pulcra est casta generatio cum claritate!* Domum tuam decet, Domine, huiusmodi sanctitudo et decor. Is decor te invitavit ut intrares, illexit ut redires. Intrans benedictionis gratiam multiplicasti, sed rediens cumulasti. Cum intrasti, homo natus es in ea: cum rediisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiae, nunc autem thronum gloriae. » Quibus minime contentus [4]) addit: « Dicuntur quidem et sunt alii throni, quidam scilicet Spiritus divini prae aliis, ut putamus, subiectis ordinibus Dei praesidentis maiestate pleni: quorum quae sit praerogativa, Scriptura non exprimit, licet innuat ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed et anima cuiuslibet iusti dicitur sedes Sapientiae. Quae autem nunc est se-

1) L. c. n. 6. pag. 1049. C-E.
2) Ps. XLIV. 14.
3) Sap. IV. 1.
4) L. c. n. 7. pag. 1049. E-F.

Digitized by Google

des Sapientiae, profecto tunc erit et gloriae. Sit igitur illud caeli palatium plenum sedibus et thronis, sedeatque Deus in omnibus accommodans se et aptans cuique pro meritis. Non immerito tamen creditur sine iniuria vel invidia ceterarum sedium, quoddam esse speciale regis solium excelsum et elevatum super gloriam omnium, Mariam dico exaltatam super choros angelorum, ut nihil contempletur supra se Mater nisi Filium solum, nihil miretur supra se Regina nisi Regem solum, nihil veneretur supra se Mediatrix nostra nisi Mediatorem solum. » Quemadmodum igitur Virgo supra omnes splendet evecta creaturas, evecta speciali cum Deo coniunctione, evecta incredibili gratiae ubertate et evecta immenso pondere gloriae; ita una cum Filio proprium singularemque ordinem constituit. Ordinem nimirum constituit mediatoris et mediatricis, atque adeo ordinem cui nihil cum culpa potest esse commune.

774. Consentit Bernardus, qui prae oculis habens effatum [1]) Sapientiae, *incorruptio autem facit esse proximum Deo*, ubi gradus recenset per quos Maria ad Christum vitae fontem ascendit, ut ex eo instar aquaeductus salutares aquas ad nos usque diduceret, alterum gradum [2]) his verbis exponit: « Videsne quod et hoc nihilo minus modo aquaeductus noster ascendit ad fontem, nec sola iam oratione caelos penetrat, sed etiam incorruptione quae proximum Deo facit, sicut Sapiens [3]) ait? Erat enim Virgo sancta corpore et spiritu, cui specialiter esset [4]) dicere: *conversatio nostra in caelis est*. Sancta, inquam, corpore et spiritu, ne quid forsitan super hoc dubites aquaeductu. » Et esset profecto cur de praerogativa Virginis, qua mediatrix et aquaeductus creditur, ambigeretur, nisi ea animo iuxta ac corpore semper fuisset immaculata. Quare [5]) Hildephonsus ceteris Virginis laudibus quas longa oratione pertexit, has etiam adiicit: « Quod si anima iusti cuiuslibet sedes est Sapientiae, teste [6]) Scriptura: multo magis huius anima quam Spiritus sanctus sic implevit etiam ante conceptionis horam ut salutaretur ab Angelo. Ait [7]) enim: *ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Ad quam ita mox ingressus Filius Dei, qui

1) Sap. VI. 20. Graece, ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ θεοῦ.

2) Serm. de Virginis nativit. n. 9. pag. 1021. C-E. opp. T. III.

3) Sap. VI. 20.

4) Philipp. III. 20.

5) Serm. II. in Virginis assumpt. pag. 672. col. 1. B-E. apud Combefisium biblioth. concionat. Tom. VII.

6) Sap. VII.

7) Luc. I. 28

est virtus et sapientia Patris, sic replevit, sicque possedit ut in ea Verbum caro fieret: et habitavit totus Deus in homine. Et ideo totus in nobis, quia totus Deus in ea fuit: ac per hoc quem caeli et terra non capiunt, totum concepit Virgo de Spiritu sancto et peperit pro salute mundi Deum et hominem. Ideo cogitate cum omni integritate fidei, cogitate, inquam, animam huius Virginis, quia commercium tanti muneris non fide digne nec cogitare possumus. Quoniam haec est anima illa beata, per quam auctor vitae ingressus est mundum, per quam omnis maledictio soluta est priorum parentum, et caelestis benedictio in totum venit mundum. Haec est Virgo, in cuius utero omnis Ecclesia subarrhatur. Coniuncta Deo foedere sempiterno creditur. Post Christum qui caput est et Deus totius Ecclesiae, haec Virgo gloriosa refulget etiam super choros, ut cantatur, exaltata angelicos. »

775. Si ergo corpus, ex quo Verbum carnem suscepit, nullum umquam contraxit naevum, suumque semper servavit candorem, infectam ne aliquando suaque virginitate expoliatam eam animam arbitrabimur, *per quam auctor vitae ingressus est mundum, per quam omnis maledictio soluta est primorum parentum, et per quam caelestis benedictio in totum mundum venit?* Eam animam quae specialis fuit Sapientiae sedes, et quae Verbum antea concepit quam ipsum carne conciperetur? Nihil profecto minus: coniuncta namque cum Deo fuit *foedere sempiterno,* nihilque omnino habuit quod sibi suaeque originali innocentiae a serpentis viru pertimesceret. Egregie [1]) Fulbertus carnotensis: « Dixit Aeternus ad mulierem, Deus [2]) ad serpentem: *inimicitias ponam inter te et mulierem*, *et semen tuum et semen illius*. Quid est, fratres, in hoc loco caput serpentis conterere, nisi principalem diaboli suggestionem, idest, concupiscentiam resistendo superare? Si ergo quaeratur, quaenam mulier huiusmodi victoriam operatura sit; profecto non reperitur in linea generationis humanae donec perveniatur ad illam, de qua agitur, sanctarum sanctam. At si interrogatur, in quo serpentis caput vel ipsa contriverit? Nimirum in eo quod virginitatem simul et humilitatem Deo sacrificavit. Virginitate namque servata probatur extinxisse concupiscentiam carnis: humilitate, quae facit pauperem

1) Serm. de Virginis nativit. pag. 98. col. 1. B-E. apud Combefisium biblioth. concionat. T. VIII.

2) Gen. III. 15.

Digitized by Google

spiritu, concupiscentiam mentis. Sicque principali suggestione diaboli victa, vitiosum caput virtutis pede contrivit. Non tamen hoc solo, sed eo quam maxime triumphavit, quod de sua mundissima carne corporata Sapientia vicit usquequaque malitiam [1]) *attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter.* Haec est ergo mulier ad quam divinum illud intendebat oraculum, hanc quandoque nascituram innuebat, hanc singulariter intimabat. »

776. De hac autem [2]) Andreas cretensis ait: « Spiritus omnes interpretes de te futura cecinere. » Quod ut prolatis [3]) in medium oraculis confirmavit, illico [4]) pergit: « Tu tremendae dispensationis magnificum opus, in quod [5]) desiderant angeli prospicere. Tu elegantissimum Dei se nobis inclinantis domicilium, terra vere desiderabilis. Concupivit [6]) enim rex gloriam decoris tui, et [7]) amator factus est divitiarum virginitatis tuae; ac in te habitavit, estque [8]) moratus apud nos, ac per te nos [9]) Deo ac Patri reconciliavit. Tu thesaurus sacramenti a seculis absconditi. O divinum templum, ac mulier terrena! O nubes undequaque lucida! O aurum omne, omnemque rem in sensum cadentem ac spiritalem munditia vincentem! O virginalis terra, ex qua secundus Adam ac veteri antiquior prodiit! Tu enim es illa reipsa [10]) vere pulcra, et macula non est in te. » Quo et haec merito referuntur [a]) ex Coptorum monimentis: « Multa namque sunt encomia tua, o tu quae decorata fuisti omni honore, quod [11]) exstiteris Sapientiae habitatio. » Neque haec minus referuntur [12]) quae Petrum Damianum auctorem habent:

» Maria decus hominum,	» Septem columnis edita
» Regis aeterni solium,	» Domus a Sapientia.

a) Theoloch. pag. 125. tetrast. V.

Ⲥⲉⲟⲩϣ ⲅⲁⲣ ⲛ̀ϫⲉ ⲛⲉⲉⲩⲫⲱⲙⲓⲁ, ⲱ̀ ⲑⲏ ⲉⲧⲥⲉⲗⲥⲱⲗ ϧⲉⲛ ⲧⲁⲓⲟ̀ ⲛⲓⲃⲉⲛ, ϫⲉ ⲁⲣⲉϣⲱⲡⲓ ⲛ̀ⲟⲩⲙⲁⲛϣⲱⲡⲓ ⲛ̀ϯⲥⲟⲫⲓⲁ ⲛ̀ⲧⲉ ⲫϯ ⳾

1) Sap. VIII. 1. Graece, *διατείνει δὲ ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας εὐρώστως, καὶ διοικεῖ τὰ πάντα χρηστῶς.*

2) Serm. III. in Deiparae assumpt. pagg. 692. col. 2. E. et 692. col. 1. A-D. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII.

3) Ex. III. 2., Ps. XLIV. 13., CXXXI. 8, Cant. III. 6., VI. 8., Is. VII. 14, XI. 10., Ezech. XLIV. 1, Daniel. IX. 22.

4) L. c.

5) I. Petr. I. 12.

6) Ps. XLIV. 12.

7) Sap. VIII. 2. *καὶ ἐραστὴς ἐγενόμην τοῦ κάλλους αὐτῆς*, *et amator factus sum formae illius.*

8) Ioh. I. 14.

9) Ephes. III. 9.

10) Cant. IV. 7.

11) Sap. VII. 14-29.

12) Hymn. ad tertiam, pag. 10. col. 1. E. opp. T. IV.

CAPUT III.

De iis quae ex Psalmorum libro ad Deiparam suffragio maiorum relata occurrunt: splendidiora memorantur, et una cum illis veterum interpretationes proferuntur: cuiusmodi ex hisce prodeat Virginis effigies, quam pura, quam innocens et a quavis tam originali quam actuali labe alienissima.

777. De Psalmorum libro non id verissimum dumtaxat est quod habet [1]) Ambrosius, eo contineri *sermonem universorum et vocem Ecclesiae;* sed indubitatum pariter est quod [a]) Athanasius scite monet his verbis: « Omnis nostra Scriptura cum vetus tum nova divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut [2]) scriptum habetur. Attamen Psalmorum liber quaedam observatu digna habet iis, qui attendere voluerint. Quilibet enim liber suum quod praefert, argumentum tractat et prosequitur: verbi gratia Pentateuchus mundi originem, gesta patriarcharum, exitum Israelis ex Aegypto et Legis traditionem: Triteuchus, sortium distributionem, Iudicum acta, Davidis genealogiam: libri Regum et Paralipomenorum gesta regum: Esdras captivitatis solutionem, reditum populi, templi et urbis constructionem: Prophetae prophetias de adventu Salvatoris, de praeceptis servandis monita, praevaricantium reprehensiones, vaticinia de gentibus. At liber Psalmorum, omnium reliquorum fructus quasi insitos in se continens, cantus edit, et proprios insuper

a) Epist. ad Marcellinum in interpretationem Psalmorum §. II. Πᾶσα μὲν ἡ καθ' ἡμᾶς γραφὴ, παλαιά τε καὶ καινὴ, θεόπνευστός ἐστιν καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, ὡς γέγραπται· ἔχει δέ τινα πιθανὴν παρατήρησιν τοῖς προσέχουσιν ἡ τῶν ψαλμῶν βίβλος· ἑκάστη μὲν γὰρ βίβλος τὸ ἴδιον ἐπάγγελμα διακονεῖ καὶ ἀπαγγέλλει· οἷον ἡ Πεντάτευχος γένεσιν κόσμου καὶ τῶν πατριαρχῶν τὰς πράξεις, τήν τε ἀπ' Αἰγύπτου τοῦ Ἰσραὴλ ἔξοδον, καὶ τὴν τῆς νομοθεσίας διάταξιν· ἡ Τρίτευχος τὴν κληροδοσίαν, καὶ τῶν κριτῶν τὰς πράξεις, καὶ γενεαλογίαν τοῦ Δαβίδ· αἱ βασιλεῖαι καὶ Παραλειπόμεναι βασιλέων πράξεις· καὶ ὁ μὲν Ἔσδρας ἀπόλυσιν τῆς αἰχμαλωσίας καὶ ἐπάνοδον τοῦ λαοῦ καὶ οἰκοδομὴν τοῦ ναοῦ καὶ τῆς πόλεως· οἱ δὲ Προφῆται προφητείας περὶ τῆς ἐπιδημίας τοῦ Σωτῆρος, ὑπομνήσεις τε περὶ τῶν ἐντολῶν, καὶ μέμψεις κατὰ τῶν παραβαινόντων, καὶ προφητείας τοῖς ἔθνεσιν· ἡ δέ γε βίβλος τῶν ψαλμῶν, ὡς παράδεισος τὰ ἐν αὐτῇ φέρουσα μελῳδεῖ, καὶ τὰ ἴδια δὲ πάλιν μετ' αὐτῶν ψάλλουσα δείκνυσιν.

1) Praefat. in Psal. n. 9.

2) II. Tim. III. 16.

cum ipsis inter psallendum exhibet. » Talis vero quum sit Psalmorum ratio, fieri nullatenus potuit ut maiores nostri qui multa ex aliis Scripturarum libris decerpta ad Deiparam accommodarunt, non item plura ex Psalmis hausta eodem consilio eademque mente adhibuerint. Et adhibuerunt sane, quemadmodum ea quae certis comprehensa articulis subdimus liquido patefacient.

ARTICULUS I.

De Psalmo XLIV., eiusque nominatim commatibus 10-17: *describuntur, et ecclesiastica eorumdem ad Deiparam relatio comprobatur: quid cum hac sive relatione sive accommodatione consertum sit, quamque vindicandis immaculatis Deiparae primordiis conducat: succedunt maiorum enarrationes, atque ex illis ducta immaculati conceptus confirmatio.*

778. Concordem penes maiores nostros sententiam de psalmo XLIV. luculenter complexus est Beda, ubi enarrans illius titulum, *in finem, pro iis qui commutabuntur. Filiis Core, ad intellectum. Canticum* [1]) *pro dilecto,* scribit: « *In finem* Dominum Salvatorem designat. *Pro iis qui commutabuntur* de errore ad fidem, de gentilitate ad Ecclesiam, de certamine martyrii ad palmam victoriae, de tristitia seculi ad gaudium sempiternum. *Filiis Core, ad intellectum:* filiis Crucis; ad intelligendum spiritualiter psalmum: ne de Salomone interpretandum putes, quamvis et ipse [2]) *dilectus* sit appellatus. *Canticum pro dilecto,* pro Filio cui dicitur *hic est Filius meus dilectus.* Caelestibus epulis propheta saginatus praeconia se dominicae incarnationis eructare promittit, ut unde ipse satiatus fuerat, inde pascerentur et alii. Prima pars huius epithalamii Sponsi continet laudes, idest, Domini Salvatoris, quatuor modis. *Eructavit cor meum verbum bonum.* In secunda, simili mysticarum virtutum numero quatuor modis sponsa praedicatur Ecclesia. *Audi filia et vide,* et cetera. »

779. Enimvero hunc psalmum eo pertinere, ut Christi regis atque sponsi cum Ecclesia regina atque sponsa purissimum sempi-

1) Hebraice, שִׁיר יְדִידֹת, quae Aquila reddit ᾆσμα προσφιλίας, *carmen suavitatis.* Pressius, si plurale femininum יְדִידוֹת neutra significatione accipiatur, *carmen dilectorum*, sive rerum dilectarum, cuiusmodi profecto est Christi cum Ecclesia connubium.

2) II. Reg. XII. 25.

ternumque connubium praenuncietur, omnes testantur quotquot sive graeci sive latini illum explanarunt. Omnium instar sit [a]) Basilius qui sic habet: « De Ecclesia modo verba facit, de qua in cantico didicimus, quod una sit perfecta Christi columba, quae ad dexteram Christi partem rapit cos qui bonis operibus conspicui sunt, segregans illos a pravis, *sicut pastor* [1]) *segregat oves ab haedis.* » Neque mirum, quum et [2]) Iudaei idipsum existimarint, et Paulus in epistola ad Hebraeos [3]) controversiam omnem funditus diremerit. Iure ergo Antonius Agellius psalmorum cultissimus interpres [4]) ad haec tituli verba, *Canticum pro dilecto,* monuit: « Dilectus vere est ille Patris Unigenitus, ut ipse [5]) testatus est: *hic est filius meus dilectus,* in quem hic psalmus et hoc canticum dicitur. Quod adeo verum est, ut non modo nostrorum omnium et beati Pauli auctoritate nitatur, verum etiam inimicorum nominis Christi Iudaeorum confessione comprobetur. » Et iure de argumento psalmi [6]) agens scripsit: « Sacrum Christi et Ecclesiae connubium celebrat, ac primum Sponsi decorem, gratiam, fortitudinem, regias virtutes, regiam dignitatem, vestimentorum fragrantiam praedicat; tum Sponsae laudes persequitur, eamque monet ut parentum oblita soli Sponso dedita sit. » Hinc ipse quoque Carolus Rosenmüllerus [7]) rei perspicuitate victus adnotavit: « Optime omnia in hoc psalmo inter se congruere, si antiquiorum Hebraeorum sequuti sententiam, magni illius regis Messiae virtutes et laudes, simulque felicitatem olim futuram gentis prae ceteris omnibus ipsi dilectae, sibique tamquam sponsae coniunctae carmine hoc celebrari statuamus. Per totam enim posteriorem carminis partem regnat illa prophetis Hebraeorum tantopere adamata [8]) allegoria, qua Dei erga

a) Apud Corderium in exposit. pp. graec. in Ps. XLIV. 10. pag. 853. C-D. Περὶ τῆς ἐκκλησίας ἤδη διαλέγεται, περὶ ἧς ἐν τῷ ᾄσματι μεμαθήκαμεν, ὅτι μία ἐστὶ τελεία τοῦ Χριστοῦ περιστερά, ἥτις εἰς τὴν δεξιὰν χώραν τοῦ Χριστοῦ λαμβάνει τοὺς ἐπ' ἔργοις ἀγαθοῖς γνωριζομένους, διακρίνουσα ἀπὸ τῶν φαύλων, ὥσπερ ὁ ποιμὴν διακρίνει τοὺς ἄρνας ἀπὸ τῶν ἐρίφων.

1) Matth. XXV. 32.
2) Cf. chaldaeum interpretem ad v. 3.
3) Hebr. I. 8-9. coll. Ps. XLIV. 7-8.
4) Comm. in Ps. XLIV. pag. 201. col. 2. D.
5) Matth. III-XVII.
6) Ibid. pag. 201. col. 2. E.
7) Schol. in Ps. XLV. pag. 1012. Praeiverat I. H. Michaelis in adnotatt. uberioribus in Hagiogr. T. I. pag. 283.
8) De hac allegoria videsis Is. LIV. 5., LXII. 5., Ierem. III. 1. seqq., Ezech. XVI-XXIII., Matth. IX. 15., Ioh. III. 29., II. Cor. XI. 2., Ephes. V. 2., seqq. Apoc. XIX. 7., XXI. 2., XXII. 17. et Lowthum de sacra Hebr. poesi praelect. XXXI.

populum suum affectus amoris coniugalis imagine sistitur, et per varias partes et minutiora adiuncta saepe deducitur. In qua quidem allegoria deducenda et exornanda totum versatur *Canticum* quod dicitur *canticorum,* cuius idem ac nostri psalmi esse argumentum, apud sanos interpretes nulla est dubitatio. »

780. In hoc autem psalmo quae ad Ecclesiam nobilissimo *Sponsae, Filiae* atque *Reginae* schemate adumbratam referuntur, ista [1]) sunt: « Astitit [2]) regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Audi filia [3]) et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et [4]) concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum. Et filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis. Omnis gloria eius [5]) filiae regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. Adducentur regi [6]) virgines post eam, proximae eius afferentur tibi. Afferentur in laetitia et exultatione, adducentur [7]) in templum regis. » Quae Cardinalis Thomasius hac paraphrasi [8]) evidentius enarrat: « Tua coniux regina adstitit tibi proxima ad dexteram in vestitu aureo, circumamicta veste variegata, varioque omnis generis ornatu. Tu autem iunior filia, electa sponsa atque regina, audi verba Messiae regis et sponsi tui, et mentis oculis ea intuere, ac aurem tuam ad obediendum illi humiliter porrige: et adhaesura novo sponso, oblivi-

1) Ps. XLIV. 10-17.

2) Hebraice, נִצְּבָה שֵׁגַל לִימִינְךָ בְּכֶתֶם אוֹפִיר, *adstitit regina* (quae non alibi reperitur שֵׁגַל dicta, nisi Neh. II. 7., et in chaldaicis Danielis V. 2-3-23.) *dexterae tuae* (utpote loco honestiori, 1. Reg. II. 19.) *in auro ophiritico*, tota auro, aureisque ornamentis induta.

3) Ad rem in paraphrasi Chaldaeus, *audi, congregatio Israelis, legem oris eius.* In commentario patrum apud Corderium pag. 838. A. legimus: πῶς γὰρ ἡ νύμφη θυγάτηρ ἐστὶ τοῦ αὐτοῦ, πῶς δὲ ἡ θυγάτηρ νύμφη; ἐπὶ μὲν τῶν σωματικῶν οὐκ ἔνι, ἐπὶ δὲ τοῦ θεοῦ ἀμφότερα ἔνι· αὐτὸς γὰρ αὐτὴν καὶ ἀνεγέννησε διὰ τοῦ βαπτίσματος, αὐτὸς δὲ ἡρμόσατο. *Quomodo enim sponsa filia sit eiusdem, et quomodo filia sponsa? In rebus quidem corporeis hoc fieri non potest, in Deo autem utrumque locum habet. Siquidem ipse illam et per baptismum genuit, et sibi desponsavit.* Simillima dabit Theodoritus.

4) Hebraice, וְיִתְאָו הַמֶּלֶךְ יָפְיֵךְ כִּי־הוּא אֲדֹנַיִךְ וְהִשְׁתַּחֲוִי־לוֹ׃ *Et* (significatione rationali, *sic enim*) *concupiscet rex pulcritudinem tuam, ipse enim* (est) *dominus tuus, et* (tu) *adorabis eum.*

5) Hebraice, כָּל־כְּבוּדָּה בַת־מֶלֶךְ פְּנִימָה מִמִּשְׁבְּצוֹת זָהָב לְבוּשָׁהּ׃ *Totus splendor* (eadem forma ac Ps. XXXIX. 6. *tota vanitas*) *filia regis intrinsecus* (in interiore regia regio sanguine creta), *ex ocellatis auri vestimentum eius*, idest, vestis eius auro intertexta.

6) Hebraice, לִרְקָמוֹת תּוּבַל לַמֶּלֶךְ בְּתוּלוֹת אַחֲרֶיהָ רֵעוֹתֶיהָ מוּבָאוֹת לָךְ׃ *Vestibus acu pictis adducetur regi, virgines post eam, sociae eius, adducentur tibi.*

7) Hebraice, תְּבֹאֶינָה בְּהֵיכַל מֶלֶךְ *Introducentur in palatium regis.*

8) In Psalterio perpetua interpretatione ornato, pagg. 164-165. opp. T. III.

scere idololatriae morumque pravorum veteris populi tui, ac paternae domus tuae: et si hoc feceris, diliget Rex sponsus tuus pulcritudinem tuam: obliviscere ergo maiorum tuorum, et ausculta tuo sponso, quia ipse est Dominus Deus tuus, et quem adorabunt, allatis muneribus, et filiae quoque alienigenae, ut sunt mulieres tyriae. Propter quem sponsum tuum tibi quoque supplicabunt venerabundi ditissimi quique populorum ac principes. Universa praecipue gloria eiusdem sponsae filiae regis intrinsecus est: quae sponsa extrinsecus quoque limbis et fasciis est aureis circumamicta et variegata. Adducentur ad te Regem sponsum virgines aliae post sponsam eam tuam: eiusque propinquae et amicae adducentur ad te, adducentur, inquam, ad te cum laetitia et exsultatione, ducenturque in templum usque ad thalamum tuum, o sponse Rex. »

781. His porro quemadmodum Ecclesia omnibus praefertur, et nobilissimis *Sponsae, Filiae* atque *Reginae* nominibus insignitur; ita illius decus atque venustas summopere extolluntur, eiusque cum Sponso atque Rege coniunctio perpetua nec umquam dirimenda praenunciatur. Quare in commentario patrum [a]) apud Corderium legimus: « Alius pro *adstitit,* legit *stabilita est,* idest firmiter et immobiliter stetit. Nam [1]) *portae inferi non praevalebunt adversus eam.* » Et ipsa est [b]) *columna et firmamentum veritatis,* et ad ipsam [c]) haec spectant: « Nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. » Quid iamvero putabimus, si haec ipsa ad Deiparam traducta solemniterque accommodata invenerimus? Putabimus videlicet Ecclesiae atque Deiparae dotes sibi invicem esse simillimas: simillimam esse utriusque originem: simillimam utriusque cum Christo sponso atque rege coniunctionem: simillimam speciem et venustatem, ac simillimam dignitatem et praestantiam. Atqui I. origo Ecclesiae pura est atque sancta, ea namque concepta primum fuit atque in lucem edita la-

a) Exposit. pp. graec. in Ps. XLIV. 10. pag. 837. B. Ἄλλος ἀντὶ τοῦ παρέστη, φησὶν ἐστηλώθη, τουτέστι βεβαίως ἔστη, ἀμετακινήτως· καὶ γὰρ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς.

b) I. Tim. III. 15. Στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.

c) Ephes. V. 29. Οὐδεὶς γάρ ποτε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐμίσησεν, ἀλλ' ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτὴν, καθὼς καὶ ὁ κύριος (Χριστὸς) τὴν ἐκκλησίαν.

1) Matth. XVI. 18.

Digitized by Google

vacro regenerationis. Hinc Pauli [a]) verba: « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. » Atque hinc praeclarissima [1]) in Actis formula, ἐβαπτίσθησαν καὶ προσετέθησαν, *baptizati sunt et appositi sunt* Ecclesiae. Ad haec II. Ecclesiae cum Christo coniunctio perpetua est neque solutioni obnoxia: de ea namque legimus [2]), *et portae inferi non praevalebunt adversus eam;* et [b]) rursum, *erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Praetcrea III. Ecclesiae species atque venustas eiusmodi est, quae in sui amorem ipsum rapiat caelestem regem: *et concupiscet rex decorem tuum. Viri* [c]) *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Tandem IV. summa Ecclesiae dignitas atque excellentia iis praeclare titulis effertur, quibus et *Sponsa et Filia et Regina* salutatur. Haud aliter ergo Deiparae origo habenda erit pura atque sancta, eius cum Christo coniunctio perpetua nec umquam abrupta, species et venustas inter res creatas omnes maxima, dignitas vero et excellentia talis, quae *Filiae, Sponsae* atque *Reginae* nominibus proportione respondeat.

782. Ceterum haec consequutionum series, alioqui firmissima, *ex conditione* pendet a nobis quidem sumpta sed minime demonstrata, quaeque tamen nisi sibi valide constet, totum labatur superexstructum aedificium necesse est. Conditio vero qua de loquimur, huc recidit: *publico solemnique usu transferri ad Deiparam consuevisse quae in psalmo quadragesimoquarto ad Ecclesiam proxime pertinent.* Sed enimvero nihil eiusmodi conditione manifestius, nihil exploratius, et nihil quod graviori auctoritate confirmetur. Ea namque

a) Ephes. V. 25-28. Ὁ Χριστὸς ἠγάπησε τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἑαυτὸν παρέδωκεν ὑπὲρ αὐτῆς, ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ· καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι (apud Vulgatum additur, *vitae*), ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον τὴν ἐκκλησίαν, μὴ ἔχουσαν σπῖλον ἢ ῥυτίδα ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα, ἦ ἁγία καὶ ἄμωμος.

b) Ephes. V. 31-32. Ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν· τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν· ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν.

c) Ephes. V. 25. Οἱ ἄνδρες ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς ἠγάπησε τὴν ἐκκλησίαν.

1) Act. 1. 41. 2) Matth. XVI. 18.

Digitized by Google

accommodatio confirmatur hinc quidem *receptis vulgatisque in Ecclesia Officiis, quibus Deipara colitur*, inde vero *gradualibus, introitu, aliisque precibus quae in Missis ad celebrandam Deiparam institutis usurpantur*. In his enim tum [1]) Officiis quum [2]) Missis verba psalmi quae proxime in Ecclesiam quadrant, ad Virginem eiusque efferendas dotes constantissime transferuntur. Testimonia quae id ostendunt, neque evidentiora esse possunt, neque ad gignendam fidem assensionemque creandam opportuniora. Conditio igitur quae nos habebat solicitos, indubia est, atque indubiae idcirco sunt consequutiones quibus *origo Virginis sancta, illius cum Christo societas perpetua, decus maximum et dignitas summa* comprobantur.

783. Video tamen ac probe intelligo his omnibus non minimum firmitatis atque luminis addi posse, si in medium promantur quae huc spectantia in maiorum commentariis, Ecclesiaeque monimentis continentur. In his autem praeter [a]) alia reperimus quae [3]) subdimus: « Propheta David per te Numinis progenitor factus, dulci cantu ad eum qui fecit tibi magna hunc in modum vaticinatus exclamavit: adstitit [4]) Regina a dextris tuis. Te enim matrem vitae conciliatricem demonstravit Deus, qui ex te sine patre humanam induere naturam selegit, ut suam ipsius imaginem passionibus depravatam refingeret, et ovem quam errantem [5]) et in montibus deperditam invenit humeris susceptam ad Patrem reduceret, suoque nutu cum

a) Men. die XXVII. Ianuarii pag. 199. col. 2. A. ad Vesperas, auctore *Cosma*. Ὁ διὰ σὲ θεοπάτωρ προφήτης Δαυὶδ μελῳδικῶς περὶ σοῦ προανεφώνησε τῷ μεγαλεῖά σοι ποιήσαντι· παρέστη ἡ βασίλισσα ἐκ δεξιῶν σου· σὲ γὰρ μητέρα πρόξενον ζωῆς ἀνέδειξεν ὁ ἀπάτωρ ἐκ σοῦ ἐνανθρωπῆσαι εὐδοκήσας Θεός, ἵνα τὴν ἑαυτοῦ ἀναπλάσῃ εἰκόνα φθαρεῖσαν τοῖς πάθεσι· καὶ τὸ πλανηθὲν ὀρειάλωτον εὑρὼν πρόβατον τοῖς ὤμοις ἀναλαβὼν τῷ πατρὶ προσαγάγῃ· καὶ τῷ ἰδίῳ θελήματι ταῖς οὐρανίαις συνάψῃ δυνάμεσι· καὶ σώσῃ, Θεοτόκε, τὸν κόσμον Χριστὸς ὁ ἔχων τὸ μέγα καὶ πλούσιον ἔλεος.

1) Videsis Officium rom. de festis beatae Mariae virginis per annum, et Officium quo eiusdem assumptio celebratur. In hoc Officio ipsi etiam Graeci, uti liquet tam ex Menaeis die XV. Augusti pag. 82. col. 2. B, quam ex Anthologio pag. 527. col. 2. C., ad laudes Virginis psalmum quadragesimum quartum accommodant.

2) Confer utrumque missale, romanum et Mozarabum, tuisque oculis usurpabis in Missis Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Visitationis, Assumptionis et votivis psalmum quadragesimumquartum constantissime adhiberi.

3) Antholog. die XV. Augusti ad vesperas pag. 525. col. 1. C. Νύμφη ἡ τοῦ Θεοῦ, βασίλισσα παρθένος, τῶν ἐκλεκτῶν ἡ δόξα, καύχημα τῶν παρθένων, πρὸς τὸν υἱὸν μεθίσταται. *Sponsa Dei, regina virgo, electorum gloria, virginum corona ad Filium transfertur.*

4) Ps. XLIV. 10.

5) Luc. XV. 14.

Digitized by Google

supernis Virtutibus copularet, et mundum, o Dei genitrix, servaret Christus cui magna et dives est misericordia. » Tum haec reperimus quae [a]) Theophani debentur: « Davidicum carmen hodie populi cantemus Christo Deo: *adducentur* [1]) *regi virgines post eam, adducentur in laetitia et exsultatione*. Illa enim ex Davidis semine, per quam divinae naturae consortes evasimus, in Filii sui et Domini manibus gloriose et supra quam capi animo possit transfertur. Hanc ut Dei matrem celebrantes clamamus atque dicimus: nos qui te Deiparam confitemur, serva ab omni adversitate, animasque nostras ex periculis redime. » Atque haec rursum quae [b]) Basilio hymnographo in acceptis referimus: « Tibi concinens David exclamavit, te vocans filiam regis, te videns pulcritudine virtutum ornatam a dextris Dei stantem; unde vaticinans cecinit, vere superior omnibus exsistis, o innocens Virgo. » Neque omittenda sunt quae ex Gregorio thessalonicensi Graecorum schismati addicto refert Nicodemus, ut Iohannis damasceni troparion ex ode prima in Virginis dormitionem explanet. Damasceni [c]) troparion sic habet: « Digne te tamquam animatum caelum susceperunt caelestia divina tabernacula, o innocentissima, et adstitisti splendide decora, ceu sponsa cuiusvis funditus inscia labis, regi et Deo. » Gregorius vero thessalonicensis [d])

a) Antholog. die XV. Augusti ad Vesperas pag. 526. col. 2. E. Δαυϊτικὴν ᾠδὴν σήμερον λαοὶ ᾄσωμεν Χριστῷ τῷ θεῷ· ἀπενεχθήσονταί, φησι, τῷ βασιλεῖ παρθένοι ὀπίσω αὐτῆς ἀπενεχθήσονται ἐν εὐφροσύνῃ καὶ ἀγαλλιάσει· ἡ γὰρ ἐκ σπέρματος Δαυὶδ, δι' ἧς ἡμεῖς ἐθεώθημεν, ἐν ταῖς χερσὶ τοῦ ἑαυτῆς υἱοῦ καὶ δεσπότου, ἐνδόξως καὶ ὑπὲρ λόγον μετατίθεται· ἣν, ὡς μητέρα θεοῦ ἀνυμνοῦντας βοῶμεν καὶ λέγομεν· σῶσον ἡμᾶς τοὺς ὁμολογοῦντάς σε θεοτόκον ἀπὸ περιστάσεως, καὶ λύτρωσαι κινδύνων τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

b) Men. die XXI. Novembris Ode θ'. pag. 160. col. 1. B. Μελῳδῶν σοι προεκελάδει Δαυὶδ λαλῶν σε θυγατέρα βασιλέως, κάλλει ἀρετῶν ἐκ δεξιῶν περισταμένην, ἰδὼν τοῦ θεοῦ πεποικιλμένην σε· ὅθεν προφητεύων ἐβόα· ὄντως ἀνωτέρα πάντων ὑπάρχεις, παρθένε ἁγνή.

c) Apud Nicodemum in Heortodromio pag. 680. A. Ἀξίως ὡς ἔμψυχόν σε οὐρανὸν ὑπεδέξαντο οὐράνια, πάναγνε, θεῖα σκηνώματα, καὶ παρέστηκας φαιδρῶς ὡραϊσμένη, ὡς νύμφη πανάμωμος, τῷ βασιλεῖ καὶ θεῷ.

d) Ibid. pag. 680. B-C. Μόνη πασῶν αὕτη, μήτηρ μὲν ἐκ φύσεως ὑπὲρ πᾶσαν φύσιν ἀναπέφηνε θεοῦ, βασιλὶς δὲ παντὸς ἐγκοσμίου καὶ ὑπερκοσμίου κτίσματος ὑπῆρξε τῷ ἀφράστῳ τόκῳ· καὶ οὕτω τοὺς ὑφ' ἑαυτὴν δι' ἑαυτῆς ὑψώσασα, καὶ τὸ ἐπὶ γῆς ὑπήκοον

1) Ps. XLIV. 15-16. Adductis similia aut etiam gemina habentur in Octoecho pag. 99. col. 1. A., in Paraclit. pag. 251. col. 1. E., et in Men. die 1. Septembris Ode θ'. pag. 12. col. 2. B. et die XI. Ode η'. pag. 82. col. 1. E.

scribit: « Haec sola prae omnibus Dei quidem mater ex natura super universam naturam apparuit, regina vero universae creaturae mundanae et supermundanae propter ineffabilem partum exstitit. Atque hoc pacto se inferiores per semetipsam exaltans, et quod in terra subditum ac terrenum erat caeleste reddens beati generis beatissima regina adstitit, nunc etiam caelum habens dignum habitaculum, veluti convenientem sibi regiam, in quod hodie e terra translata est et a dextris collocata summi regis in vestitu deaurato circumdata, variegata, quemadmodum propheta psaltes de ea cecinit. Vestitum autem deauratum intellige eiusdem corpus divine splendidum et omnigenis instructum virtutibus. » Et [a]) mox: « De summorum quidem angelorum taxiarchia Isaias [1]) scribit: *et Seraphim steterunt circa eum;* de ipsa *(Deipara)* vero David [2]) dixit: *adstitit regina a dextris tuis.* Cernitis stationis discrimen? Ex hoc integrum vobis est discrimen quoque ordinis colligere secundum dignitatem. Circa Deum quidem adstant seraphim, sed illi ipsi propinqua adstat sola universorum regina; neque modo illi propinqua adstat, sed omnino a dextris. Bene habet. Ubi enim Christus in caelis sedet, in dextera videlicet maiestatis; ibi ipsa quoque e terris nunc in caelos

οὐράνιον ἀντ' ἐπιγείου ἀποδείξασα, μακαρίου γένους μακαριωτάτη βασιλὶς ἐφέστηκε, νῦν καὶ τὸν οὐρανὸν ἔχουσα πρέπον οἰκητήριον, ὡς αὐτῇ προσῆκον βασίλειον, εἰς ὃν ἀπὸ τῆς γῆς· μετανέστη σήμερον, καὶ ἐκ δεξιῶν παρέστη τοῦ παμβασιλέως, ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ περιβεβλημένη, πεποικιλμένη, κατὰ τὸ εἰρημένον τῷ ψαλμῳδῷ προφήτῃ περὶ αὐτῆς· ἱματισμὸν δὲ διάχρυσον νοήσεις τὸ θεαυγὲς ἐκείνης σῶμα, πεποικιλμένον ταῖς παντοδαπαῖς ἀρεταῖς.

a) Ibid. pag. 680. D-E. Περὶ μὲν τῆς τῶν ἀνωτάτω ἀγγέλων ταξιαρχίας ὁ Ἡσαΐας γράφει· καὶ Σεραφὶμ εἱστήκεισαν κύκλῳ αὐτοῦ· περὶ αὐτῆς δὲ εἶπεν ὁ Δαβίδ· παρέστη ἡ βασίλισσα ἐκ δεξιῶν σου. Ὁρᾶτε τὴν διαφορὰν τῆς στάσεως; ἀπὸ ταύτης ἔχετε συνορᾷν καὶ τὴν διαφορὰν τῆς κατὰ τὴν ἀξίαν τάξεως· περὶ μὲν γὰρ τὸν Θεὸν, τὰ Σεραφὶμ, πλησίον δὲ παρ' αὐτὸν ἐκεῖνον, μόνη ἡ παμβασιλίς· οὐ πλησίον δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκ δεξιῶν· εἰκότως· ὅπου γὰρ ὁ Χριστὸς ἐν οὐρανοῖς ἐκάθισεν, ἐν δεξιᾷ δηλονότι τῆς μεγαλωσύνης, ἐκεῖ καὶ αὕτη νῦν ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναβᾶσα, ἕστηκεν· οὐ μόνον ὅτι ποθεῖ καὶ ἀντιποθεῖται πάντων μάλιστα, καὶ αὐτοῖς τοῖς φυσικοῖς θεσμοῖς, ἀλλ' ὅτι καὶ θρόνος ἐστὶν ὡς ἀληθῶς αὐτοῦ· ὅπου δὲ κάθηται ὁ βασιλεὺς, ἐκεῖ καὶ ὁ θρόνος ἵσταται· τοῦτον τὸν θρόνον καὶ ὁ Ἡσαΐας μεταξὺ ἐκείνου τοῦ σεραφικοῦ χοροῦ καὶ ἔβλεπε καὶ ἔλεγεν ὑψηλὸν καὶ ἐπηρμένον, τὸν τὰς οὐρανίους δυνάμεις ὑπεραναβεβηκότα θρόνον, τὴν θεομήτορα δηλῶν· διὸ καὶ Ἰεζεκιὴλ αὐτοὺς εἰσάγει τοὺς ἀγγέλους ἀπὸ ταύτης τὸν θεὸν δοξάζοντας καὶ λέγοντας· εὐλογημένη ἡ δόξα κυρίου ἐκ τοῦ τόπου αὐτοῦ.

1) Is. VI. 2. 2) Ps. XLIV. 10.

Digitized by Google

translata consistit: non solum quod amat et prae omnibus impensissime amatur, ipsisque naturae legibus; sed etiam quod illius vere est thronus. Ubi autem rex sedet, ibi quoque thronus adest. Hunc thronum, Dei nempe matrem, Isaias quoque medium inter seraphicum illum chorum et vidit et dixit sublimem et exaltatum, atque omnino thronum caelestes Virtutes supergredientem. Quare ipse etiam Ezechiel [1]) eosdem inducit angelos propter Dei matrem Deum laudantes et dicentes, *benedicta gloria Domini a loco suo.* »

784. Itaque verba psalmi ad Deiparam ita referuntur, ut I. ea salutetur *innocentissima, a quavis soluta labe peccati, electorum gloria, Dei sponsa, universaeque creaturae visibilis atque invisibilis regina*. Ut II. illi tribuatur, *quod prae omnibus Deum amet, et ipsa a Deo vicissim impensius ametur*. Ut III. inter illius praerogativas numeretur, *quod sit vitae conciliatrix, caussa renovatae hominum naturae, medium reductae ovis quae perierat, et instrumentum per quod in divinae naturae consortium provecti sumus*. Ut IV. *non aliter repraesentetur ac cum Christo rege atque sponso penitissime coniuncta; coniuncta in oeconomia reparationis, in qua et ipsa mediatrix est; et coniuncta in statu glorificationis, in quo regina a dextris regis collocata dominatur*. Ut V. affirmetur, *ex ipsa una cum Filio novum quemdam singularemque prodire ordinem tum gratiae, tum gloriae: novum ordinem gratiae, utpote ordinem mediatoris et mediatricis: ac novum ordinem gloriae, utpote ordinem regis atque reginae*. Ut tandem VI. illius decora atque ornamenta *ex naturae prope legibus tributa* spectentur, eoque ex sese pertinentia *ut in illis supremus divinae gloriae apex per creaturas manifestatus* enitescat. Iamvero vix quidquam horum est, quod cum immunitate a peccato originali non intime iunctum sit atque consertum.

785. Quae arctissima coniunctio haud paullo apparebit evidentior, si patres scriptoresque ecclesiastici adeantur, e quorum numero primus occurrit senex ille cuius [2]) in epistola ad Marcellinum Athanasius meminit, quique materiem ordinemque Psalmorum enarrans, inter cetera de Davide [a]) monuit: « Quin et Christum ipsum ven-

a) Ibid. §. VI. Καὶ Χριστὸν δὲ αὐτὸν ἐρχόμενον οὐκ ἠγνόησεν, ἀλλὰ καὶ μάλιστα περὶ τούτου λέγει ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ τετάρτῳ ψαλμῷ· καὶ ἵνα μὴ κατὰ φαντασίαν τις

1) Ezech. III. 12.

2) Epist. ad Marcellin. in interpret. Psalm. §. 1.

turum minime ignoravit; imo ea de re mentionem facit [1]) psalmo quadragesimoquarto. Et ne quis eum secundum phantasiam venisse arbitretur, significat eum ipsum hominem futurum, illumque esse per quem omnia facta sunt, cum dicit [2]) in psalmo octogesimosexto: *mater Sion dicet, homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Hoc enim perinde est [3]) ac si diceret: *et Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, et Verbum caro factum est.* Quare cum ex Virgine nasciturum sciret, nequaquam id siluit, sed statim huius rei indicium dedit in [4]) quadragesimoquarto: *audi filia et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui, quia concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus tuus.* Hoc quippe simile est huic [5]) Gabrielis dicto: *ave gratia plena, Dominus tecum.* Nam ubi eum Christum dixisset, humanam statim generationem ex Virgine factam declaravit verbis, *audi filia.* Et Gabriel quidem ex nomine *Mariam* appellat, quod genere ab illa alienus esset; at David ipsam ex suo semine oriundam *filiam* merito vocat. » Res igitur est neque mediae neque infimae aetatis, sed omnino vetustissimae, quod psalmus quadragesimusquartus ad Deiparam referatur, ex eoque verba petantur quibus eius dignitas atque singularis praestantia declaretur.

786. Cuiusmodi vero censeri ipsa debeat, eiusdem occasione psalmi, praeter [6]) vulgatum neocaesariensem Gregorium haud obscure significat [a]) pseudo-Athanasius qui primum de Christo ait: «Cum

ἔρχεσθαι αὐτὸν νομίσῃ, σημαίνει αὐτὸν ἄνθρωπον γενησόμενον, καὶ τοῦτον εἶναι δι' οὗ τὰ πάντα γέγονεν, λέγων ἐν τῷ ὀγδοηκοστῷ ἕκτῳ· μήτηρ Σιὼν ἐρεῖ· ἄνθρωπος καὶ ἄνθρωπος ἐγεννήθη ἐν αὐτῇ, καὶ αὐτὸς ἐθεμελίωσεν αὐτὴν ὁ ὕψιστος· τοῦτο γὰρ ἴσον ἐστὶν τῷ εἰπεῖν· καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος· πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο· διὰ τοῦτο καὶ τὸ ἐκ παρθένου γινώσκων, οὐκ ἐσιώπησεν, ἀλλ' εὐθὺς ἔμφασίν τινα δίδωσιν ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ τετάρτῳ ψαλμῷ, λέγων· ἄκουσον θύγατερ, καὶ ἴδε, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου, καὶ ἐπιλάθου τοῦ λαοῦ σου καὶ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου· τοῦτο γὰρ πάλιν ὅμοιόν ἐστιν τοῦ λεγομένου παρὰ τοῦ Γαβριήλ· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· καὶ γὰρ εἰρηκὼς αὐτὸν Χριστὸν, εὐθὺς καὶ τὴν ἀνθρωπίνην γένεσιν ἐκ τῆς παρθένου ἐδήλωσεν, λέγων· ἄκουσον θύγατερ· ἴδε ὁ μὲν Γαβριὴλ ἐξ ὀνόματος καλεῖ Μαρίαν, ξένος ὢν αὐτῆς κατὰ τὴν γένεσιν· ὁ δὲ Δαβὶδ ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ τυγχάνουσαν αὐτὴν εἰκότως θυγατέρα προσφωνεῖ ταύτην.

a) Orat. in Deiparae annuntiat. n. 13. pag. 400. D. inter opp. Athanasii T. II. Εἰ γὰρ

1) Ps. XLIV. 7-8.
2) Ps. LXXXVI. 5.
3) Ioh. I. 1-2-14.
4) Ps. XLIV. 11-12.
5) Luc. I. 28.
6) Orat. I. in Virginis annuntiat. pag. 13. D.

Digitized by Google

enim natus ex Virgine omnia compleverit quae spectant ad oeconomiam mortis et crucis, et post resurrectionem [1]) dixerit: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra:* iam inde regnavit, et Christianorum rex praedicatur, quemadmodum initio precum mutuo compellantes clamare solent: *venite adoremus et procidamus coram Christo rege nostro.* Et venturus in magno et illustri secundo adventu suo ipse manebit rex in secula, et regni eius non erit finis. Siquidem is ipse qui ex Virgine natus est, rex est et ipse Dominus Deus. Eiusque gratia quae ipsum genuit, regina, domina et Deipara proprie ac vere praedicatur. » Tum [a]) pergit: « Atque hinc decet, nos eam et ex ea genitum carniferum Filium respicientes [2]) dicere: nunc *adstitit a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta, circumdata varietate.* Ut enim femina, regina est atque domina et mater Dei: iamque ut regina adstans a dextris omnium Regis filii sui, in vestitu deaurato incorruptionis et immortalitatis, circumamicta, varietate circumdata sacris verbis celebratur; non quidem secundum simplicitatem spiritalem et quasi

γεννηθεὶς ἐκ τῆς παρθένου, καὶ πάντα τελέσας τὰ κατὰ τὴν οἰκονομίαν τοῦ θανάτου καὶ τοῦ σταυροῦ, ἀναστάς φησιν· ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς· ἤδη ἐκεῖθεν ἐβασίλευσε καὶ ἀνακηρύττεται Χριστιανῶν βασιλεύς· ὡς καὶ κατ' ἀρχὰς τῶν εὐχῶν συγκαλούμενοι ἀλλήλοις, ἀνακράζουσι λέγοντες· δεῦτε, προσκυνήσωμεν, καὶ προσπέσωμεν αὐτῷ Χριστῷ τῷ βασιλεῖ ἡμῶν· καὶ ἐρχόμενος κατὰ τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ αὐτοῦ δευτέραν παρουσίαν, αὐτὸς μένει βασιλεὺς εἰς τοὺς αἰῶνας, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος· καὶ ἐπεὶ αὐτὸς βασιλεύς ἐστιν ὁ ἐκ τῆς παρθένου γεννηθεὶς, καὶ αὐτὸς κύριος ὁ θεός· δι' αὐτὸν καὶ ἡ τεκοῦσα αὐτὸν, βασίλισσα καὶ κυρία καὶ θεοτόκος, κυρίως καὶ ἀληθῶς δογματίζεται.

a) Ibid. n. 14. pag. 400. E-F. Καὶ ἐφαρμόζεται κἀντεῦθεν λέγειν ὃς πρὸς αὐτὴν ἀφορῶντας ἡμᾶς, καὶ πρὸς αὐτὸν τὸν ἐξ αὐτῆς τεχθέντα σαρκοφόρον υἱὸν αὐτῆς· νῦν παρέστη ἐκ δεξιῶν σου ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ, περιβεβλημένη, πεποικιλμένη· καὶ γὰρ καθὰ γυνὴ ἐχρημάτισεν ἡ βασίλισσα, καὶ κυρία, καὶ μήτηρ τοῦ θεοῦ, κατὰ τὸ γυναικεῖον αὐτῆς σχῆμα, καὶ νῦν ὡς βασίλισσα παρισταμένη ἐκ δεξιῶν τοῦ παμβασιλέως υἱοῦ αὐτῆς, ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ τῆς ἀφθαρσίας, περιβεβλημένη, πεποικιλμένη ἱερολογεῖται, ἀνθ' ὧν μηδὲ καθ' ἁπλότητα πνευματικὴν, καὶ οἷον ἄσαρκον καὶ ἀσώματον παρίσταται, ἀλλὰ περιβεβλημένη μὲν κατὰ τὴν παναγιστάτην αὐτῆς σάρκα, τὴν ἀφθαρσίαν καὶ ἀθανασίαν, καὶ πεποικιλμένη κατὰ τὰ ἐπερείδοντα αὐτῆς τὴν σάρκα παναγιώτατα ὀστᾶ· καὶ γὰρ καὶ ἐκ τῶν σαρκῶν αὐτῆς, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτῆς, ὡς ἐκ τοῦ πάλαι Ἀδὰμ, ὁ νέος Ἀδὰμ, κατ' ἀντὶ πρόσωπον πλάσας ἑαυτῷ τὴν ὡς πλευρὰν σάρκωσιν, φέρει αὐτὴν εἰς τὸ διηνεκές· καὶ ἐντεῦθεν ἡ νέα Εὔα, μήτηρ τῆς ζωῆς ὀνομαζομένη, μένει περιβεβλημένη, πεποικιλμένη, εἰς ἀπαρχὴν ζωῆς ἀθανάτου πάντων τῶν ζώντων.

1) Matth. XXVIII. 18.

2) Ps. XLIV. 10.

sine carne et corpore adstat, sed circumamicta secundum suam sanctissimam carnem incorruptione et immortalitate, et circumdata varietate secundum ossa eius sanctissima quae carnem ipsius fulciunt. Etenim ex carnibus et ossibus eius, quasi ex veteri Adamo, novus Adam incarnationem sibi quasi costam efformavit, gestatque illam in perpetuum. Atque hinc est quod nova Eva, mater vitae nuncupata, manet circumamicta et circumdata varietate ad primitias vitae immortalis omnium viventium. » E quibus inferendo [a]) concludit: « Dicamus igitur iterum atque iterum semper et in perpetuum cum ad ipsum Regem Dominum et Deum, tum ad ipsam reginam dominam et Deiparam respicientes, ex motu quodam contemplationis spiritalis ac perspicacis oculi nostri: *adstitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta, varietate circumdata.* Et iam audi filia David et Abraham, et inclina aurem tuam ad supplicationem nostram, ne obliviscaris populi tui, neque nostrum qui domus Patris sumus tui. Patres namque tui sumus propagatione, et filia nostra tu es tua ex nobis generatione, decetque te utpote Dei matrem, reginam, dominam et heram propter Regem, Dominum, Deum et Herum ex te natum nostri recordari, adstantem illi qui terribilis nobis, tibi iucundus est, omnesque tibi largitur gratias; unde gratia plena nuncupata es, quasi omni gaudio plena propter

a) Ibid. n. 14. pag. 401. A-D. Εἴπωμεν τοίνυν καὶ αὖθις καὶ πάλιν καὶ ἀεὶ καὶ διὰ παντὸς, ὡς πρὸς αὐτὸν τὸν βασιλέα κύριον καὶ θεὸν, καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν βασίλισσαν κυρίαν τε καὶ θεοτόκον ἀποβλέποντες κινήσει θεωρίας τοῦ κατὰ νοῦν ἡμῶν διορατικοῦ ὀφθαλμοῦ· παρέστη ἡ βασίλισσα ἐκ δεξιῶν σου ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ περιβεβλημένη, πεποικιλμένη· καὶ δὴ ἄκουσον θύγατερ Δαβὶδ, καὶ Ἀβραὰμ, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου εἰς τὴν δέησιν ἡμῶν, καὶ μὴ ἐπιλάθῃ τοῦ λαοῦ σοῦ· μηδὲ ἡμῶν τοῦ οἴκου πατρός σου· πατέρες γάρ σου ἐσμὲν κατὰ τὴν γενεαλογίαν, καὶ θυγάτηρ ἡμῶν κατὰ τὴν ἐξ ἡμῶν γέννησιν, καὶ πρέπον σοί ἐστιν ὡς μητέρα τοῦ θεοῦ γενομένην, βασίλισσάν τε καὶ κυρίαν καὶ δέσποιναν, δι' αὐτὸν τὸν ἐκ σοῦ τεχθέντα βασιλέα καὶ κύριον καὶ θεὸν καὶ δεσπότην, μνημονεύειν, παρεστῶσαν ἐπὶ τοῦ, ἡμῖν μὲν φοβεροῦ, σοὶ δὲ τερπνοῦ, καὶ πάσας παρέχοντος χάριτας· ἀνθ' ὧν καὶ κεχαριτωμένη ὠνομάσθης, ὡς πάσης χαρᾶς ἀνάπλεως ἀναδειχθεῖσα, διὰ τῆς ἐπὶ σὲ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπελεύσεως· διὸ καὶ τὸ πρόσωπόν σου λιτανεύοντες οἱ πλούσιοι τοῦ λαοῦ πεπλουτισμένοι τοιούτων καλῶν καὶ πνευματικῶν θεωρημάτων, περὶ σοῦ βοῶμεν· μνήσθητι ἡμῶν παναγία παρθένε, καὶ μετὰ τὸ γεννῆσαι παρθένος μείνασα, καὶ ἀντίδος ἡμῖν ἀντὶ τῶν μικρῶν τούτων λογίων, μεγάλας τὰς δωρεὰς ἀπὸ τοῦ πλούτου τῶν χαρισμάτων σου, κεχαριτωμένη· ὑπὲρ ὧν, καὶ ὡς ὑποκειμένων καὶ συστατικῶν διαφορῶν, διαφερόντως σοι πρὸς ἐγκώμιον, εἴ τις ἀρετὴ, καὶ εἴ τις ἔπαινος, προσάγεταί σοι παρ' ἡμῶν καὶ πάσης τῆς κτίσεως ὕμνος, τῇ κεχαριτωμένῃ, τῇ κυρίᾳ, τῇ βασιλίσσῃ, τῇ δεσποίνῃ, τῇ μητρὶ τοῦ θεοῦ, καὶ κιβωτῷ τοῦ ἁγιάσματος.

Digitized by Google

adventum Spiritus sancti in te. Quamobrem [1]) vultum tuum deprecamur omnes divites plebis, talibus ditati bonis ac spiritalibus contemplationibus ad te clamamus: recordare nostri, sanctissima Virgo, quae post partum virgo permansisti, et tribue nobis pro exiguis his sermonibus magna dona ex divitiis gratiarum tuarum, o gratia plena: pro quibus quasi veris et celebrandis laudibus tibi ad encomium si qua virtus, si qua laus a nobis nec non ab omni creatura hymnus offertur, gratia plenae, dominae, reginae, herae, matri Dei et arcae sanctificationis. »

787. E quibus manifestum est, non solum verba psalmi suffragio maiorum ad Deiparam transferri, verum etiam ita enarrari ut ex illis statuatur I. *hoc etiam nomine a reliquis Adae posteris Virginem distare, quod quum illis, utpote natura filiis irae et mortis Deus sit terribilis, Virgini contra, utpote matri vitae, iucundus sit atque gratiosus*. Tum II. *habitu plane illi simillimo ad universam hominum familiam Christum et Virginem in ordine supernaturali referri, quo in ordine naturali Adamus et Eva ad eamdem referuntur. Sunt enim Christus et Virgo novus Adam et nova Eva, et quemadmodum ex veteri Adamo atque ex veteri Eva naturam homines sortiuntur; ita ex Christo atque ex Virgine gratiam sanctitatemque percipiunt*. Hinc III. *ex Christo atque ex Virgine par nobilissimum exsistere non minus a reliquo hominum genere secretum, quam eidem instar capitis praecellens*. Quare IV. *Virginem proprie ac vere Christianorum esse reginam, dominam et heram, sicuti Christus eorumdem Rex, Dominus atque Deus celebratur*. His autem non modo vel ipsa originalis culpae umbra a Virgine arcetur, sed illi praeterea eiusmodi asseritur innocentia, et dignitas vindicatur quae ad divinam Christi sanctitatem dignitatemque proxime accedit.

788. Quamquam illustriora videri non immerito possunt quae tradit Hesychius hierosolymitanus presbyter, qui [2]) verbis, *audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Dominus tuus, et adorabis eum*, hunc subiicit [a]) commentarium.

a) Orat. de Virginis laudibus pagg. 426. E. et 427. A-D. in biblioth. pp. graeco-lat. Tom. II. Ψηλαφήσωμεν τοίνυν, ὡς ἐγχωρεῖ, καὶ τὴν ἐν τούτοις διάνοιαν· ἄκουσόν, φησι,

1) Ps. XLIV. 13. 2) Ps. XLIV. 11-12.

« Tractemus igitur quantum licet etiam in his latentem sensum. *Audi,* inquit, *filia,* hoc est, de cetero sermo meus dirigitur ad te, quae a me ortum accepisti, sermo inquam ad te, per quam eadem etiam evangelizo Ecclesiae gentium: sermo meus ad te, quae desponsanda es Regi magno: sermo est ad te, quae Deum Verbum, prout ipse novit, conceptura es. *Audi filia et vide:* adeo diligenter ausculta, ut etiam ipsis mentis oculis intuearis effectum. Audi etiam haec me cum inclinatione praedicentem, atque Gabrielem eadem tibi indicaturum. *Audi filia et vide, et inclina aurem tuam:* hoc enim faustum nuncium est de redemptione mundi. *Inclina aurem tuam* et ascultatio diriget cor tuum. *Et obliviscere populum tuum et domum patris tui:* populus enim a quo cognationem contraxisti, nequam est, ignominiam tibi affert: populus imprudens tibi natura immaculatae propagini familiaritate iunctus est, et cultura spinarum ferax rosam tuam producit. Obliviscere autem una cum populo etiam ipsam domum paternam. Audi paulisper dignitatem quam adeptura es e conceptione indicibili. Etenim propheta et rex sum ego qui tibi semen suppeditabo, tu vero demonstraberis mater Regis, qui Dominus est sceptrorum non terrestrium sed caelestium.

θύγατερ, τουτ' ἔστι, πρὸς σὲ ἐμοὶ λοιπὸν ὁ λόγος, τὴν ἐξ ἐμοῦ· πρὸς σὲ ὁ λόγος, δι' ἧς τὰ αὐτὰ καὶ τὴν ἐκ τῶν ἐθνῶν ἐκκλησίαν εὐαγγελίζομαι· πρὸς σέ μοι ὁ λόγος, τὴν τῷ βασιλεῖ μέλλουσαν τῷ μεγάλῳ νυμφεύεσθαι· πρὸς σὲ ὁ λόγος τὴν τὸν Θεὸν λόγον μέλλουσαν, ὡς αὐτὸς οἶδε, κυοφορεῖν· ἄκουσον θύγατερ, καὶ ἴδε· ἄκουσον οὕτως ἐπιμελῶς, ἵνα καὶ τοῖς τῆς γνώσεως ὀφθαλμοῖς θεωρήσῃς τὰ πράγματα· ἄκουσον καὶ ἐμοῦ ταῦτα προεκκάμπτοντος, καὶ τοῦ Γαβριὴλ τὰ αὐτά σοι μηνύειν μέλλοντος, ἄκουσον θύγατερ, καὶ ἴδε, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου· περὶ γὰρ τῆς τοῦ κόσμου λυτρώσεως ὁ εὐαγγελισμὸς, κλῖνον τὸ οὖς σου, καὶ ἀνορθώσει σου τὴν καρδίαν ἡ ἀκοή· καὶ ἐπιλάθου σοῦ, καὶ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου· πονηρὸς γάρ σε λαὸς ἐνυβρίζει τῇ ἀγχιστείᾳ τῇ παρ' αὐτοῦ· λαὸς ἀγνώμων προσοικειοῦταί σοι τῷ ἀμώμῳ βλαστήματι φύσει· καὶ τὸ σὸν φύει ῥόδον ἀκανθηφόρον γεώργιον· μετὰ δὲ τοῦ λαοῦ καὶ αὐτὸν τὸν πατρῷον οἶκον· ἔλαττον ἄκουσον τῆς ἀξίας, ἣν ἀπὸ τῆς ἀνεκφράστου λήψῃ κυήσεως· καὶ γὰρ ὁ τὴν σπορὰν μέλλω σοι χορηγεῖν, ἐγὼ προφήτης ὑπάρχω καὶ βασιλεὺς, ἀλλὰ σὺ βασιλέως μήτηρ ἀναδειχθήσῃ, οὐ τῶν ἐν τῇ γῇ σκήπτρων, ἀλλὰ τῶν οὐρανίων δεσπόζοντος· καὶ ἐπιλάθου τοῦ λαοῦ σου, καὶ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου· μηκέτι πρόσεχε τῇ συγγενείᾳ τῇ κάτωθεν· εἰς βασιλίδα γὰρ μεταστήσῃ οὐρανῶν· καὶ ἄκουε, φησι, πῶς ἐραστὴς ἔσται σοῦ, ὁ καὶ ποιητὴς ἁπάντων καὶ ἐξουσιαστής· ἐπιθυμήσει γάρ, φησιν, ὁ βασιλεὺς τοῦ κάλλους σου· αὐτὸς ἑαυτῷ νυμφεύσει σὲ ὁ πατὴρ, τὸ πνεῦμα συνεργήσει τὰ πρὸς τὴν νύμφευσιν· ὁ υἱὸς καὶ αὐτῆς μεταλήψεται τῆς εὐπρεπείας τοῦ σοῦ ναοῦ· μὴ γὰρ δὴ τίκτειν βρέφος ὑπολάβοις ἀνθρώπινον, ὅτι αὐτός ἐστι κύριός σου, καὶ προσκυνήσεις αὐτῷ, αὐτός σου πλάστης, αὐτὸς καὶ βρέφος, αὐτὸν καὶ κυήσεις, καὶ προσκυνήσεις μετὰ τῶν ἄλλων ὡς κύριον.

Digitized by Google

Et obliviscere populum tuum et domum patris tui. Ne postea advertas animum ad hanc inferiorem cognationem, quoniam in reginam transmutaberis. Et audi, inquit, quanto te amore prosequetur is qui conditor omnium est et Dominus. *Concupiscet enim,* ait, *Rex decorem tuum.* Ipse Pater te sibi ipsi desponsabit, Spiritus sanctus coefficiet ea quae ad desponsationem pertinent, et Filius ipsum templi tui decorem assumet. Itaque ne existimaveris te parituram infantem humanum, *quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabis eum.* Ipse formator tui, ipse etiam infans, ipsum concipies et cum ceteris adorabis ut Dominum. » Quibus finem imponens [a]) inquit: « Animadverte quodnam epithalamium David obtulit Deiparae, quum velut modulator quidem hymnum decantat, quo etiam velut pater gratulatur tantae puellae beatitudini. »

789. Ubi quum non pauca occurrant dignissima quae observentur, illa tamen in rem nostram praecellunt quibus duplex secernitur Virginis ornamentum, alterum ex origine, atque alterum ex divina eiusdem maternitate dimanans. Illud describitur quum Virgini ceu proprium defertur, *quod propago fuerit natura immaculata, atque ex spinis veluti rosa effloruerit.* Hoc autem aperitur, *quum in reginam propter conceptum unigenitum Dei Filium transformanda praenunciatur.* Sed I. quem fugit, primum illud ornamentum ne cogitatione quidem ab immaculato Virginis conceptu distare? Quem II. fugit, altero illo ornamento super omnes creaturas tam humanas quam angelicas Deiparam extolli? Et quem III. fugit duo illa ornamenta ita se mutuo excipere, ut hinc quidem divinae maternitatis praestantia immaculatum conceptum efflagitarit, inde vero immaculatus conceptus necessaria fuerit conditio, ut Rex decorem Virginis concupisceret, atque humanam ex ea naturam indueret?

790. Cum Hesychio hierosolymitanae ecclesiae presbytero consentit Modestus eiusdem praesul ubi [b]) de Virgine scribit: « Per eam

a) Ibid. pag. 427. D. Κατανοεῖτε οἷον τὸ ἐπιθαλάμιον Δαβὶδ τῇ Θεοτόκῳ προσήνεγκεν, ὡς μελῳδός μὲν τὸν ὕμνον διεξιών, ὡς δὲ πατὴρ ὁμοῦ καὶ συγχαίρων τῇ πρὸς τοσοῦτον μακαριότητι τῆς παιδός.

b) Encom. in Deiparam §. V. pagg. 21-23. Δι' ἧς καὶ ἡ ὑπερβάλλουσα λαμπρότης τὰς ἡλιακὰς αὐτὰς ἀκτῖνας, ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς ἐκκέχυται ἐφ' ἡμᾶς· ὁ γὰρ ἐκ ταύτης τῆς ἀειπαρθένου σάρκα ἐνδυσάμενος ἔμψυχον καὶ ἔννουν ἐκ πνεύματος ἁγίου Χριστὸς ὁ Θεός, προσκαλεσάμενος αὐτὴν ἐνέδυσεν ἀφθαρσίαν σύσσωμον, καὶ ὑπερενδόξως ἐδόξασε, τοῦ γενέσθαι κληρονόμον, ὡς παναγίαν μητέρα αὐτοῦ· καθ' ἃ καὶ ὁ ψαλμῳδὸς ψάλ-

Digitized by Google

splendor ille qui vel ipsos solis radios superat, in misericordia et miserationibus in nos effusus est. Ex hac enim perpetua Virgine Christus Deus carne ex Spiritu sancto indutus animata et mente praedita, illam elegit et concorpore induit incorruptibilitate, ac supra modum glorificavit, ut sua esset heres, utpote sanctissima sua mater; iuxta ea quae cecinit [1]) psaltes: *adstitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta, variegata.* » Qui rursum [a]) de angelis loquens divinitus missis, ut Virgini adessent in caelum provehendae, ait: « Quum enim per Ecclesiam nossent, quemadmodum [2]) scriptum est, *multiformem* Domini sui *sapientiam,* ut consentaneum erat, pie optarunt videre gloriosissimam eius matrem, quae ab eo, qui natura sua desiderabilis et amabilis est, universorum Deo praecipue inventa est carissima et augusta; quae ad universi salutem ex antiquis generationibus electa est [3]) *secundum* eius *praescientiam,* ut esset Dei genitrix et virgo perpetua: quam futuram propheticis oculis prospexit progenitor eius David propheta, quum [4]) in psalmis, *audi,* inquit, *filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Dominus tuus, et adorabis eum:* ut viderent et

λει· παρέστη ἡ βασίλισσα ἐκ δεξιῶν σου ἐν ἱματισμῷ διαχρύσῳ περιβεβλημένη, πεποικιλμένη.

a) Ibid. §. VIII. pag. 33-35. Καὶ γὰρ γνόντες, ὡς γέγραπται, διὰ τῆς ἐκκλησίας τὴν πολυποίκιλον σοφίαν τοῦ δεσπότου αὐτῶν, εἰκότως καὶ ἐφίεντο θεοειδῶς κατιδεῖν τὴν πανένδοξον αὐτοῦ μητέρα, τὴν ὡς μάλιστα μέν τοι εὑρεθεῖσαν καὶ αὐτῷ τῷ φύσει ὄντι ἐφετῷ καὶ ἀγαπητῷ θεῷ τῶν ὅλων περιπόθητον καὶ σεβασμίαν, εἰς σωτηρίαν παγκόσμιον ἐξ ἀρχαίων ἐκλεχθεῖσαν γενεῶν, κατὰ πρόγνωσιν αὐτοῦ γενέσθαι θεοτόκον ἀειπάρθενον, ἣν καὶ ἔσεσθαι τοῖς ὑποφητικοῖς ὄμμασι προορῶν ὁ προπάτωρ αὐτῆς προφήτης Δαβὶδ ἐν ψαλμοῖς ἔφασκεν· ἄκουσον θύγατερ καὶ ἴδε, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου, καὶ ἐπιλάθου τοῦ λαοῦ σου καὶ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου, καὶ ἐπιθυμήσει ὁ βασιλεὺς τοῦ κάλλους σου, ὅτι αὐτός ἐστι· κύριός σου, καὶ προσκυνήσεις αὐτῷ· ἰδεῖν αὐτῆς καὶ θαυμάσαι τὴν δεδοξασμένην καὶ ὑπερεκλάμπουσαν ἔνθεον ὥραν, δι' ἧς ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν ἐξωραΐσε τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν τῇ ὡραιότητι καὶ τῷ κάλλει τῆς θεότητος αὐτοῦ, θεώσας αὐτὴν ἐν ἑαυτῷ· ἰδεῖν αὐτῆς τὴν κεχαριτωμένην μορφὴν, ἐξ ἧς μορφώσας ἑαυτὸν ἐκ πνεύματος ἁγίου, βροτομόρφος γέγονεν ἐν ἀληθείᾳ, μείνας ὃ ἦν, ὑπάρχων ἐν μορφῇ θεοῦ· ἰδεῖν αὐτοῦ τὴν κρειττοτέραν τῶν ἄνω δυνάμεων ἁγιασθεῖσαν ἐνούσιον ὑπόστασιν, καὶ δοξολογῆσαι τὸν ἁγιάσαντα ὑπερούσιον καὶ ἐνυπόστατον λόγον τοῦ πατρὸς, σαρκωθέντα ἐξ αὐτῆς ἐκ πνεύματος ἁγίου αὐτοῦ.

1) Ps. XLIV. 10.
2) Ephes. III. 10.
3) 1. Pet. I. 2.
4) Ps. XLIV. 11.

admirarentur glorificatam et splendidissimam eius divinam pulcritudinem, per quam unigenitus Filius Dei Christus Deus noster deificatam in seipso naturam humanam exornavit decore et pulcritudine divinitatis suae: ut viderent ipsius formam gratia plenam, ex qua quum seipsum formasset ex Spiritu sancto, revera humana forma praeditus est, manens quod erat [1]) *exsistens in forma Dei:* ut viderent excellentissimam prae omnibus superis Potestatibus sanctificatam illam vere exsistentem naturam, et ut glorificarent illud, a quo sanctificata est, superessentiale et subsistens Verbum Patris, quod ex ipsa incarnatum est ex Spiritu sancto eius. »

791. Modestus itaque semel atque rursum ad Deiparam transfert verba psalmi, eaque sic interpretatur ut doceat I. *Virginem ex omnibus generationibus apparuisse carissimam, augustam et plane dignam quae Unigenitum conciperet:* II. *ad universalem hominum salutem secundum praescientiam ex omnibus generationibus fuisse delectam:* III. *per ipsam hominum generi iustitiae solem effulsisse:* IV. *illius pulcritudinem fuisse divinam, formam gratia plenam, excellentiam superis Virtutibus potiorem, gloriam denique eiusmodi quae eam deceret quam Deus supergloriose glorificavit, quaeque ipsos angelos, utpote gloria sanctissimae Dei matris propria, in admirationem raperet.* Haec sunt quae Modestus tradit, atque haec sunt quae Deiparam supra reliquorum hominum ordinem conditionemque eo usque extollunt, ut de labe communis praevaricationis, quae ipsam quoque infecerit, ne cogitari quidem posse videatur.

792. Quid vero Germanus constantinopolitanus episcopus? Is ut ostendat inter proprias Virginis appellationes et illam numerari oportere qua *Dei filia* antonomastice nuncupatur, scribit [a]): « Dicitur [2]) filia. *Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui; et concupiscet rex pulcritudinem tuam.* » Orationem vero his omnino verbis [b]) inchoaverat:

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1315. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Καλεῖται θυγάτηρ· ἄκουσον θύγατερ, καὶ ἴδε, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου, καὶ ἐπιλάθου τοῦ λαοῦ σου, καὶ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου, καὶ ἐπιθυμήσει ὁ βασιλεὺς τοῦ κάλλους σου.

b) Ibid. pagg. 1306. E. et 1307. A-C. Θεοῦ δὲ μητρὸς ἡ πανήγυρις, καὶ γενέσιος ἀξιαγάστου παιδὸς τὸ τελούμενον· παιδὸς ἀειπαρθένου· παιδὸς ἀπειρογάμου· βασιλίδος, προφήτιδος, ἧς τὰ βασίλεια σπάργανα Δαβὶδ ὁ μέγας ἐν προφήταις καὶ βασιλεῦσι, βα-

1) Philipp. II. 6. 2) Ps. XLIV. 11.

« Agitur porro Dei matris dies festus, admirandae puellae natalis, semper virginis, puellae nuptiarum expertis, reginae, prophetissae, cuius regales fascias magnus ille inter reges prophetasque David regali praesignans obtutu [1]) exclamavit: *omnis gloria filiae regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta, variegata.* Longe ante, ut arbitror, illi statim a cunabulis divinitus adiectum pulcritudinis decorem per varia divini Spiritus dona subindicans. Sic enim, mea sententia, vestem auream et fimbrias aureas sed et regales puto fascias intelligent, qui nullo praepediti affectu candide iudicaverint. Quorum ille internum decorem et emicantem inde exteriorem Virginis pulcritudinem praevidens, libera voce [2]) acclamavit: *audi*, inquiens, *filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.* » De quibus e vestigio [a]) subdit: « Quae quidem etsi aperte ad Ecclesiam referantur gentibus convocatam, haud aegre tamen intelligi de illa possunt, quae tota toti Ecclesiae Sponso per oeconomiae miraculum templum effecta est. » Una igitur inter Adae posteros reperitur Virgo, quae ex origine fuerit Dei filia, quaeque ab ipsis primordiis et fasciis divino decore, utpote Unigeniti exstitura templum, omniumque regina, splenduerit.

793. Qua de re insignia ex aequo sunt quae Iohannes euboeensis, Iacobus monachus, Iohannes damascenus et Leo Augustus apertissimis sententiis testantur. Ut enim de Iohanne euboeensi taceam, qui non alia habet [3]) nisi iam pluries repetita; Iacobus mo-

σιλείῳ τῷ βλέμματι ἐξεικονίζων, ἀνέκραγε· πᾶσα ἡ δόξα τῆς θυγατρὸς τοῦ βασιλέως ἔσωθεν, ἐν κροσσωτοῖς χρυσοῖς περιβεβλημένη, πεποικιλμένη· πόῤῥωθεν οἶμαι, τὴν ἐκ σπαργάνων εὐθὺς περιτεθεῖσαν αὐτῇ θεόθεν τοῦ κάλλους εὐπρέπειαν, διὰ τῶν ποικίλων τοῦ θείου πνεύματος χαρισμάτων, ὑποσημαίνων· τούτοις γὰρ ὁ διάχρυσος ἱματισμὸς, καὶ οἱ χρυσοὶ κροσσωτοὶ, κατ' ἐμὴν ἐπιστήμην· οἶμαι δὲ καὶ τὰ βασίλεια σπάργανα, πρὸς τῶν εὐγνωμόνων ἀπροσπαθῶς ἐκλαμβάνεται· ὧν τὴν ἔνδον εὐπρέπειαν, καὶ τὴν ἐκ τοῦ κάλλους ἔξωθεν περιλαμπομένην τῇ παρθένῳ προθεωρῶν ὡραιότητα, πεπαῤῥησιασμένῃ τῇ φωνῇ· ἄκουσον, λέγων, θύγατερ, καὶ ἴδε, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου, καὶ ἐπιλάθου τοῦ λαοῦ σου, καὶ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου, καὶ ἐπιθυμήσει ὁ βασιλεὺς τοῦ κάλλους σου.

a) Ibid. pag. 1307. C-D. Ἅπερ εἰ καὶ προδήλως εἰς τὴν ἐξ ἐθνῶν ἐκκλησίαν τὴν ἀναφορὰν ἔχει· ἀλλ' οὐ χαλεπὸν καὶ ἐπ' αὐτῆς ἐκλαμβάνεσθαι, τῆς ὅλης ὅλῳ τῷ τῆς ἐκκλησίας νυμφίῳ ναοποιηθείσης τῷ τῆς ἐνσαρκώσεως θαύματι.

1) Ps. XLIV. 14.
2) Ps. XLIV. 11-12.
3) Orat. in Virginis concept.

Digitized by Google

nachus [a]) Annam inducit propter conceptam Deiparam his verbis exsultantem: « Veni parens David, cum ea gaude quae de tuis lumbis magnifica prodiit. Regalis ex regali stirpe surculus germinavit. Vera iuramenta finem accipiunt. Summe regalis productus est thronus. Palatii insolubilis fundamenta iacta sunt. Regina, filiaque [1]) aurem inclinans ac paternam tuam audiens vocem, naturae se necessitate superiorem effecit. Haudquaquam paternae alligata est legi, ut seculi huius rebus afficiatur. Obliviscitur humana, tametsi in iis agat quae sunt hominum propria. Devincta est mundissimo regi desiderio. Ad eius cupiditatem sua ipsius puritatis decora comparavit. Haec rex concupiscit. Delectatur innocentiae venustate; illibatae namque puritatis amator est. Unam quippe illam universis impensius amat, tamquam illius apice ornatam. Deprecentur in divinis visionibus divites vultum eius desiderabilem: internam eius dilaudent gloriam. Arcana ratione absconditum in ea decus magnificent. Deauratis Spiritus illustrationibus variegatam stolam honori habeant. Externam illi adiacentem virtutum gratiam stupeant. Praeparate futuras ei comites virgines. Faces gestantem praestate chorum. Sanctorum omnium reginae vias in templum perornate. Ecce enim promissa illa, exhibita est, dataque aptatur datori reddenda. »

794. Porro Iohannes damascenus sive [2]) de annuntiata Virgine

a) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1270. D-E. et 1271. A. apud Combefisium Auctar. Tom. I. Δεῦρο προπάτορ Δαβίδ, τῇ ἐκ σῆς ὀσφύος ἀναδεδομένῃ συνεπαγάλλου, ἀδρυνομένη· τὸ βασίλειον ἐκ βασιλικῆς ἀνεβλάστησε στέλεχος· αἱ ἀψευδεῖς ὁρκωμοσίαι τὸ πέρας εἰσδέχονται· ὁ βασιλικώτατος προτίθεται θρόνος· τὸ ἀκατάλυτον τεθεμελίωται παλάτιον. ἡ βασιλὶς καὶ θυγάτηρ τὴν ἀκοὴν ὑποθεῖσα, τὴν πατρῴας ἐπαίουσα σου φωνῆς, ὑπεράνω τῆς φυσικῆς ἀνάγκης ἀνήρτησεν ἑαυτήν· οὐ δεσμεῖται τῷ πατρῴῳ νόμῳ, πρὸς τὴν τῶν τεκόντων συμπάθειαν· ἐπιλανθάνεται τῶν ἀνθρωπίνων, καὶ ἐν τοῖς αὐτῶν ἰδίοις τελοῦσα· τῷ τοῦ βασιλέως καθαρωτάτῳ συνδέδεται πόθῳ· πρὸς τὴν αὐτοῦ ἐπιθυμίαν τὰ οἰκεῖα τῆς καθαρότητος ηὐτρέπισε κάλλη· ἐπιποθεῖ ταῦτα ὁ βασιλεύς· ἐπιτέρπεται ταῖς τῆς ἁγνείας ὡραιότησιν· ἐραστὴς γὰρ τῆς ἀθίγους καθέστηκεν καθαρότητος, ὡραιότητος· καὶ γὰρ ταύτης μᾶλλον ἐρᾷ μόνης, ὡς τῷ ἀκροτάτῳ ἐκείνης κεκοσμημένης· λιτανευέτωσαν οἱ ἐν θεοπτίαις πλούσιοι τὸ ταύτης ἐπιπόθητον πρόσωπον· τὴν ἐναπόθετον αὐτῆς διανυμνείτωσαν δόξαν· τὸν ἀπορρήτως ἐν αὐτῇ ἐγκεκρυμμένον μεγαλυνέτωσαν κόσμον· τὴν διαχρύσοις ταῖς τοῦ πνεύματος ἐλλάμψεσι πεποικιλμένην γεραιρέτωσαν στολήν· τὴν ἔσωθεν αὐτῇ τῶν ἀρετῶν περικειμένην καταπληττέσθωσαν τερπνότητα· εὐτρεπίζετε τὰς συνεψομένας αὐτῇ παρθένους· τὸν λαμπαδηφόρον προκαταρτίζετε χορόν· τὰς ἐν τῷ ναῷ τῆς τῶν ἁγίων ἁπάντων βασιλίδος

1) Ps. XLIV. 11.

2) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 838. C.

disserat, sive [1]) illius in caelum assumptae gloriam extollat, sive [a]) natalem diem laudibus celebret, ad hunc psalmum provocat, eiusque verbis utitur ut eximia Deiparae ornamenta patefaciat. En quae postremo loco scribit: « Vitis uberrima ex Anna pullulavit, uvaque suavissima effloruit, potum nectaris terrigenis fundens in vitam aeternam. Ioachim et Anna ad iustitiam sibi ipsis seminarunt, ac vitae fructum messuerunt. Scientiae lumen sibi illuminarunt et Dominum exquisierunt, venitque [2]) illis germen iustitiae. Audaciam sumat terra ac filii Sion. Gaudete in Domino Deo vestro, quia germinavit desertum: sterilis protulit fructum suum. Ioachim et Anna ceu montes spiritales dulcedinem stillaverunt. Laetare beata Anna, quod feminam pepereris. Haec enim femina mater est Dei, porta lucis, fons vitae, et feminarum crimen abolet. Huius feminae vultum deprecabuntur [3]) omnes divites populi. Feminam hanc reges gentium oblatis muneribus adorabunt. Hanc feminam Deo universorum regi offeres, virtutum, tamquam fimbriis aureis, circumamictam elegantia, sanctique Spiritus gratia coronatam, cuius gloria ab intus. Omnis quippe feminae gloria vir est, extrinsecus veniens: at Dei genitricis gloria ab intus est, ventris utique fructus. O desiderabilissima femina atque ter beata! »

795. Religioni vero mihi ducerem commentarium praeterire, quo Leo Augustus verba psalmi de Virgine [b]) explanans inquit:

κατακοσμεῖτε πορείας· ἰδοὺ γὰρ ἡ ὑποσχεθεῖσα παρεσχέθη· καὶ δεδομένη, ἀντιδίδοσθαι τῷ δεδωκότι εὐτρεπίζεται.

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. B-D. Ἄμπελος εὐκληματοῦσα ἐξ Ἄννης ἐβλάστησε, καὶ βότρυν γλυκύτητος ἤνθησε, πόμα νέκταρ τοῖς γηγενέσι πηγάζοντα εἰς ζωὴν αἰώνιον. Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα ἔσπειραν ἑαυτοῖς εἰς δικαιοσύνην, καὶ ἐθέρισαν καρπὸν ζωῆς· ἐφώτισαν ἑαυτοῖς φῶς γνώσεως, καὶ κύριον ἐξεζήτησαν, καὶ ἦλθεν αὐτοῖς γέννημα δικαιοσύνης· θαρσείτω ἡ γῆ καὶ τὰ τέκνα Σιών· χαίρετε ἐπὶ κυρίῳ τῷ θεῷ ὑμῶν, ὅτι βεβλάστηκεν ἔρημος· στεῖρα ἤνεγκε τὸν καρπὸν αὐτῆς. Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα, ὡς ὄρη νοητά, γλυκασμὸν ἀπεστάλαξαν, εὐφραίνου, Ἄννα μακαριστὴ, ὅτι θῆλυ τέτοκας· τοῦτο γὰρ τὸ θῆλυ, μήτηρ θεοῦ, πύλη φωτὸς, πηγὴ ζωῆς, καὶ τὸ τῶν θηλειῶν διαλύει ἔγκλημα· τοῦ θήλυος τούτου τὸ πρόσωπον λιτανεύσουσιν πλούσιοι τοῦ λαοῦ· τοῦτο τὸ θῆλυ βασιλεῖς ἐθνῶν προσκυνήσουσι, δῶρα φέροντες· τοῦτο τὸ θῆλυ προσάξεις θεῷ παμβασιλεῖ, ὡς κροσσωτοῖς χρυσοῖς, τὴν τῶν ἀρετῶν περιβεβλημένην εὐπρέπειαν, καὶ κεκοσμημένην τῇ τοῦ πνεύματος χάριτι, ἧς ἡ δόξα ἔσωθεν· δόξα μὲν γὰρ πάσης γυναικὸς ὁ ἀνὴρ ἔξωθεν ἐπιών· ἡ δόξα δὲ τῆς θεοτόκου ἔσωθεν, ὁ τῆς κοιλίας καρπός· ὦ θῆλυ ποθητὸν, τρισμακάριστον.

b) Serm. in Deiparae praesentat. pag. 1628. B-D. apud Combefisium Auctar. Tom. I.

1) Orat. III. in Deiparae dormit. §. IV. p. 884. E.
2) Is. XXXIII. 1.
3) Ps. XLIV. 12-15.

« *Audi* [1]) *filia, et inclina aurem tuam.* Sola ab aeterno electa es in Altissimi sponsam: sola eius qui universa implet, locus capax exsistis. *Audi filia.* Paternam obliviscere domum et populum: fuisti namque in matrem ab eo assumpta, qui sedet super cherubim. Vade in templum sanctum, quae Dei templum exsistis. *Audi filia, et obliviscere populum tuum:* innumerabilis enim multitudo eorum qui in caelo et qui sunt in terra, te dominam obtinebunt. » Et aliquot [a]) intersertis: « Non [2]) *afferentur virgines* quae concinant: hoc enim olim contuitus psalmo edito praecinuisti. Sed ecce virgines circum choreas in exsultatione agentes praeeunt veluti reginae in regis templum abeunti. Ecce te ut immaculatam victimam ad divinum adducunt thalamum: ecce te divinitus plantatam radicem, e qua germinabit ramus sub cuius umbra requiescent fines terrae, in gloriae prato conserunt. Ecce te generis gaudium choreis undequaque cingentes in locum inducunt exsultationis. » Alibi vero [b]) cumulatis titulis potissimas Deiparae laudes praeseferentibus pergit: « Quum enim adhuc in paternis lumbis contineréris, tuus tibi [3]) clamabat progenitor: *audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Vere audivisti, sapiens filia,

"Ακουσον θύγατερ, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου· μόνη ἐξ αἰῶνος εἰς νύμφην ἐξελέχθης ὑψίστου· μόνη τοῦ πληροῦντος τὰ πάντα χρηματίζεις χωρίον· ἄκουσον θύγατερ· οἴκου πατρῴου καὶ λαοῦ ἐπιλάθου· εἰς οἶκον γὰρ τῷ ἐπὶ τῶν Χερουβὶμ προσελήφθης καθημένῳ· ἄπιθι εἰς ναὸν ἅγιον, ναὸς θεοῦ χρηματίζουσα· ἄκουσον θύγατερ, καὶ ἐπιλάθου τοῦ λαοῦ σου· πλήθους γὰρ ἀναριθμήτου τῶν ἐν οὐρανῷ καὶ γῇ, τὴν δεσποτείαν ὀφθήσῃ λαχοῦσα.

a) Ibid. pagg. 1628. E. et 1629. A. Οὐκ ἀπενεχθήσονται παρθένοι προσᾴδοντες· τοῦτο γὰρ πάλαι προέψαλλες θεωρῶν· ἀλλ' ἰδοὺ σὲ παρθένοι ἐν ἀγαλλιάσει περιχορεύουσι οἷα βασιλίδος εἰς ναὸν βασιλέως ἀπιούσης προάγουσιν· ἰδοὺ σὲ, ὡς ἄσπιλον ἱερὸν, εἰς τὸν θεῖον προσφέρουσι θάλαμον· ἰδοὺ σὲ τὴν θεόφυτον ῥίζαν, ἧς ἀναβλαστήσει κλάδος, οὗ ὑπὸ τὴν σκιὰν τὰ πέρατα ἀναπαύσεται, ἐν τῷ τῆς δόξης λειμῶνι καταφυτεύουσιν· ἰδοὺ σὲ τὴν χαρὰν τοῦ γένους περιχορεῦσαι, εἰς τὸν τῆς ἀγαλλιάσεως τόπον οἰκίζουσιν.

b) Orat. in Deiparae annnnciat. pag. 1637. A-C. "Ετι μὲν οὖν σοὶ τῇ ὀσφύϊ θαλαμευομένῃ ὁ σοὶ ἐβόα προπάτωρ· ἄκουσον θύγατερ καὶ ἴδε, καὶ κλῖνον τὸ οὖς σου, καὶ ἐπιλάθου τοῦ λαοῦ σου, καὶ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου· ἤκουσας ὄντως ἡ σοφὴ θυγάτηρ τοῦ παρεγγέλματος, καὶ ἐπελάθου τοῦ λαοῦ σου, καὶ κλήρου, καὶ οἴκου πατρῴου· κλήρου ἐκείνου, ὃν ἡ προμήτωρ Εὔα ὅλῳ τῷ γένει διένειμε, τὸν μύριον τῶν παθῶν φόρτον κληροδοτήσασα· οὐδὲν τούτων οὐ μὴν οὖν εἰς οἶκον ἠγάγου τὸν σόν· διὰ τοῦτο ὁ βασιλεὺς ἠγάσθη σε τῆς ψυχικῆς εὐπρεπείας, καὶ νύμφην ἐξελέξατο.

1) Ps. XLIV. 11.
2) Ibid. 16.
3) Ps. XLIV. 11.

commonitionem, et oblita es populi tui ac hereditatis, domusque paternae hereditatis: inquam, illius ac sortis quam progenitrix Eva generi universo distribuit. Innumerabili passionum et affectionum cumulo, velut hereditario iure, relicto. At nihil horum tuam in domum intulisti; propterea rex tuam animi pulcritudinem demiratus te sibi in sponsam selegit. »

796. Praeclara est igitur conspiratio qua maiores nostri verba psalmi ad Virginem referunt, nec referunt modo, verum etiam sic interpretantur ut ex iisdem colligant I. *fuisse Virginem naturae necessitate superiorem, vinculis paternae legis non obstrictam, et maternae hereditatis penitus insciam.* Hinc II. *ex parentum lumbis magnificam prodiisse, tamquam regium surculum germinasse, pullulasse ceu vitem uberrimam, uti uvam suavissimam effloruisse, erupisse tamquam vitae fructum iustitiaeque germen, uti dulcedinem stillasse, plantatam fuisse divinitus, neque aliter initio productam ac uti thronum summe regalem et immortalis palatii fundamentum.* Quapropter III. *nullo umquam fuisse naevo infectam, immo ornatam puritatis fastigio eminuisse, proindeque impensius omnibus fuisse amatam, et solam in matrem et Unigeniti sponsam ab aeterno electam.* His autem omnibus IV. effectum esse, *ut Maria iure quam qui optimo credatur nostri generis gaudium, victima immaculata, Dei templum, sola immensi capax, originalis praevaricationis reparatio, fons vitae, lucis porta, caelestium et terrestrium domina, sanctorumque omnium regina.* Quod postremum [a]) Georgius metropolita nicomediensis his verbis expressit: « Est haec regina [1]) quae adstitit a dextris Dei, proxima ipsi pulcritudini atque splendori, per naturam formosa, et labis incapax. »

797. Arbitror vero expeti nihil posse, quo a maioribus tradita immaculati conceptus praerogativa videatur. Hanc enim, uti superiora considerantibus debet esse perspicuum, tradunt *diserte,* hanc tradunt *virtute,* hanc tradunt *aiendo,* hanc tradunt *negando,* hanc tradunt *absolute* et hanc tradunt *comparate.* Quibus ego praesenti

a) Orat. in Deiparae ingressum in Templum, pag. 1098. E. apud Combefisium Auctar. Tom. I. *Αὕτη ἐστὶν ἡ ἐκ δεξιῶν θεοῦ παρεστῶσα βασίλισσα· ἡ πλησίον τῷ κάλλει, καὶ τῇ λαμπρότητι· ἡ ὡραία τῇ φύσει, καὶ μώμου ἀνεπίδεκτος.*

1) Ps. XLIV. 10.

articulo finem facerem, nisi satius esse existimarem, aliquot ex latina ecclesia productis testibus, orientis atque occidentis consentientem fidem ostendere.

798. Itaque ex iis qui occidentalem ecclesiam illustrarunt, ad Virginem transferunt et de Virgine psalmum quadragesimumquartum interpretantur quum alii, tum [1] Amedeus lausannensis, Guerricus [2] igniacensis, Bernardus [3] claraevallensis, Hildephonsus [4] toletanus, et omnium pulcherrime beatus Petrus Damiani, qui sermonem de Virgine annuntiata his verbis [5] orditur: « Cum fecerit Deus omnia opera sua [6] valde bona, hoc melius fecit, consecrans sibi in ea reclinatorium aureum, in qua sola se post tumultus Angelorum et hominum reclinaret et requiem inveniret. Hoc est quod natura miratur, reveretur angelus, veretur homo, stupescit caelum, extremit terra, infernus exhorret. In huius utero maiestas Altissimi mirabiliter liquefacta, sicut adipe et pinguedine, replevit terras, infudit caelos, inferna respersit. Hinc [7] exinanivit semetipsum Excelsus, et Immensus [8] mensuram bonam et confertam et coagitatam mittens in sinum nostrum. Hic divinis manibus [9] unctus est oleo laetitiae, et sicut ad altare in summum pontificem consecratus. De hoc altari ad aram crucis ascendens, proprio cruore tamquam alterius generis oleo perfusus, iam non solum consecratus sed et consecrans, totum corpus machinae mundialis largiori ligamine copulavit. » Hinc [10] eam caeli terraeque, hominum atque angelorum faciem conditionemque describens, quae ante expletam Christi sanguine reparationem obtinebat, ait: « Movet me, fateor, quod permittente Deo peccant rationabiles creaturae, et multis annorum millibus tam caelestia quam terrestria incassum stare vide-

1) Homil. II. de Virginis laudibus pag. 1265. col. 1. B-C. in maxima pp. biblioth. T. XX. « Nam de pretiositate eorum et varietate cum psalmista *(specioso formae prae filiis hominum)* de laude sponsae eius loqueretur, cecinit (Ps. XLIV. 10.) dicens: *adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Et paulo post (v. 14.) subintulit: *omnis gloriae eius filiae regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate.* Non solum autem vestitu deaurato et fimbriis aureis decoratur, verum etiam veste stroguleta, quam fecit sibi, dicente (Prov. XXXI. 22.) Salomone: *et omni lapide pretioso cooperitur.* Nulla enim gemma, nullus lapis pretiosus, nulla pretiosa margarita huic deest operimento, ut non iam simpliciter pretiosum, sed omni pretiositate pretiosum iure appellari queat. »

2) Serm. III. in Deiparae assumpt. pag. 740. col. 1. D, et Serm. IV. pag. 742. col. 2. A. apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VII.

3) Super *missus est*, Hom. III. n. 3. p. 751. B-D. opp. T. III.

4) Serm. I. in Deiparae assumpt. pag. 669. col. 1. B, et Serm. II. pag. 671. col. 2. D. apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VII. et in collect. pp. toletan. T. I. pagg. 342-348.

5) Serm. XI. de Virginis annuntiat. pag. 24. col. 2. C-E.

6) Gen. I. 31.

7) Philipp. II. 7.

8) Luc. VI. 38.

9) Hebr. I. 9.

10) L. c. pagg. 24. col. 2. E. et 25. col. 1. A.

Digitized by Google

antur, servituris illis, illis dirutis. Stat illa magna civitas civium suorum numerositate fraudata, et a stellantibus palatiis multiplex habitantium multitudo propellitur: terra maledicitur, condemnatur hominum successio, et *omnis creatura*, iuxta [1]) Apostolum, *ingemiscit et parturit*. Tacet Deus omnipotens, et ordinans eius omnipotentia tantam dissimulat confusionem. » Tum continenter [2]) subdit: « Tandem nascitur Maria, et ad nubiles annos egrediens speciem induit speciosam, quae ipsum alliciat Deum et divinitatis oculos in se convertat. Vide quid inde dicat [3]) ille non minimus explorator secretorum Dei: *audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus*. Germinat igitur virga Iesse de tortuosa radice generis humani, et de patriarcharum arbore in altitudinem et rectitudinem erumpens, omnem ignorat [4]) nodositatem, filiorum tenebras nescit, infructuosa quaeque non habet. Videt et ardet ille vehemens amator, et totum epithalamium in laudibus eius decantat, ubi manifeste sponsus inducitur spirans amorem sincerissimum, nec ultra valens dissimulare quod patitur. Evocatur statim caelestis ille conventus, et [5]) iuxta prophetam init Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione: ac illis stupentibus et mirantibus prae gaudio, de modo redemptionis. Et statim de thesauro divinitatis Mariae nomen evolvitur, et per ipsam, et in ipsa, et de ipsa, et cum ipsa totum hoc faciendum decernitur; ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectum sit. »

799. Quibus alibi [6]) consona scribens ait: « Hodie nata est illa, per quam omnes renascimur, cuius speciem [7]) concupivit Omnipotens, et in qua Deus posuit thronum suum. Ipsa est thronus ille mirabilis, de quo in Regnorum historia [8]) legitur in haec verba: *fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis*. Nosti quidnam dicat [9]) qui sedet in throno: *ecce*, inquit,

1) Rom. VIII. 22.
2) L. c. pag. 251. col. 1. A-D.
3) Ps. XLIV. 10.
4) Al. minus recte, *omnem ignorat nodositatem foliorum, tenebras nescit*.
5) Is. XVI. 3.
6) Serm. XLIV. idemque I. in Virginis nativit. pag. 106. col. 1. D. et col. 2. C-E.
7) Ps. XLIV. 12.
8) III. Reg. X. 18.
9) Apoc. XXI. 5. Porro Serm. XLVI. idemque III. in Virginis nativit. pag. 113. col. 2. C-D. scribit Petrus Damiani : « Merito itaque beata Maria dicitur parens parentis, oriens orientis, fons fontis

nova facio omnia. Felix thronus, in quo sedet dominator Dominus, in quo et per quem non solum omnes sed omnia renovantur. » Dum vero de die assumptae Virginis loquitur, sic [1]) habet: « Sublimis ista dies, et splendidiore sole refulgurans, in qua Virgo regalis ad thronum Dei Patris evehitur, et in ipsius Trinitatis sede reposita naturam etiam angelicam sollicitat ad videndum. Tota conglomeratur angelorum frequentia, ut videat reginam sedentem a dextris Domini virtutum, in vestitu deaurato, in corpore semper immaculato, circumdatam varietate, virtutum multiplicitate distinctam. » Nisi ergo sint qui velint et disertis refragari maiorum sententiis, et discrimen inter ordinem redimentium atque redemptorum pessumdare, et ima summis praepostere commiscere; omnes fateantur oportet, nullo umquam halitu culpae sive originalis sive actualis eam fuisse corruptam, de qua [a]) Coptorum ecclesia gestiens canit: « Ornatus Mariae fulget in caelis altis ad dexteram dilecti sui, quem pro nobis deprecatur, sicut in psalmo David inquit, *adstitit regina dexterae tuae*, o rex. »

a) Theotoch. pag. 160. tetrast. 2-3.

Ⲉⲣⲉ ⲡⲥⲟⲗⲥⲉⲗ ⲙ̀Ⲙⲁⲣⲓⲁⲙ ϧⲉⲛ ⲛⲓⲫⲏⲟⲩ̀ⲓ ⲉⲧⲥⲁⲡϣⲱⲓ ⲥⲁ ⲟⲩ̀ⲓⲛⲁⲙ ⲙ̀ⲡⲉⲥⲙⲉⲛⲣⲓⲧ: ⲉⲥⲧⲱⲃϩ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⲉ̀ϩⲣⲏⲓ ⲉ̀ϫⲱⲛ ⳾ Ⲕⲁⲧⲁⲫⲣⲏϯ ⲉⲧⲁϥϫⲟⲥ ⲛ̀ϫⲉ Ⲇⲁⲩⲓⲇ ϧⲉⲛ ⲡⲓⲯⲁⲗⲙⲟⲥ ϫⲉ ⲁⲥⲟϩⲓ ⲉ̀ⲣⲁⲧⲥ ⲛ̀ϫⲉ ϯⲟⲩⲣⲱ ⲥⲁ ⲟⲩ̀ⲓⲛⲁⲙ ⲙ̀ⲙⲟⲕ ⲡⲟⲩⲣⲟ ⳾

vivi, origo principii; quia ille ex ea prodiit per materiam carnis, qui caput est et initium omnium rerum per essentiam divinitatis. » Et mox pag. 113. col. 2. D-E. infert: » Gaudeamus itaque et exsultemus in nativitate beatissimae Dei genitricis Mariae, quae novum mundo nuntiavit gaudium, et totius exstitit humanae salutis exordium. Exsultemus, inquam, et sicut gaudere solemus in nativitate Christi, ita etiam nihilo minus gaudeamus in nativitate matris Christi. Hodie nata est regina mundi, fenestra caeli, ianua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala caelestis per quam supernus rex humiliatus ad ima descendit, et homo qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit. Hodie apparuit stella mundo, per quam sol iustitiae illuxit mundo. Illa videlicet, de qua per prophetam (Num. XXIV.) dicitur: *orietur stella ex Iacob, et exsurget homo de Israel.* Hodie nata est splendidissima illa Virgo, de qua (Ps. XLIV.) processit *speciosus forma prae filiis hominum tamquam sponsus de thalamo suo.* Hodie prodiit ex utero matris, quae templum fieri meruit divinitatis. Hodie impleta est (Is. XI.) prophetia illa, *egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Et bene haec incomparabilis Virgo *virga* dicitur, quae et per intentionem desiderii ad superna emicuit, et per sinceritatem boni operis distortae nodositatis vitium non incurrit. De qua *virga* Redemptor noster quasi flos ascendit, qui martyribus et confessoribus suis totius orbis campos velut rosis et liliis decoravit. Singularis namque flos sanctae Ecclesiae ipse est, sicut de semetipso in Canticis canticorum (cap. II.) loquitur dicens: *ego flos campi, et lilium convallium.* Lilium vocatur Christus, lilium dicitur et mater Christi, sicut in eodem cantico subinfertur: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sicut lilium inter spinas, sic beatissima virgo Maria enituit inter filias: quae de nodosa propagine Iudaeorum nata candescebat munditia virgineae castitatis in corpore, flammescebat autem ardore geminae caritatis in mente, flagrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis. »

1) Serm. XL. in Virginis assumpt. pag. 97. col. 2. A.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De iis quae ex Psalmis XLV. 5-6. et LXIV. 5-6. testificatione maiorum ad Deiparam referuntur: considerantur ex ordine, illorumque commentariis in medium productis expoliuntur: quid sit consequens: quidve ad decus immaculati conceptus vindicandum rite ex omnium summa deducatur.

800. Multis non est opus ut quisque intelligat, psalmum quadragesimumquintum eo ex sese atque ἀμέσως pertinere ut doceatur, hostibus qui Ierusalem oppugnabant summa Dei virtute iam prostratis, Deum illi urbi praesidio esse, proindeque etiamsi omnia terribili motu concutiantur, nihil esse sub tanto praeside civibus timendum, idque praesenti re gesta luculenter commonstrari. Quod quidem tum aliis verbis, tum his [1]) nominatim edicitur: « Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, non commovebitur; adiuvabit eam Deus mane diluculo. » Scilicet [2]) ex paraphrasi Cardinalis Thomasii: « Dulces impetus aquarum leniter decurrentium [3]) fluminis Siloe nostram hanc Dei civitatem Ierusalem laetificant: in qua civitate tabernaculum illud suum sibi consecravit Altissimus. Deus est [4]) in medio eiusdem civitatis, quae [5]) propterea non concutietur hostium in-

1) Ps. XLV. 5-6. נָהָר פְּלָגָיו יְשַׂמְּחוּ עִיר־אֱלֹהִים קְדֹשׁ מִשְׁכְּנֵי עֶלְיוֹן׃ *Flumen* (et) *rivi eius recreant civitatem Dei* (Ierusalem), *sacrarium habitaculorum Excelsi*, ex omnibus namque terrae israeliticae locis, qui omnes Dei habitacula erant, selecta Ierusalem fuit, ut in ea princeps religionis sedes collocaretur. Sequitur comma sextum: אֱלֹהִים בְּקִרְבָּהּ בַּל־תִּמּוֹט יַעְזְרֶהָ אֱלֹהִים לִפְנוֹת בֹּקֶר׃ *Deus in medio eius* (illi adstat ut eius pericula depellat) *ne moveatur. Adiuvat eam Deus appetente mane*, mature, cito, exorientibus et veluti prospicientibus in mundum radiis solis.

2) Psalter. perpet. interpret. ornat. Ps. XLV. pag. 167. opp. T. III.

3) Aquae Siloes dicuntur *leniter fluentes* Is. VIII. 6. Nescio tamen an has ob oculos habuerit psalmi auctor, qui videtur id tantum significare voluisse quod habetur Is. LXVI. 12.

4) Haec verba in paraphrasi patrum apud Corderium pag. 869. ita explicantur: πῶς γὰρ ἔμελλε ταραχὴν ὑπομένειν πόλις, ἣν αὐτὸς ὁ κύριος κατοικεῖ; *Quomodo enim conturbaretur civitas, quam ipsemet Dominus inhabitat?* Praecedentia vero, ἡγίασε τὸ σκήνωμα αὐτοῦ ὁ ὕψιστος, *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, ita redduntur: ἡγίασεν οὖν αὐτὰ τὸ σκήνωμα, τουτέστι ἀνέπαφον ἐφύλαξεν, καὶ καθαρὸν πάσης βλάβης. *Sanctificavit igitur hoc ipsum tabernaculum, hoc est, intactum custodivit et purum omni noxa.*

5) In commentario patrum penes eumdem Corderium pag. 872. legimus: διὰ τοῦτο, οὐ μόνον οὐδὲν πείσεται δεινόν, ἀλλ' οὐδὲ σαλευθήσεται· τὸ δὲ αἴτιον, ὅτι ταχίστης ἀπολαύσεται συμμαχίας· τοῦτο γὰρ πρὸς πρωῒ διὰ τοῦ ἀναδιπλασιασμοῦ σημαίνει. *Propterea non solum nihil patietur mali, sed neque commovebitur. Caussa autem, quia celerrimum auxilium consequetur. Hoc enim illud* mane diluculo *per geminationem indicat.*

Digitized by Google

cursu: quam civitatem Deus adiuvabit [1]) multo mane et in ipso ortu aurorae, hora tempestiva ac maturate. »

801. Praeter hanc autem significationem, quam ex sese verba fundunt, quaeque ex serie ductuque psalmi sua sponte dimanat, aliam eamdemque intimiorem et priore adumbratam patres, scriptoresque ecclesiastici proposuerunt. Testes namque sunt Titus bostrensis [2]), Basilius [3]), Theodoritus [4]) et [5]) venerabilis Beda, verbis psalmi quae laudavimus, eam praemonstratam fuisse tutelam, qua Deus complexurus erat Ecclesiam, illique ita prospecturus ut invicta ipsa foret atque immota iugiter perseveraret. Dabo unius Bedae verba, quae tum profert cum psalmi titulum *in finem filiis Core, pro arcanis,* explanans inquit: « *In finem,* Christum significat; *filii core,* Christianos ex quorum persona psalmus iste cantatur; *pro arcanis* vero adventum Domini significat Salvatoris, quem divinitatis suae mirabili secreto pro hominum salute disposuit. *Filii Core,* qui fideles debent intelligi Christiani, primo membro psalmi non se timere profitentur conturbationes seculi, quia Deus refugium [6]) eorum probatur et virtus: *Deus noster refugium.* Secundo Christum dicunt apparere in medio Ecclesiae, qui eam in seipso tamquam in solidissima petra aedificavit: *fluminis impetus laetificat.* Tertio credentium turba generaliter invitatur ad divina miracula contuenda, dicentes

1) Agellius in comm. ad h. l. ait: « Vaticanus codex habet, τῷ προσώπῳ αὐτοῦ, *vultu suo*, hoc est, quum in medio ait et omnia in conspectu habeat, solo intuitu opem feret, sicubi auxilio opus esse viderit. Hanc interpretationem Augustinus sequitur et romanum psalterium, Ambrosius utramque. Aquila vertit, τῷ νεῦσαι πρωΐαν, *quum tempus ad diluculum vergit.* Symmachus, περὶ τὸν ὄρθρον, *sub diluculum*, in ipso ortu matutino. » Pleniora habet in adnotationibus Corderius pag. 883. scribens: « In graeco pro *mane diluculo* est τὸ πρὸς πρωὶ πρωί, *ad mane mane*, idest, valde mane. Hieronymus vertit, *auxiliabitur illi Deus in ortu matutino.* Symmachus περὶ τὸν ὄρθρον, *circa diluculum.* Aquila, τῷ νεῦσαι πρωΐαν, *cum vergit ad diluculum.* Sixtina editio, βοηθήσει αὐτῇ ὁ Θεὸς τῷ προσώπῳ αὐτοῦ, *adiuvabit eam Deus vultu suo.* Meminerunt huius versionis Arnobius, Ambrosius, et de graecis Cyrillus, illamque sequitur Augustinus, Cassiodorus, et psalterium romanum et Ecclesia in officio divino eadem utitur. Complexus est utramque versionem Apollinarius:

Ἐξ ἠοῦς ἐπίκουρον ἔχει πανεπίσκοπον ὄμμα·

Ex aurora auxiliarem habet providum oculum. Locus hic apprime quadrat in beatam Virginem quae *mane diluculo*, scilicet ipso primo instanti quo concepta vitam habuit, divino est praesidio adiuta, ne caderet in originale peccatum. *Alii enim*, inquit s. Bonaventura, *post casum erecti sunt, Virgo autem sustentata est ne caderet.* » Omitti postremo non debet, in catena apud Corderium pag. 679. Ipsum etiam exhiberi Originem ut qui legerit, βοηθήσει αὐτῆς τῷ προσώπῳ, *adiuvabit eam vultu*, et haec verba ita enarrarit: σώζει γὰρ αὐτῆς τὸ κάλλος ἄτρωτον, ἡνίκα παρὰ τῶν ἀντικειμένων ταράσσεται. *Illaesam namque servat eius pulcritudinem, quum ab adversariis impetitur.*

2) Orat. in ramos palmarum, pag. 635. B-D. apud Combefisium Auctar. T. I.

3) Apud Corderium in catena pp. graecorum ad hunc Psalmum, pag. 877. E.

4) Ap. eumd. pag. 677. D.

5) Apud card. Thomasium op. cit. pag. 166.

6) Hinc vetus Ecclesiae oratio a Thomasio descripta pag. 106. « Perspicuum in imminenti tribulatione refugium, misericors Deus, sanctifica impetu aeterni fluminis habitaculum cordis nostri, ut te Deo virtutum nobiscum cooperante, terrena praelia confutemus. Per Dominum. »

Digitized by Google

omnipotentem Deum arma nequitiae confringere, bella removere, et tristitiam fidelium in aeterna gaudia commutare. *Venite et videte opera Domini.* »

802. Porro cognatione rerum, usuque vulgatissimo, quo Virgo [1]) *civitas Dei* atque *Dei tabernaculum* appellari consuevit, factum est ut verba quae *proxime* ad Ierusalem et *mediate* ad Ecclesiam spectarent, ad ipsam quoque Deiparam protenderentur. Cuius quidem sive amplificationis sive accommodationis testes suppetunt neque pauci, neque obscuri. Inprimis enim testis est [a]) graeca ecclesia ubi canit: «Ave sanctificatum divinumque Altissimi tabernaculum; per te enim, o Deipara, gaudium collatum est exclamantibus, tu es inter mulieres benedicta, o Domina omni ex parte immaculata. » Quibus haec omnino [b]) respondent: « Tabernaculum sanctum, caelisque amplius, utpote quae receperis Verbum Dei quod ab universa creatura comprehendi non potest: tu sola semper Virgo apparuisti. »

803. Testis deinde est [c]) Iohannes euboeensis praesul, qui conceptam Virginem celebrans inquit: « Cantate et exsultate et psallite. Ecce enim devictus est diabolus qui naturam nostram sub suam tyrannidem redegerat. Ecce solium cherubico admirabilius adornatur in terra, de quo [2]) scriptum est, *Deus in medio eius et non commovebitur.* Ipsa enim est thronus et sedes et domicilium Emmanuelis atque universorum regis Christi. » Testis et Germanus constantinopolitanus episcopus, qui ut [d]) probet inter Virginis titulos eum etiam numerandum esse, quo ipsa uti *Dei civitas* salutatur, scribit: « Ap-

a) Antholog. in Ἀκολουθ. Ανωνυμ. pag. 81. col. 2. A. Τὸ τοῦ ὑψίστου ἡγιασμένον θεῖον σκήνωμα, χαῖρε· διὰ σοῦ γὰρ δέδοται ἡ χαρὰ, θεοτόκε, τοῖς κραυγάζουσιν· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν ὑπάρχεις, πανάμωμε δέσποινα.

b) Antholog. in Octoech. Σκηνὴ ἁγία, καὶ πλατυτέρα οὐρανῶν, ὡς τὸν ἐν πάσῃ ἀχώρητον τῇ κτίσει λόγον θεοῦ δεξαμένη, μόνη ἐδείχθης ἀειπάρθενος.

c) Orat. in Deiparae concept. Ἄισατε καὶ ἀγαλλιᾶσθε καὶ ψάλλετε· ἰδοὺ γὰρ νενίκηται ὁ τὴν ἡμετέραν φύσιν τυραννίσας διάβολος· ἰδοὺ γὰρ θρόνος θαυμαστότερος τοῦ χερουβικοῦ ἐπὶ γῆς ἑτοιμάζεται· περὶ ἧς γέγραπται· ὁ θεὸς ἐν μέσῳ αὐτῆς, καὶ οὐ σαλευθήσεται· αὐτὴ γὰρ θρόνος καὶ χωρίον καὶ οἰκητήριον τοῦ Ἐμμανουὴλ καὶ παμβασιλέως Χριστοῦ.

d) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1315. D. apud Combefisium Auctar. T. I. Καλεῖται πόλις· δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σοῦ, ἡ πόλις τοῦ θεοῦ· τοῦ ποταμοῦ τὰ ὁρμήματα εὐφραίνουσι τὴν πόλιν τοῦ θεοῦ· ὁ θεὸς ἐν μέσῳ αὐτῆς, καὶ οὐ σαλευθήσεται.

1) nn. 469. sqq. 508. sqq.

2) Ps. XLV. 6.

Digitized by Google

pellatur [1]) civitas, *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei: Fluminis impetus laetificant civitatem Dei, Deus in medio eius et non commovebitur.* » Et testes sunt Iohannes damascenus atque Andreas cretensis, quorum ille [a]) post exquisitissima encomia Virgini delata, eamdem alloquens pergit: « Tota thalamus Spiritus, tota [2]) civitas Dei vivi quam laetificant fluminis impetus, sancti inquam Spiritus gratiarum fluctus. Tota pulcra, tota Deo propinqua: haec enim cherubim superans et super seraphim evecta, proxima Deo exstitit. » Tum [b]) exclamat: « O miraculum omnibus miraculis excellentius! Sileat sapientissimus Salomon, nec iam nihil sub sole novum esse [3]) affirmet. O virgo divinis gratiis affluens, templum Dei sanctum, quod spiritalis Salomon, ille princeps pacis ab se constructum inhabitavit. » Porro [c]) Andreas cretensis, relata [4]) Gabrielis salutatione, *benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui,* subdit, « Ac vere quidem benedicta, nam benedixit te Deus [5]) suum tabernaculum, quando paterna gloria eximie plenum hominem Christum Iesum eumdemque Deum, ex quibus et in quibus perfectus constat naturis, incomprehensa ratione utero gestasti. »

804. Accedunt hinc quidem pseudo-Athanasius, qui et ipse verba [6]) *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus,* de Virgine [7]) intelligit, deque eximia eiusdem innocentia interpretatur; inde autem [d]) Theodotus ancyranus qui adversarios refellens divinae ma-

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 848. B. Ὅλη παστὰς τοῦ πνεύματος· ὅλη πόλις θεοῦ ζῶντος, ἣν εὐφραίνουσι τοῦ ποταμοῦ τὰ ὁρμήματα, τῶν τοῦ ἁγίου πνεύματος χαρισμάτων κύματα· ὅλη καλὴ, ὅλη πλησίον θεοῦ· αὕτη γὰρ ὑπεραναβᾶσα τὰ Χερουβὶμ, καὶ τῶν Σεραφὶμ ὑπεραρθεῖσα πλησίον θεοῦ ἐχρημάτισεν.

b) Ibid. §. X. pag. 848. B-D. Ὦ θαῦμα πάντων θαυμάτων ὑπέρτερον (al. καινότατον) σιγάτω Σολομὼν ὁ σοφώτατος, καὶ μὴ λεγέτω, μηδὲν καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον. ὦ παρθένε θεοχαρίτωτε, ναὸς θεοῦ ἅγιος, ὃν ὁ πνευματικὸς Σολομὼν, ὁ εἰρηνάρχης κατασκευάσας κατῴκησεν.

c) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 103. A-C. apud Gallandium T. XIII. Καὶ εἰκότως εὐλογημένη· εὐλόγησε γάρ σε ὁ θεὸς τὸ αὐτοῦ σκήνωμα, ὅτε τὸν ὑπερπληρῆ τῆς πατρικῆς δόξης ἄνθρωπον Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν αὐτὸν καὶ θεὸν, ἐν τελειότητι τῶν ἐξ ὧν καὶ ἐν αἷς συνέστηκε φύσεων, ἀπεριλήπτως ἐκυοφόρησας.

d) Orat. in Deiparam et in Symeonem §. V. pag. 481. C-E. apud Gallandium T. IX. Λέγε τοίνυν ἡμῖν πυνθανομένοις, οὗτοι δὲ πότερον συντίθεσαι· κἂν Ἰουδαϊκῶς τῇ ἱερᾷ νομο-

1) Ps. LXXXVI. 3. coll. Ps. XLV.
2) Ps. XLV. 5.
3) Eccli. 1. 10.
4) Luc. 1. 28.
5) Ps. XLV. 5.
6) Ibidem.
7) Orat. in Deiparae annuntiat. n. 10. p. 398. C-E. opp. T. II.

ternitatis qua maxima Virginis gloria continetur, scribit: « Cedo igitur percontantibus nobis, utrum ne vel sensu iudaico, ut virum ita et Adae coniugem intemeratis opificis manibus conditam, dicenti legi divinae assentiris? Et siquidem negaveris, nonne propalam a nobis et Scripturis extraneus exsistis? Sin autem affirmaveris, quid stulte a veritate dissentis, Deique placitum in sanctissima Virgine ad communem salutem provide dispositum detrectas atque renuis? Qui enim antiquam illam virginem sine probro condidit, ipse et secundam sine noxa et crimine fabricatus est: quique quod est deforis, pulcre fecit, etiam quod intus est ad domicilium animae sancte perornavit. » E quibus [a]) infert: « Quod itaque suavissimum et inprimis delectabile Deo visum est, quid tu iudaicae vanitatis sermonibus ceu turpissimum, universorum ipse multo turpissime, subvertere praesumis? Sane vero, o attonite atque insipientissime, *tu* [1]) *quis es, qui respondeas Deo?* » Hinc ad sermonis caput summamque regressus [b]) pergit: « Nam si etiam decori Deo est ut finxerit, quemadmodum ut et in proprio figmento inhabitarit, sicut tu dicis;

θεσίᾳ, ἀχράντοις τοῦ δημιουργοῦ χερσὶ, διαπεπλάσθαι τὴν ὁμόζυγον τοῦ Ἀδὰμ φασκούσῃ, καθάπερ τὸν ἄνδρα· καὶ εἰ μὲν τὸ, οὔ, φῇς· οὐ δήλως ὑπάρχεις ξένος ἡμῶν καὶ τῶν γραφῶν ἀλλότριος; ἢ δὲ τὸ, ναὶ, συμφῇς· τί ἀνοήτως διαφέρῃ πρὸς τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἀφηνιάζεις καὶ ἀπαναίνῃ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θεοῦ, τὴν ἐν παναγίᾳ παρθένῳ ἐπὶ κοινὴν σωτηρίαν οἰκονομηθεῖσαν, ὁ γὰρ δημιουργήσας τὴν πάλαι παρθένον ἀνυβρίστως, αὐτὸς καὶ τὴν εἰς δευτέραν ἐτεκτήνατο ἀναμώμως· καὶ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν ὡραίως, αὐτὸς καὶ τὸ ἔσωθεν κατεκόσμησεν εἰς κατοικητήριον ψυχῆς εὐαγῶς.

a) Ibid. §. V. pag. 461. D-E. Τὸ τοίνυν προσηνέστατον καὶ περιχαρέστατον ὀφθὲν τῷ θεῷ, πῶς ὡς ἂν αἴσχιστον αἰσχιστότατε πάντων, συνανατρέπειν τολμᾷς; μενοῦν γε γὰρ ὦ φρενόβλαβε καὶ ἀφρονέστατε· σὺ τίς εἶ ὁ ἀποκρινόμενος τῷ θεῷ;

b) Ibid. §§. V-VI. pag. 461. D-E. et pag. 462. A-C. Εἰ γὰρ καὶ τὸ πλάσαι ἀνύβριστον θεῷ, καθὼς καὶ τὸ ἐνοικῆσαι ἐν τῷ ἰδίῳ πλάσματι, ὥσπερ σὺ φῇς, καὶ τὸ κατασκηνῶσαι δόξαν· καί περ καὶ τὸ πλάσεως, αἱ θεῖαι διαλαμβάνουσι γραφαί· οὐδὲν γὰρ τῷ θεῷ φίλον, ἄτιμον καὶ ἐφύβριστον· ἄπαγε· ἐξομολόγησις γὰρ καὶ μεγαλοπρέπεια, τὸ θεῖον αὐτοῦ καὶ πολυύμνητον ἔργον, ὡς γέγραπται· δεῖ τοίνυν θάτερον, ἢ ὡς τὴν διάπλασιν τῆς Εὔας πρὸς τοῦ θεοῦ γεγενῆσθαι ὁμολογῶν προθύμως καὶ εὐγνωμόνως· καὶ τὴν ῥηθεῖσαν αὐτῷ πανσόφως ἐκ παρθένου σάρκωσιν ἀποδέχου καὶ προσκύνει ὃν τρόπον οἱ εὐσεβεῖς, εἴπερ βούλῃ τούτων μέτοχος εἶναι· ἤτοι Ἰουδαϊκὸν περίθου σεαυτῷ καὶ ἄπιστον ὄνομα, ὡς ἐν ἐκείνοις τελῶν· χριστιανοὶ γὰρ πειθήνιοι τῷ θεῷ τυγχάνοντες, ταῖς τῶν προφητῶν ἀκούουσι θεοπνεύστοις προῤῥήσεσιν, οὕτω περὶ τῆς πανυμνήτου παρθένου πανταχοῦ βοώσαις· ἡγίασε τὸ σκήνωμα αὐτοῦ ὕψιστος· ὁ θεὸς ἐν μέσῳ αὐτῆς, καὶ οὐ σαλευθήσεται.

1) Rom. IX. 20.

Digitized by Google

etiam fuerit quod [1]) manere visus sit. Quamquam quod spectat ad fictionem, complectuntur et tradunt divinae Scripturae. Nihil quippe quod Deo sit amicum, ignominiam aut probrum habet. Apage; *confessio* [2]) enim *et magnificentia* divinum eius et laudatissimum opus. Duorum igitur alterutrum necesse est, aut velut qui Evae a Deo formationem prompte probeque confitearis, etiam quae de illo sapientissime dicta est, ex Virgine incarnationem, piorum more suscipe et adora, si modo illorum vis esse particeps: aut tibi ipse iudaei et infidelis, velut qui illis accensearis, nomen impone. Nam Christiani, quippe Deo morigeri obaudiunt divinitus inspiratas prophetarum praedictiones ita ubique [3]) de laudatissima Virgine clamantes: *sanctificavit tabernaculum suum altissimus; Deus in medio eius, non commovebitur.* Et [4]) iterum: *homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* »

805. Denique Methodius [a]) eorum omnium, quorum hucusque meminimus, antiquissimus, celebratis Unigeniti laudibus, ad Deipa-

a) De Symeone et Anna §. IX. pagg. 813. D-E. et 814. H. apud Gallandium T. III. Τί δὲ πρὸς σὲ φθέγξομαι ὦ μῆτερ παρθένε, καὶ παρθένε μῆτερ; ἧς γὰρ τὸ ἔργον οὐκ ἀνθρώπινον, ταύτης καὶ ὁ ἔπαινος ὑπὲρ ἄνθρωπον· διὸ τῆς ἀπορίας τὸ σκυθρωπὸν, ἐκ τῶν τοῦ πνεύματος περὶ σὲ καταλαμπρύνω γέρων, καὶ τὰ σὰ σοὶ προσκομίζων, ἐκ λειμώνων ἀθανάτων τὴν ἱερὰν σου καὶ θεοστεφῆ ἀνυμνήσω κάραν· πατρικοῖς σε ὕμνοις προσφθέγξομαι, θύγατερ Δαβίδ, καὶ μῆτερ τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ Δαβίδ· αἰσχρὸν γὰρ ἅμα καὶ ἀνεύφημον ἀλλοτρίοις κόσμοις κοσμῆσαι τὴν τῇ οἰκείᾳ δόξῃ διαφέρουσαν· δέχου τοίνυν, εὐμενεστάτη, δῶρα τίμια, καὶ σοὶ μόνῃ ἁρμόδια, ὦ πασῶν γενεῶν ὑψηλοτέρα, καὶ πάντων ὁρατῶν καὶ ἀοράτων δημιουργημάτων τιμιωτέρα φανεῖσα· μακαρία ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ, καὶ

1) Propemodum diceret, si in Dei contumeliam non cedit quod mulierem finxerit, atque in ea habitaverit; neque in Dei contumeliam cedit si vere et hypostatice humanam sibi naturam copulaverit.

2) Ps. CX. 3.

3) Ps. XLV. 5.

4) Ps. LXXXVI. 5. Ad haec ipsa testimonia respicit Matthaeus cantacuzenus, ubi explanans verba Cant. I. 10. ὁμοιώματα χρυσίου ποιήσομέν σοι μετὰ στιγμάτων τοῦ ἀργυρίου, ἕως οὗ ὁ βασιλεὺς ἐν ἀνακλίσει αὐτοῦ, *similitudines auri faciemus tibi cum punctis argenteis, donec rex fuerit in accubitu suo,* inquit Comm. in Cantic. pag. 9. τὴν στάμνον δηλονότι, καὶ τὸ χρυσοῦν θυμιατήριον, καὶ πάντα τὰ διὰ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου κατασκευασθέντα ἔν τε τῇ τοῦ μαρτυρίου σκηνῇ, καὶ ἐν τῷ παρ' αὐτοῦ οἰκοδομηθέντι ναῷ τοῦ θεοῦ· ταῦτα γὰρ πάντα ὁμοιώματα καὶ τύποι προϋπῆρχον τῆς ἀληθινῆς τοῦ θεοῦ κιβωτοῦ· τῶν δὲ ἀληθινῶν γεγονότων, οὐκ ἔτι χρεία τῶν τυπικῶν· εἴρηκε γὰρ, ἕως οὗ ὁ βασιλεὺς ἐν ἀνακλίσει αὐτοῦ· τουτέστι, μέχρις ὅτου τὸ πέρας φθάσει τῆς ἐμῆς προφητείας, καὶ ὁ τῶν ἁπάντων βασιλεὺς Χριστὸς, ὁ σωτὴρ ἀναπαύσεται ἐν τῇ τῆς παρθένου νηδύϊ. *Urnam videlicet et aureum thuribulum, et omnia aurea argenteaque vasa comparata tam in tabernaculo testimonii, quam in Dei templo ab ipso aedificato; ea namque omnia similitudines et figurae praeextiterunt verae Dei arcae. Veritate autem accedente, non iam figuris opus erat; dixit enim,* donec rex fuerit in recubitu suo, *hoc est, donec terminus ipse meae prophetiae expleatur, et omnium rex Christus Salvator in ipso Virginis requiescat utero.* Similia docet in scholiis ad Cant. II. 4. ubi de Virgine scribit pag. 14. Αὕτη γὰρ μόνη ἐν τοῖς τῶν ἁγίων ἁγίοις ἔσχε τὴν οἴκησιν· ὡς καθαρωτάτη σκηνὴ τοῦ θεοῦ καὶ λόγου. *ipsa namque sola in sanctis sanctorum habuit domicilium, utpote Dei atque Verbi purissimum tabernaculum.*

Digitized by Google

ram continuo progressus inquit: « Ad te vero quid dicam, o mater virgo, et virgo mater? Cuius enim opus non humanum est, eius et laudatio hominem excedit. Quamobrem paupertatis heic meae obscuritatem tuis a Spiritu honoribus donisque illustrabo, tuaque tibi offerens e pratis immortalibus tuum sacrum et a Deo coronatum caput dilaudabo. Patriis te canticis, filia David, materque Domini et Dei David, salutabo. Turpe enim fuerit, atque adeo inauspicatum, ut alienis orneris quae propria gloria praecellas. Accipe igitur, benignissima, dona pretiosa tibi soli convenientia, o cunctis celsior generationibus, quaeque inter creata omnia tum visibilia tum invisibilia multis numeris honoratior enituisti. Felix radix Iesse, et beatissima domus David in qua germinasti. *Deus* [1]) *in medio tui, et non commoveberis; sanctificavit enim tabernaculum suum Altissimus.* In te enim ad patres nostros testamenta iuramentaque Dei finem gloriosissimum acceperunt; quia per te Dominus factus est Deus virtutum nobiscum. » Hinc commemoratis magno numero [2]) typis, quibus Virgo praemonstrata fuit, orationem absolvit [a]) his verbis: « Omnia namque cesserunt, tuaeque illi divinae imagini exprimendae imparia succubuerunt. »

806. Aperta igitur testificatione maiorum compertum est, referri ad Virginem deque Virgine intelligi ea psalmi verba consuevisse, quibus eadem nuncupatur tum *civitas Dei quam fluminis impetus laetificant,* quum *tabernaculum quod Altissimus sanctificavit* et a ceteris omnibus ita secrevit, ut *in eius medio versans et primo statim diluculo sua illud ope defendens, non tulit ut vel brevissimo temporis intervallo commoveretur.* Haec autem non obscure demonstrant quid ipsi *de Virginis originibus* existimarint. Existimarunt nimirum tribui illas Deo oportere, qui Virgini a primo statim exortu praesto fuerit, illamque utpote exstituram Unigeniti

τρισμακάριστος ὁ οἶκος Δαβίδ, ἐν ᾧ ἐβλάστησας· ὁ Θεὸς ἐν μέσῳ σου, καὶ οὐ σαλευθήσῃ· ἡγίασε γὰρ τὸ σκήνωμα αὐτοῦ ὁ ὕψιστος· ἐν σοὶ γὰρ διαθῆκαι καὶ ὁρκωμοσίαι θεοῦ πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, τέλος εὐκλεέστατον ἐδέξαντο, ὅτι διὰ σοῦ γέγονε κύριος, ὁ θεὸς τῶν δυνάμεων μεθ' ἡμῶν.

a) Ibid. §. IX. pag. 815. A. Πάντα γὰρ εἶκον τε καὶ ὑπέκυπτον τῇ σῇ θείᾳ εἰκόνι ἐκνικώμενα.

1) Ps. XLV. 5-6.

2) Ex. III. 2, XVII. 6, XXV. 8, XXXII. 1, Num. XVII. 8, IV. Reg. II. 11-20, IV. 41, Eccl. XLVIII. 1, Hebr. IX. 4.

tabernaculum sanctificaverit, ac nullatenus siverit ut hostium impetu commota labefactaretur. Atque huc sane redeunt quae suis enarrationibus complectuntur: quae I. complectuntur quum docent, *in ipso Mariae conceptu adornatum fuisse solium cherubico admirabilius:* quum II. docent, *Mariam primum exstitisse veluti templum a spiritali Salomone aedificatum, et veluti civitatem cui Deus suo numine adfuit ne oppugnata commoveretur:* quum III. docent, *apparuisse Mariam ceu rem sub sole novam, ceu miraculum miraculorum, ceu gratiis affluentem, proindeque totam pulcram et totam Deo propinquam:* quum IV. docent, *non aliter a Deo conditam fuisse Mariam, ac ex impollutis eius manibus prior Eva prodierit:* quum V. docent, *nullum propterea dedecus ex procreata Maria in Deum dimanasse, quod ea tamquam opus ipsius Dei amicum condita fuerit:* quum tandem VI. docent, *initia triumphi de Satana per Christum plenissime referendi, una cum Mariae originibus atque primordiis incepisse.* Neque enim horum doctrinae capitum vel unum est, quod aut cum facto originalis culpae quam Virgo contraxerit, componi utcumque possit, aut ab ipsa Virgine factum contractae originalis culpae non longissime amandet.

807. Ut enim ex sententia maiorum de Unigenito loquens scribit [1]) beatus Petrus Damiani: « Antequam nasceretur, talem creavit eam, ut ipse digne nasci potuisset ex ea, de qua propheta David multo ante [2]) praedixerat, *mater Sion dicet, homo, et homo factus est ex ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* » Quod praeclare explanat [3]) Eckbertus quum de typis agens Virginem praemonstrantibus, inter cetera ait: « Arca quoque testamenti typum tenet sanctae Dei genitricis. Illam fecit Bezeleel, istam condidit Emmanuel. Bezeleel Oliab in opere socium habuit; et Virgo virginum quoque condita, praeelecta, praeservata, praeparata et ornata per Spiritum sanctum et eius omnipotentem Filium fuit. Bezeleel interpretatur umbra Dei, Oliab protectio mea: prior ille Spiritus sancti, iste vero typum tenet Filii. Bezeleel ergo cum socio arcam testamenti fabricavit; sancta quoque Trinitas Virginem sibi sanctificavit ac templum sanctissimum consecravit, hospitiumque mundissimum sibi praeparavit, thalamum quoque de quo sponsus prae filiis hominum speciosus ad

1) Serm. XLVI. in Deiparae nativit. p. 113. col. 2. B-C.
2) Ps. LXXXVI. 5.
3) Serm. de beata Maria n. 9. pag. 707. A-E. inter opp. Bernardi T. V.

publicum procederet, decenter praeornavit. Pater ergo in consecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus sanctus caritatem. Pater exhibuit potentiam, Filius sapientiam, Spiritus sanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus sanctus caritatem erga Deum et proximum. Haec dicens, opera vel dona Trinitatis non divido, sed fideliter inseperabilia assero. Sicut enim in essentia unitas, ita in operatione identitas. » Legit ergo maiorum vestigia [1]) Petrus Montius, quum de verbis [2]) psalmi, *sanctificavit tabernaculum suum Altissimus,* scripsit: « Ubi David dicit, *fluminis impetus laetificat civitatem Dei*, videtur quod de Domina nostra loquatur; et ad hunc finem in Officio et solemnibus vel commemorationibus beatae Mariae canit Ecclesia: *fluminis impetus laetificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius, non commovebitur; adiuvabit eam Deus mane diluculo.* Et principio dixerat, quod cum velocitate eam laetificaverit; quam si prius labi sivisset, quamvis denuo adiuvaret, non velociter nec tempestive, sed nimium sero exstitisset. »

808. Cum his autem rerum ac prope etiam verborum affinitate cohaerent, quae veteres christiani scriptores de verbis [3]) psalmi, *replebimur in bonis domus tuae; sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate,* litteris consignarunt. Quisquis enim illorum opera inspexerit, duo facile animadvertet: et principio quidem non omnino paucos reperiri, qui verba, *sanctum* [4]) *est templum tuum, mirabile in aequitate,* ad Virginem accommodarint: deinde vero haec eadem verba ad Virginem accommodata sic enarrari atque exponi, ut illius puritas numquam laesa, et illius innocentia numquam maculata significetur. Sane quemadmodum verba de quibus loquimur, ad Virginem referunt Eckardus, Anselmus, Matthaeus cantacuzenus, Iohannes damascenus, Modestus et Hesychius hierosolymitani, Basilius seleuciensis, vulgatus Epiphanius et Cyrillus

1) Ps. XLV. 5.

2) De unius legis veritate lib. 1. cap. LXXIII.

3) Ps. LXIV. 5-6. Ab hac incisorum distinctione et coniunctione, quam praeferunt editiones alexandrina et vulgata, nonnihil distat hebraicus textus qui sic habet: *replebimur in bonitate domus tuae, sanctitatis templi tui. Mirabiliter in aequitate exaudi nos Deus salutaris noster.*

4) Idest, sanctum, maiestatis plenum ac religionis est templum tuum: mirabile ac venerabile in aequitate, in eo enim illustria signa et admirabilia indicia aequitatis, iustitiae, clementiaeque tuae crebro edidisti. Commentarius Heracleotae apud Corderium pag. 261. est huiusmodi: ἁγιασμοῦ γὰρ πλήρης ὁ σὸς ναός, καὶ τὴν σὴν δικαιοσύνην διὰ τῶν σῶν λογίων διδάσκει τοὺς προσιόντας. *Tuum namque templum sanctitate plenum est, tuamque iustitiam per oracula tua eos docet qui accedunt.*

alexandrinus; ita de ea Virginis innocentia deque ea sanctitate interpretantur, quae ad ipsas quoque eiusdem origines primumque conceptum semet porrigat.

809. Quae quidem ne a nobis temere dicta atque inconsulto affirmata videantur, dignus est qui omnium primus audiatur Eckardus [1]) scribens: « Iam ergo uterum tuum, Domina, velut sacratissimum [2]) Dei vivi templum totus mundus veneratur, quia in eo salus mundi initiata est, ibi decorem indutus est Dei Filius, ac praeelectae sponsae suae Ecclesiae formosus in stola candida exsultanter occurrit, desideratum diu osculum porrexit, ac praedestinatas a seculo nuptias virgo cum virgine praelibavit. Ibi ruptus est paries inimicitiarum, quem inter caelum et terram protoplastorum inobedientia construxerat. Ibi confoederata sunt terrenis caelestia. Ibi divini consilii providentia inescatus est hamus, qui ad extrahendum serpentem antiquum in hoc mare magnum de caelo traiectus est. Inde egressa est armilla aurea, ut perforaretur maxilla Leviathan, ut evomeret mortuos non suos, quos ab origine mundi secure deglutiverat. » Dignus est qui deinde audiatur [3]) Anselmus in precibus ad Deiparam fusis exclamans: « O intemerata et in aeternum benedicta, specialis et incomparabilis virgo Dei genitrix Maria, gratissimum [4]) Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, ianua regni caelorum, per quam post Deum totus vivit orbis terrarum. » Et [5]) rursum: « O beata Dei genitrix virgo Maria, templum Dei vivi, aula regis aeterni, sacrarium Spiritus sancti. Tu virga de radice Iesse, tu cedrus de Libano, tu rosa purpurea in Iericho, tu cypressus in monte Sion, quae singulari privilegio sicut nescis in omnibus comparationem, ita nihilo minus et angelicam superas dignitatem. »

810. Cum utroque consentiens [a]) Matthaeus cantacuzenus in cantici commentario sic habet: « Iudaeorum quidem populus ut im-

a) Comm. in Cant. II. 14. pag. 19. Ὁ μὲν τῶν Ἰουδαίων λαὸς, ὡς ἀκάθαρτος ἐξεβλήθη παρὰ θεοῦ· ἡ δὲ πανάμωμος παρθένος, ἅτε καθαρώτατος οὖσα ναὸς, εἰς κατοικίαν ἑαυτῷ ἀφώρισται, καί φησι πρὸς αὐτήν· ἐλθὲ σὺ περιστερά μου ἐν σκέπῃ τῆς πέτρας, ἐχόμενα τοῦ προτειχίσματος· ἤγουν, ἐλθὲ ἕνεκα τοῦ περιβάλλεσθαί με σάρκα, κεκοινωνηκυῖαν ὡσαύτως ἅπασιν τῶν ἀδιαβλήτων παθῶν.

1) Sermo panegyric. in beatam Virginem, n. 3. pag. 701. D-F. inter opp. Bernardi T. V.

2) Ps. LXIV. 5.

3) Orat. LII. pag. 282. col. 1. C-D.

4) Ps. LXIV. 5.

5) Orat. LIV. pag. 283. col. 1. D. et col. 2. C.

mundus a Deo est reprobatus; Virgo autem omni ex parte labis expers, tamquam purissimum templum, in ipsius electa est domicilium, ad quam dicit: *veni tu columba mea in tegmine petrae, iuxta propugnaculum;* videlicet veni ut tu me carne vestias, quo perinde sim ac ceteri particeps irreprehensibilium passionum. » Eadem perspicuitate Iohannes damascenus nunc quidem [1]) verba psalmi ad Virginem nude refert, nunc vero [a]) non citra adiectum commentarium scribit: « Ave templum, purissime fabricata domus Domini, de qua David [2]) ait, *sanctum est templum tuum mirabile in iustitia:* ex qua sibi Christus corporis templum exstruens, templa Dei vivi mortales effecit. »

811. Succedit [b]) Modestus qui Virginis ornamenta recensens ait: « Ave multum Deo desiderabilis, vivum incomprehensibilis Altissimi templum, in quo increata et subsistens Sapientia Dei Patris inhabitavit, suique corporis templum Christus Deus aedificavit, qui suam in te requiem ad universalem salutem invenit, teque sibi complacuit ad aeternam et gloriosissimam sui requiem assumere. » Hesychius vero hierosolymitanus presbyter [c]) haec Gabrieli Virginem alloquenti verba tribuit: « Quia munda es a concubitu nuptiali, quia templum incorruptum, et tabernaculum ab omni labe integrum conservasti; et Pater hospitatur apud te, et Spiritus sanctus obumbrat, et assumpta carne Unigenitus ex te nascitur. » Neque aliter [d]) Basilius seleuciensis qui archangeli [3]) salutationem, *Domi-*

a) Orat. II. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 854. C. Χαῖρε ναὲ, τὸ καθαρότευκτον κυρίου δῶμα, περὶ οὗ φησιν ὁ Δαβίδ· ἅγιος ὁ ναός σου, θαυμαστὸς ἐν δικαιοσύνῃ, ἐξ οὗ ναουργῶν Χριστὸς ἑαυτῷ τὸ σῶμα, ναοὺς δείκνυσι τοὺς βροτοὺς θεοῦ ζῶντος.

b) Encom. in Deiparam, §. X. pag. 39. Χαίροις περιπόθητε θεῷ, ἔμψυχε ναὲ τοῦ ἀχωρήτου ὑψίστου, ἐν ᾧ ἡ ἄκτιστος ἐνυπόστατος σοφία θεοῦ πατρὸς ἐνοικήσασα, ᾠκοδόμησε τὸν ναὸν τοῦ σώματος αὐτοῦ Χριστὸς ὁ θεὸς, ὁ τὴν ἑαυτοῦ ἀνάπαυσιν εὑρὼν ἐν σοὶ εἰς παγκόσμιον σωτηρίαν, καὶ προσλαβεῖν σε εὐδοκήσας εἰς τὴν αἰωνίαν πανένδοξον αὐτοῦ ἀνάπαυσιν.

c) Orat. de laudibus Virginis, pag. 424. B-C. in Biblioth. pp. greco-lat. T. II. Ἐπειδὴ καθαρὰ τυγχάνεις κοίτης γαμικῆς, ἐπειδὴ τὸν ναὸν ἄφθαρτον, καὶ τὴν σκηνὴν ῥύπου παντὸς ἐλευθέραν ἐτήρησας, καὶ ὁ πατὴρ ἐπιδημεῖ σοι, καὶ τὸ πνεῦμα ἐπισκιάζει, καὶ μετὰ σαρκὸς ἐκ σοῦ ὁ μονογενὴς τίκτεται.

d) Orat. in sanctam Deiparam, pag. 591. B-C. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἐπει-

1) Orat. I. in Deiparae dormit. §. XII. p. 866. E. ubi ad Virginem coniunctim accommodat quae leguntur in Psalmis XLIII. 5, LXIV. 5-6, et LXVII. 7.

2) Ps. LXIV. 5.

3) Luc. I. 28.

Digitized by Google

nus tecum, hoc commentario explanat: « Quia templum exsistis vere Deo dignum innocentiae aromatibus bene olens, magnus in te [1]) inhabitabit pontifex qui secundum ordinem Melchisedech sine matre est ac sine patre: ex Deo Patre sine matre, ex te matre sine patre. »

812. Porro vulgatus Epiphanius [a]) ubi de Virginis parentibus sermonem habet, inter cetera ait: « Ioachim exponitur praeparatio Domini, eo quod ex illo praeparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna vero gravida effecta caelum et thronum cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam. » Cyrillus denique alexandrinus [b]) Mariam extollit his verbis: « Salve Maria, templum indissolubile, seu potius sanctum, quemadmodum clamat propheta David [2]) dicens: *sanctum est templum tuum mirabile in iustitia.* »

813. Constat igitur, et abunde constat usum obtinuisse, ut verba psalmi, *sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate*, ad Virginem referrentur. Quare in psalterio [3]) cui Anselmi nomen inscribitur, legimus:

» Ave caelestis mansio
» De cuius templi medio
» Suscepimus incarnatam
» Dei misericordiam.
» Ave caeli introitus,
» Divina habitatio;
» Cuius est nobis Filius
» Et frater et redemptio.

Et [4]) rursum:

» Ave templum gratiarum
» Omnium capabile,
» Ave cuius peccatores
» Pascunt eleemosynae.

In solemnibus autem Graecorum Officiis Deipara [c]) his aut similibus

δὴ ναὸς ὑπάρχεις ὄντως ἀξιόθεος τοῖς τῆς ἁγνείας ἀρώμασιν εὐωδιαζόμενος, ὁ μέγας ἐν σοὶ κατοικήσει ἀρχιερεύς, ὁ κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, ἀμήτωρ καὶ ἀπάτωρ· ἀμήτωρ ἐκ θεοῦ πατρός· ἀπάτωρ ἐκ σοῦ τῆς μητρός.

a) Orat. de laudibus Virginis pag. 292. A. inter opp. Epiphanii T. II. Ἰωακεὶμ ἑρμηνεύεται ἑτοιμασία κυρίου· ἐξ αὐτοῦ γὰρ ἡτοιμάσθη ναὸς κυρίου, ἡ παρθένος· κυοφορήσασα δὲ Ἄννα, οὐρανὸν καὶ θρόνον χερουβικὸν ἔτεκε, τὴν ἁγίαν κόρην Μαρίαν.

b) Encom. in s. Mariam Deiparam pag. 380. D. opp. T. V. P. II. Χαίροις Μαρία, ὁ ἀκατάλυτος ναὸς, μᾶλλον δὲ ἅγιος, καθὼς βοᾷ ὁ προφήτης Δαβὶδ λέγων· ἅγιος ναός σου, θαυμαστὸς ἐν δικαιοσύνῃ.

c) Antholog. in Octoech. pag. 19. col. 1. B. Ναὸς τοῦ θεοῦ ἀνεδείχθης, ἔμψυχον χωρίον, κιβωτός τε· τὸν ποιητὴν τοῖς βροτοῖς γὰρ, θεογεννῆτορ ἄχραντε, κατήλλαξας.

1) Hebr. VII. 3.
2) Ps. LXIV. 5-6.
3) Psalt. pag. 304. col. 3. D.
4) Ibid. pag. 306. col. 1. C-D.

praeconiis celebratur: « Dei templum, animatum habitaculum et arca ostensa es; tu enim, o intemerata Dei genitrix, creatorem cum mortalibus reconciliasti. Purum, o Maria virgo mater, apparuisti templum Christi summa virtute ac sapientia omnia sustentantis, ordinantis atque ferentis. Te Dei templum et arcam et animatum thalamum et caelestem portam, o Deipara, fideles annunciamus. » Et [a]) rursum: « Salve Maria Deipara, templum indissolubile, immo vero sanctum, quemadmodum propheta exclamat: sanctum templum tuum, mirabile in aequitate. »

814. Iamvero non minori evidentia constat, haec eadem verba sic enarrari de Deipara consuevisse, ut illius innocentia ab ipsius originibus intaminata ostenderetur. Sane non modo Virgo templum Dei illudque admirabile nuncupatur, sed praeterea dicitur *templum sacratissimum, incorruptum, intemeratum, purissimum, gratissimum, ab omni naevo liberum, innocentiae aromata spirans, Deoque vere dignum.* Ad haec Virgini defertur *quod templum fuerit purissime fabricatum; quod ex Ioachimo et Anna uti templum et caelum et thronus cherubicus prodierit; et quod ex immundo Iudaeorum populo ipsa munda emerserit, nullius conscia labis, et idcirco in templum selecta e quo suum vicissim templum Unigenitus assumeret.* Tandem inter Virginis praerogativas numeratur, *quod ipsa singulari privilegio nesciat in omnibus comparationem; quod in ipsa Deus ad universalem salutem invenerit requiem; quod in ipsa cum terrenis confoederata sint caelestia; et quod per ipsam post Deum totus vivat orbis terrarum.* Haec autem neque sibi constarent, neque vera ullatenus forent, si Virgo communi obligata vinculo crederetur. Huic enim obnoxia malo, neque esset purissime aedificata, neque instar templi primum exstitisset, neque ex immundo populo ipsa munda effloruisset, neque, ut compendio utar, eiusmodi fuisset reperta in qua Deus ad universalem salutem conquiesceret.

Ibid. pag. 48. col. 1. E. Ναὸς ἐδείχθης καθαρὸς, παρθενομῆτορ Μαρία, τοῦ τὰ πάντα πανσθενῶς καὶ πανσόφως ὑποστήσαντος Χριστοῦ, καὶ τάξαντος καὶ φέροντος.

Ibid. pag. 52. col. 1. C. Ναόν σε τοῦ Θεοῦ, καὶ κιβωτὸν, καὶ παστάδα ἔμψυχον, καὶ πύλην οὐράνιον, Θεοτόκε, οἱ πιστοὶ καταγγέλλομεν.

a) Triod. pag. 486. col. 2. B. auctore Iohanne damasceno. Χαῖρε Μαρία Θεοτόκε, ὁ ναὸς ὁ ἀκατάλυτος, μᾶλλον δὲ ὁ ἅγιος, καθὼς βοᾷ ὁ προφήτης· ἅγιος ὁ ναός σου, θαυμαστὸς ἐν δικαιοσύνῃ.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De Psalmo LXXXVI. 1-6: eiusdem recepta ad Deiparam accommodatio: quae illius species ex hac accommodatione exsistat: quam pura et ab omni naevo, licet originali, seiunctissima.

815. Inter psalmos qui celebrandis Hierosolymae laudibus inserviunt, nulli secundus is est qui inscribitur, *Filiis Core, psalmus cantici,* quique his verbis [1]) continetur: « Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Memor ero Rahab et Babylonis scientium me. Ecce alienigenae et Tyrus et populus Aethiopum, hi fuerunt illic. Numquid Sion dicet: homo et homo natus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus. » Nimirum [2]) ex paraphrasi Cardinalis Thomasii: « Fundamenta sive argumentum [3]) huius psalmi est de sanctis montibus, ubi constructa est civitas Sion. Diligit Dominus portas et totam urbem ipsam Sion, plusquam reliqua habitacula et civitates populi ex progenie Iacobi patriarchae. Quam gloriosa [4]) dicta sunt per prophetas de te, o Sion civitas prae ceteris Deo dicata! Ego Deus memor ero superbae olim [5]) Aegypti et Babylonis iam tandem agnoscentium atque colentium me in eadem Sione, et ecce Palaestini alienigenae et gens civitatis Tyri et populus Aethiopum, hi quoque [6]) fuerunt in ea urbe Sion, et ex eisdem nationibus illic plurimi nati sunt. Nonne [7]) Sioni dicet homo,

1) Ps. LXXXVI. 1-6.

2) Psalterium perpetua interpretat. ornat. pagg. 324-325. opp. T. III.

3) Sunt haec ad mentem expressa interpretum hebraeorum, qui putant his verbis non psalmum inchoari sed eius titulum expleri, proindeque illa sic reddunt: *Fundamenta* (argumentum et materies insequentis psalmi, *in montibus sanctis* versatur; montes namque sanctos, Sionem et Moriam extollit atque praedicat. Malim tamen suffixum vocabuli יְסוּדָתוֹ ad consequentem vocem, *Deum*, referre: vocabulum ipsum יְסוּדָה tamquam nomen substantivum sumere et cum Aquila reddere θεμελίωσιν *fundationem:* totumque incisum ita complecti, *fundatio eius* (Dei scilicet fundatoris) est *in montibus sanctitatis;* Deus namque sibi et cultui suo sedem delegit montes sanctos Sionem et Moriam.

4) Hebraice, נִכְבָּדוֹת מְדֻבָּר־בָּךְ Ubi participium passivum מְדֻבָּר *neutraliter* adhibetur, plurale נִכְבָּדוֹת vim refert *adverbialem* et *superlativo* prope respondet, totumque incisum huc redit: *admodum honorifice dictum est de te.*

5) Nomen רַהַב esse *Aegypti* proprium, certis constat Scripturarum effatis Is. XXX. 7, LI. 9, et Ps. LXXXIX. 11.

6) Hebraice, זֶה יֻלַּד־שָׁם *Hic* (horum quisque significatione distributa) *natus est illic*, in Sione, eiusque civis effectus.

7) Hebraice, וּלְצִיּוֹן יֵאָמַר אִישׁ וְאִישׁ יֻלַּד־בָּהּ וְהוּא יְכוֹנְנֶהָ עֶלְיוֹן׃
Et Sioni dicetur, vir et vir (hic atque ille, et om-

Digitized by Google

quod et ex omni natione homo natus sit in ipsa, et quod Deus ipse altissimus eam fundaverit? »

816. Quamquam vero ambigi iure nequeat, utrum eiusmodi psalmus ad Hierusalem eiusque decora efferenda *historice* spectet; nemo vicissim facile abnuat, quod maioribus nostris visum est, illum tam ad vocationem gentium et Ecclesiam, quae vera est [1]) Hierusalem, quam ad eiusdem caput et principem Christum Deum *typice* pertinere. Scite [a]) Athanasius: « Hunc psalmum canunt filii Core ad Ecclesiam, per illum depraedicantes gentium vocationem, et futuram Unigeniti in Ecclesia apparitionem per assumptae carnis oeconomiam. » Neque minus scite [b]) Theodoritus: « Etiam hic psalmus gentium salutem praecinit, et pium vivendi statum per Christum futurum docet. » In commentario autem [c]) Heracleotae ad comma quintum legimus: « Symmachus sic ait: *de Sion autem dicetur ab unoquoque, homo natus est ibi, et ipse stabilivit eam Altissimus. Dominus numerabit scribens populos, hic natus est ibi.* Haec non amplius secundum litteram accipi possunt: nam manifeste Domini adventum significant. Ipso enim nato quilibet hominum dicet, inquit, *homo natus est in Sion:* qui homo nominatur etiam Altissimus, et Dominus sive Deus appellabitur, utpote rex aciei suae adscribens populos, etiam ut homo apparebit natus in ea secundum illa quae [2]) in Baruch dicta sunt: *hic est Deus noster, et non*

a) Apud Corderium pag. 771. Ἄιδουσι τὸν ψαλμὸν τοῦτον οἱ τοῦ Κορὲ υἱοὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, δι' αὐτοῦ κηρύσσοντες τῶν ἐθνῶν τὴν κλῆσιν, καὶ τὴν γενομένην ἐπίλαμψιν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ μονογενοῦς διὰ τῆς μετὰ σαρκὸς οἰκονομίας.

b) Ibid. pag. 771. Τῶν ἐθνῶν δὲ καὶ ὁ πάρων ψαλμὸς προθεσπίζει τὴν σωτηρίαν, καὶ τὴν εὐσεβῆ διδάσκει διὰ Χριστοῦ πολιτείαν.

c) Ibid. pag. 770. Ὁ Σύμμαχος οὕτω φησί· περὶ δὲ Σιὼν λεχθήσεται καθ' ἕκαστον· ἄνθρωπος ἐτέχθη ἐκεῖ, αὐτὸς δὲ ἥδρασεν αὐτὴν ὁ ὕψιστος· κύριος ἀριθμήσει γράφων λαούς· αὐτὸς ἐτέχθη ἐκεῖ· ταῦτα οὐκέτι κατὰ τὸ γράμμα ἐκλαβεῖν δυνατόν· σαφῶς γὰρ τὴν τοῦ κυρίου σημαίνει παρουσίαν· τεχθέντος γὰρ αὐτοῦ, ἕκαστος τῶν ἀνθρώπων ἐρεῖ, φησιν, ἄνθρωπος ἐτέχθη ἐν Σιών· ὃς ἄνθρωπος ὀνομαζόμενος καὶ ὕψιστος· καὶ κύριος ἤτοι θεὸς χρηματίσει, ἅτε βασιλεὺς τῷ ἑαυτοῦ στίφει ἐγγράφων λαοὺς ἤτοι ἐντάττων, καὶ ὡς ἄνθρωπος ὀφθήσεται τικτόμενος ἐν αὐτῇ, συμφώνως τούτοις λεγομένων καὶ ἐν Βαρούχ· οὗτος ὁ θεὸς ἡμῶν· οὐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν· μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς γῆς ὤφθη.

nino plurimi ac diversi) *nati sunt in ea* (eiusque cives effecti), *et ipsemet Altissimus fundavit eam,* ac proinde, ut est in catena patrum apud Corderium pag. 768, ἀνάλωτος ἐγίνου τοῖς πολεμίοις, *inexpugnabilis facta est inimicis.*

1) Gal. IV. 26. coll. Hebr. XII. 22.

2) Baruch. III. 36.

aestimabitur alius ad eum. Post haec in terra visus est. » Eademque legimus in commentario Brunonis astensis qui [1]) scribit: « *Mater Sion* [2]) *dicet homo.* Ac si dicat: haec est mater et revera mater, quae pietatis sinum omnibus aperit, nullis materna viscera claudit, omnes suscipit, omnes ex affectu fovet et nutrit. Sequitur: *et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Multa superius gloriosa dicta sunt de civitate ista, sed hoc quod modo dicitur, omni gloria gloriosius est, nulla gloria huic gloriae comparari potest. Ipse Altissimus qui fundavit et fecit eam, ipse homo factus est et natus est in ea. »

817. Ab hac autem intimiore ac ferme dixerim arcana psalmi significatione seiungi altera non debet, qua illum ad Virginem praeclara maiorum suffragatione relatum novimus. Et ad Virginem sane non infrequenter accommodatus occurrit in eiusdem Officiis latinae non minus quam graecae ecclesiae solemni usu receptis. De latina ecclesia notior res est, quam ut confirmari testimoniis [3]) debeat; ad graecam vero quod attinet, speciminis gratia sufficere possunt [a]) quae subiicimus: « Gloriosa dicta sunt de te, o civitas animata sempiterni regis; per te enim, o Domina, Deus cum iis qui in terra

a) Anthölog. in Octoech. pag. 17. col. 2. A. Δεδοξασμένα λελάληνται περὶ σοῦ ἡ πόλις ἡ ἔμψυχος τοῦ ἀεὶ βασιλεύοντος· διὰ σοῦ γάρ, δέσποινα, τοῖς ἐπὶ γῆς Θεὸς συνανεστράφη.

Ibid. in Acoluth. anonymi pag. 83. col. 2. E. Δεδοξασμένα περὶ σοῦ λελάληνται ἐν γενεαῖς γενεῶν, ἡ τὸν Θεὸν λόγον ἐν γαστρὶ χωρήσασα, ἁγνὴ δὲ διαμείνασα, Θεοτόκε Μαρία· διὸ σὲ πάντες γεραίρομεν τὴν μετὰ θεὸν προστασίαν ἡμῶν.

Offic. quadragesim. Feria V. Tyroph. Ode η'. pag. 52. B. Ὄλβιος γέγονε γαστὴρ Θεομήτορος, ὡς δεξαμένη ἐν παχύτητι σαρκὸς ἐξ αὐτῆς ἑνωθέντα βροτείᾳ μορφῇ καθ' ὑπόστασιν, καὶ ὤφθη πόλις θεοῦ, ἐν ᾗ οἰκεῖν ὁ ὕψιστος εὐδόκησε καὶ κύριος Θεός· βοῶμεν τὸ χαῖρε κεχαριτωμένη, ἁγνὴ σὺ Θεοτόκε.

Men. die XXVI. Aprilis Ode ϛ'. pag. 112. col. 1. D. auctore Iosepho. Πόλις Θεοῦ, περὶ ἧς ἐλαλήθη δεδοξασμένα, ταύτην σου τὴν πόλιν καὶ πᾶσαν χώραν ἀπὸ κινδύνων, καὶ λιμοῦ, καὶ βαρβάρων, θεοτόκε παρθένε, λύτρωσαι, μόνη προστασία πιστῶν ἀκαταίσχυντε.

1) Exposit. in ps. LXXXVI. 5. pag. 486. col. 1. C.

2) Μήτηρ Σιών. Ita habent graeci libri; sic quoque legunt Tertullianus, Ambrosius, Augustinus; ita praeterea est in Psalterio romano et aethiopico et arabico, atque in metaphrasi Apollinarii.

Μητέρα τιμήεσσαν ἀνὴρ Σίωνα καλέσσει.

Hieronymus testis est, Alexandrinos vertisse μήτι Σιών, Aquilam καὶ τῇ Σιών, at Symmachum περὶ δὲ Σιών. In veteri scholio adnotatur: τὸ ῥῶ κατὰ προσθήκην ἔκειτο εἰς τὴν τῶν ο'. ἐν τῷ τετρασελίδῳ, ἐν δὲ τῷ ὀκτασελίδῳ, μήτηρ Σιών.

3) Cf. Thesaurum hymnolog. T. II. pag. 92. ubi Daniel in subiecta adnotatione pag. 93. scribit: « Mariam intellexerunt theologi in ps. LXXXVI. 2. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* »

degunt hominibus conversatus est. Gloriosa dicta sunt de te in generationibus generationum, o Deipara Maria, quae Deum Verbum sinu complexa, pura permansisti; propterea te omnes veneramur nostrum secundum Deum perfugium. Beatus fuit Dei genitricis uterus, ut quae Verbum suscepit ex ea in carnis crassitie humanae formae secundum hypostasim coniunctum, et apparuit civitas Dei in qua inhabitare placuit Altissimo et Domino Deo. Quare clamamus, ave gratia plena, o innocens Deipara. O civitas Dei, de qua dicta sunt gloriosa, hanc tibi addictam civitatem, cohaerentemque regionem ab omnibus periculis, et fame, et barbaris, o Virgo Dei genitrix, custodi utpote sola et quae neminem rubore suffundit, fidelium tutela. » Tum [a]) haec: « Civitas Dei [1]) omnium regis, sacrum Dei receptaculum, cimelium venerandum, o Deipara undequaque immaculata, tuere hereditatem tuam quae semper te laudat, tuumque partum fide concelebrat. » Atque haec rursum [b]) ex Coptorum hymnis: « David propheta celebravit eius *(Maria)* laudem, illamque Dei civitatem vocavit. Pater e caelo respexit, non invenit qui tibi sit similis, Unigenitum suum misit, qui carnem ex te suscepit. Celebrarunt *(vates)* honores tuos, o civitas Dei, tu-

a) Men. die XXIV. Iunii Ode α'. pag. 90. col. 1. D. auctore Iohanne damasceno. Ἡ πόλις τοῦ θεοῦ, τὸ τοῦ παμβασιλέως θεοδόχον εὐαγὲς, κειμήλιον σεπτὸν, θεοτόκε πανάμωμε, φρούρησον σὴν κληρουχίαν τὴν ἀεὶ εὐφημοῦσαν σε, καὶ γεραίρουσαν πίστει τὸν τόκον σου.

b) Theotoc. pag. 87. tetrast. VII.

Ⲇⲁⲩⲓⲇ ⲡⲓⲡⲣⲟⲫⲏⲧⲏⲥ ⲥⲁϫⲓ ⲉ̀ ⲡⲉⲥⲧⲁⲓⲟ̀ ⲁϥⲙⲟⲩϯ ⲉ̀ⲣⲟⲥ ϫⲉ ϯⲃⲁⲕⲓ ⲛ̀ⲧⲉ ⲫϯ ⳾

Ibid. pag. 100. tetrast. I-III.

Ⲁⲫⲓⲱⲧ ϫⲟⲩϣⲧ ⲉⲃⲟⲗϧⲉⲛ ⲧⲫⲉ, ⲙ̀ ⲡⲉϥϫⲉⲙ ⲫⲏ ⲉⲧⲟⲛⲓ ⲙ̀ⲙⲟ ⲁϥⲟⲩⲱⲣⲡ ⲙ̀ⲡⲉϥⲙⲟⲛⲟⲅⲉⲛⲏⲥ, ⲁϥϭⲓⲥⲁⲣⲝ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲛ̀ϧⲏϯ ⳾ Ⲁⲩⲥⲁϫⲓ ⲛ̀ϩⲁⲛ ⲧⲁⲓⲟ̀ ⲉⲑⲃⲏϯ, ⲱ̀ ϯⲃⲁⲕⲓ ⲛ̀ⲧⲉⲫϯ, ϫⲉ ⲛ̀ⲑⲟ ⲡⲉⲧⲉⲣⲉⲫⲙⲁⲛϣⲱⲡⲓ ⲛ̀ⲛⲏⲉⲧⲟⲩⲛⲟϥ ⲧⲏⲣⲟⲩ ⲛ̀ϧⲏϯ ⳾ Ⲛⲓⲟⲩⲣⲱⲟⲩ ⲧⲏⲣⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲕⲁϩⲓ, ⲥⲉⲙⲟϣⲓ ϧⲉⲛ ⲡⲉⲟⲩⲱⲓⲛⲓ ⲟⲩⲟϩ ⲛⲓⲉⲑⲛⲟⲥ ϧⲉⲛ ⲡⲉϥⲓⲣⲓ, ⲱ̀ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⲑⲙⲁⲩ ⲙ̀ⲫϯ ⳾

Ibid. pag. 104. tetrast. III-IV.

Ϭⲟⲥⲓ ⲉ̀ⲛⲓ ⲭⲉⲣⲟⲩⲃⲓⲙ, ⲥⲧⲁⲓⲏⲟⲩⲧ ⲉ̀ ⲛⲓⲥⲉⲣⲁⲫⲓⲙ, ϫⲉ ⲁⲥϣⲱⲡⲓ ⲛ̀ⲟⲩⲉⲣⲫⲉⲓ ⲙ̀ⲡⲓ ⲟⲩⲁⲓ ⲉ̀ⲃⲟⲗϧⲉⲛ ϯ ⲧⲣⲓⲁⲥ ⳾ Ⲑⲁⲓ ⲧⲉ Ⲓⲗⲏⲙ, ⲧⲡⲟⲗⲓⲥ ⲙ̀ⲡⲉⲛⲛⲟⲩϯ ⲧⲉ, ⲉⲣⲉ ⲡⲟⲩⲛⲟϥ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲏ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲧⲏⲣⲟⲩ, ϣⲱⲡⲓ ⲛ̀ϧⲣⲏⲓ ⲛ̀ϧⲏⲧⲥ ⳾

1) Gemina habentur in Paraclit. pagg. 116. col. 2. A., 235. col. 1. C., 375. col. 1. A., in Triodio pag. 150. col. 1. D. et in Men. die XXX. Aprilis Ode α'. pag. 125. col. 1. E.

que facta es habitatio omnibus qui in te exsultant. Omnes reges terrae ambulant in lumine tuo, et gentes in splendore tuo, o Maria mater Dei. Celsior est *(Maria)* Cherubim, venerabilior Seraphim, utpote quae templum exstiterit unius e Trinitate. Haec est Hierusalem civitas Dei nostri, in qua est gaudium sanctorum omnium. »

818. Competit igitur Deiparae, interque eius dotes censeri debet, I. quod prae omnibus Iacobi tabernaculis dilecta caelo fuerit: II. quod eximiis aucta donis et magnificis celebrata laudibus omnibus antecellat: et III. quod ille ipse unigenitus Patris Filius, qui ex ea natus est atque carnem ex ea sumpsit, ipsam ex sese condiderit atque fundaverit. Quod postremum expendens Bruno astensis, principio quidem [1]) ait: « Ad laudem matris Domini invitat nos Spiritus sanctus per os David [2]) patris ipsius Virginis, dicendo: *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* » Tum [3]) pergit: « Nonne enim valde gloriosum est quod de ea ipse David pater eius in hoc eodem psalmo [4]) dicit? *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Impossibile est enim quantum ad alios homines, ut aliquis sit fundator civitatis in qua nascitur, quia antequam sit natus, non potest fundare civitatem. Sed Christus qui est Altissimus, per hoc quod Deus est ante omnia tempora, fundavit civitatem hanc, idest, matrem creavit; et tamen ut homo in fine temporum natus est in ea, sumendo carnem ex ea. Mirabile est ergo et gloriosum in hac civitate, quod ille qui fundavit eam, natus est in ea. » Cum qua gloria non minus altera conserta est, cuius meminit [5]) Petrus Comestor in sermone de immaculato Virginis conceptu [6]) inquiens: « Attende et obaudi, quod testimonium huic fundamento dederit [7]) prophetarum eximius. *Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Intellige quod ait, *ipsa fundavit eam:* ipse, non alius, non vetus Adam, sed novus novum iecit fundamentum, super quod tam praeclarum, tam insigne surgeret aedificium. Alioquin si veteris ruinae mansere vestigia, si veteri superaedificatum est; vetus Adam et non ipse fundavit eam Altissimus. » Et mox: « Oportuit eam ab ipso fundamenti primordio prae ceteris aliquod sortiri privilegium, quae secretorum Dei, mysteriorumque caelestium in se

1) Sentent. lib. V. cap. 1. pag. 554. col. 1. A.
2) Ps. LXXXVI. 3.
3) L. c. pag. 554. col. 1. D. et 2. A
4) Ps. LXXXVI. 5.
5) De Petro Comestore videsis Labbei dissertationem in libro de scriptt. ecclesiast.
6) Editus hic sermo primum fuit Antuerpiae anno 1536, illumque Ruardus Tapperus dignum censuit quem suo suffragio comprobaret.
7) Ps. LXXXVI. 5.

susceptura erat arcanum. » His tandem verbis absolvit: « Dicat ergo, dicat Ecclesia, salve festa dies, salve dies veneranda conceptionis, in qua initiatum est sacramentum nostrae redemptionis, per quam extincta est framea versatilis et aperta ianua nostrae salutis. Gaudeat, oro, omnis terra in conceptione tantae Virginis, in cuius medio salutem operari dignatus est Deus. »

819. Ceterum multo haec emicabunt splendidius, et ad gignendam fidem firmiora videbuntur, si ad veterum sententias illorumque commentarios animus advertatur. Itaque sepositis [1]) vulgato Gregorio neocaesariensi, Pseudo-Chrysostomo [2]), Hesychio hierosolymitano [3]), Germano constantinopolitano [4]) et [5]) Amedeo lausannensi, quorum testimonia vel alibi retulimus, vel nihil praeterea quam psalmum ad Virginem accommodatum praeseferunt; Eckardus schonaugiensis [6]) Deiparam compellans ait: « Tu ergo, bellatrix egregia, primo cum qui primus omnia supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. » Quod ut declaravit, illico [7]) subdit: « *Gloriosa dicta sunt de te,* Dei genitrix. Sed adhuc locus est tuae laudationi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelae neque sermones in omni natione quae sub caelo est, quibus amplitudo gloriae tuae ad plenum valeat explicari. Et nunc sequimur te, o Domina, ex totis praecordiis vociferantes ad te: adiuva imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Vides hanc tunicam pelliceam, quae nos circumdedit? Tunica Evae parentis nostrae haec est, quam ad nos olim misera illa transmisit, et supervestivit carnem filiorum suorum, sicut diploide, confusione sua. De manu quippe ipsius duplicis mali semen terra nostra suscepit et concepit et peperit nobis spinas et tribulos iniquitatis in anima, calamitatis in corpore, ac per hoc mortem utrobique. O infelix hereditas! O dira humanae carnis infirmitas! Usquequo patiemur te? » Tum [8]) pergit: « Et quis liberabit nos a corruptela huius miserrimae pelliculae? Gratia Salvatoris nostri Filii tui, o Maria, qui ut infirma nostra tolleret, sponte infirmatus est: et ut mors

1) Orat. III. in Deiparae annuntiat. p. 27. C-D.
2) Orat. in Deiparae annuntiat. p. 798. B-D. opp. T. II.
3) Orat. de laudibus Virginis, pag. 420. E. in Biblioth. pp. graeco-lat. T. II.
4) Orat. in Virginis nativit. pag. 1315. D-E. apud Combefisium Auctar. T. I.
5) Orat. de Virginis laudibus, pag. 1272. col. 1. A. in Biblioth. max. pp. T. XX. Adde et Hildephonsum toletanum multo Amedeo vetustiorem in libro de perpetua virginitate s. Mariae pag. 127. col. 2. C-D. in collect. pp. tolet. T. I.
6) Sermo Panegyric. ad beatam Virginem, n. 5. pag. 703. A. inter opp. Bernardi T. V.
7) Ibid. n. 6. pag. 703. B-D.
8) Ibid. n. 7. pag. 703. D.

Digitized by Google

mortis nostrae ipse fieret, innocens pro peccatoribus mortuus est. » Cum Filio autem e vestigio Matrem [1]) coniungens addit: « Et quis tam idoneus ut loquatur ad cor Domini nostri Iesu Christi, ut tu felix Maria, quae in secretissimis amplexibus amantissimi Filii tui recubas in meridie sempiterno, eiusque familiarissimo colloquio cum plena cordis laetitia perfrueris? Loquere Domina, quia audit Filius tuus, et quaecumque petieris, impetrabis. Invoca bonum nomen eius super nos, ut curemur a vetusta hac lepra carnis et spiritus. Exsurge virus hoc mortiferum exinanitura, quod de pomi sui reliquiis Eva nobis propinavit, quando succi noxialis gustu ebriata est, et reliquias dimisit parvulis suis. Utinam poculum suum ebria illa totum ebibisset, non item in nos diffudisset. Te igitur, Domina, exorante omne iugum nostrum computrescat a facie olei divinae misericordiae, renovetur ut aquilae iuventus nostra; ut novi, nova voce, novum canticum, novis civibus aggregati, illic ubi nova sunt omnia, iubilum sempiternum celebrantes in cymbalis iubilationis concinamus. » Quae omnia eo pertinent, ut Deipara, quippe civitas Dei et ab ipsomet Deo fundata, *inscia hereditatis Evae, atque ex universa posteritate felix* demonstretur.

820. Sequitur beatus Petrus Damiani, qui verba psalmi ad Virginem plus semel [2]) traducit, deque Virgine enarrans [3]) scribit: « Immensum concepit, aeternum genuit, genitum ante secula parturivit. Qui sibi et munus fecunditatis attulit conceptus, et decus virginitatis non abstulit natus. Qui antequam nasceretur, talem creavit eam, ut ipse digne nasci posset ex ea, de qua propheta David multo ante [4]) praedixerat, *mater Sion dicet, homo, et homo factus est ex ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* » Et [5]) rursum: « O mirabilis, o singulariter nobilis caro beatissimae Virginis, in qua muliebris natura mutatur, humana conditio non tenetur! Per coitum quidem est genita, sed per efficaciam coitus non enixa. Edita communi nascentium iure edidit singularis gratiae novitate. In humano denique genere ille nobilis dicitur, qui claris maiorum titulis insignitur; beata vero Maria licet sit de generosa patrum stirpe

1) Ibid. n. 7. pag. 703. D-F.
2) Serm. XLIV. itemque I. in Virginis nativitate, pag. 107. col. 1. E. ubi verba ps. LXXXVI. 3. ita inflectuntur, *gloriosa dicta sunt de te, gloria Dei.*
3) Serm. XLVI. itemque III. in Virginis nativit. pag. 113. col. 2. B-C.
4) Ps. LXXXVI. 5.
5) Ibid. pag. 117. col. 1. C-D.

progenita, ab illo tamen trahit excellentissimae nobilitatis genus, qui de illa est novo nascendi genere procreatus, et per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem. Clara proavorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis. Filia siquidem regum, sed mater regis regum: *gloriosa* [1]) *dicta sunt de te, civitas Dei.* Sed quidquid de te a mortali homine dicitur, celsitudinis tuae meritis non aequatur. Quam enim excellens gratia super angelos elevat, ad eius digne efferenda praeconia humana fragilitas non aspirat. »

821. Concinit Paulinus patriarcha aquileiensis, qui contra Felicem disserens [2]), eo in capite quo ex Apostolo efficit *Christum esse filium Dei et hominis, alioquin nuncupativa non vera mater Maria dicenda foret, quae tamen vere Deum altissimum genuit*, post alia non pauca [3]) scribit: « Veraciter namque venerabilis Virgo et ancilla et mater est Domini, quoniam Deus omnis carnis qui creavit eam, ipse dignatus est nasci ex ea. Ait enim ipsa ad Angelum, *ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.* Angelus quippe eam Altissimi Filii genitricem praedixit: ipsa se Altissimi Filii ancillam humiliter confitetur. Huic etenim angelico oraculo davidicum concordare non inconvenienter praeconium demonstratur. *Mater,* inquit [4]), *Sion dicit homo et homo natus* vel factus est *in ea, et ipse fundavit eam Altissimus.* Ipse non alius, qui factus est in ea ex semine David secundum carnem; ipse fundavit eam Altissimus in aeternum. »

822. Non dissimilis apud Hildephonsum occurrit psalmi interpretatio, qui et illam [5]) Ambrosii auctoritate confirmat, et his praeterea [6]) verbis de Virgine agens illustrat: « Ecce ad quam concurrunt omnia eloquia prophetarum, ad quam omnia aenigmata concurrunt scripturarum: *de qua* [7]) *natus est Christus,* Deus et homo pridem in terris ut ipsa hodie assumpta de corpore renascatur in caelis. Unde et filia Hierusalem esse iure cantatur, licet [8]) *natus sit ex ea, qui eam olim fundavit Altissimus:* quae revera mater illa caelestis hodie advenit obviam ornata monilibus suis, de qua [9]) dicitur:

1) Ps. LXXXVI. 3.
2) Con. Felicem lib. I. cap. XV. p. 108. C.
3) Ibid. pagg. 108. E. et 109. A.
4) Ps. LXXXVI. 5.
5) Serm. V. in Deiparae assumpt. pag. 677. col. 1. D-E. apud Combefisium in biblioth. Concionat. T. VII.
6) Serm. I. in Deiparae assumpt. pag. 666. col. 1. C-E.
7) Matth. I. 16.
8) Ps. LXXXVI. 5.
9) Apoc. XXI 2.

Digitized by Google

vidi Hierusalem descendentem de caelo a Deo ornatam auro mundo et lapidibus pretiosis intextam. Quo profecto hodie decorata ideo descendit, ut reginam mundi beatam scilicet Mariam secum eveheret ad sublimia, et collocaret in throno regni. »

823. Quid vero Georgius metropolita nicomediensis? Is in sermone quo Deiparae conceptum et nativitatem extollit, ubi haec angeli verba [a]) ad Annam, *praedicabitur universis tuus partus*, exponit, sic [b]) habet: « Praedicabitur et celebrabitur, nec in terra solum, verum etiam in caelis: nec tantum in auribus hominum, sed et divinis insonabit sensibus, quaenam sint tanta illa de eo praedicanda partu. Perspice vero ut haec David praedixerit, ut velut quid gestum praenunciaverit futurorum eventum, infallibilem futurorum veritatem praeterito tempore designans. *Gloriosa enim dicta sunt de te,* inquit, *civitas Dei.* Gloriosa super omnem quae refertur gloriam. Gloriosa supernis virtutibus, in pretio habita et expetita ab eiusdem naturae hominibus, patriarchis desiderabilia, prioribus patribus veneranda, et a prophetis conscripta et exquirenda. Propter haec laetantur universa creata, congaudent his exercitus an-

a) Orat. in Deiparae concept. et nativit. pag. 1066. C. apud Combefisium Auctar. T. I. Λαληθήσεται πᾶσι τὰ τοῦ τόκου σου.

b) Ibid. pagg. 1066. C-E. et 1067. A. Λαληθήσεται καὶ κηρυχθήσεται· οὐκ ἐπὶ γῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν οὐρανοῖς· οὐκ ἐπ' ἀνθρωπίναις ἀκοαῖς, ἀλλὰ καὶ θείαις ἐνηχηθήσεται νοήσεσι, τίνα δὴ τὰ λαληθησόμενα περὶ αὐτοῦ· καὶ σκόπει ὅπως ὁ Δαβὶδ ταῦτα προανεφώνησεν· ὅπως ὡς γενομένην τὴν τῶν μελλόντων προανεκήρυξεν ἔκβασιν, τὴν τῶν ἐσομένων ἀπαραίτητον ἀλήθειαν, τῷ παρῳχηκότι διασημάνας χρόνῳ· δεδοξασμένα περὶ σοῦ γὰρ ἐλαλήθη ἡ πόλις τοῦ θεοῦ· δεδοξασμένα ὑπὲρ πᾶσαν διηγουμένην δόξαν· δεδοξασμένα ταῖς ἀνωτάτω δυνάμεσι· τετιμημένα καὶ ποθητὰ τοῖς ὁμογενέσι ἀνθρώποις· ἐπιθυμητὰ πατριαρχαῖς· σεπτὰ προπάτορσιν· ἀνάγραπτα καὶ ζητητέα προφήταις· διὰ ταῦτα πᾶσα κτίσις εὐφραίνεται· τούτοις ἀγγελικαὶ συνήδονται στρατιαί· τούτοις ὁ σύμπας ἐνωραΐζεται κόσμος· τούτοις σήμερον ἡ γηγενῶν ἐπαγάλλεται φύσις· ταῦτα δοξολογοῦσα, τὴν προεόρτιον ἄγει τῆς μεγίστης σωτηρίας πανήγυριν· ταύτην προπεριπτύσσεται· τὴν, δι' ἧς τῆς τελειοτάτης τετύχηκεν ἀγαλλιάσεως· τοῦτο γὰρ τὸ γενέθλιον, τὴν αὐτῆς ἀναγέννησιν προανεφώνησε· τοῦτο, τὴν ἐκ πλάνης ἀνάκλησιν, καὶ παλαιότητος αὖθις ἀνάπλασιν, προδιεκήρυξε· τοῦτο, τὴν τῆς ἀγνωσίας αὐτῆς ἀγονίαν καὶ ἀκαρπίαν, εἰς θεογνωσίας καρποφορίαν ἐπιδοῦναι προεμήνυσε· τοῦτο, τὰς πρὸς τὴν χάριν αὐτῇ ὁδοποίησεν εἰσόδους· τοῦτο, τὰς τῆς σωτηρίας πύλας προανέῳξε· τοῦτο, εἰς καταλλαγὰς προτέθειτοι· τοῦτο, εἰς μετιτείαν παρείληπται· διὰ τοῦτο, νῦν οἱ τοῦ γένους παῤῥησιαζόμεθα συμμέτοχοι· διὰ τοῦτο, τῆς οἰκειοτέρας μετειλήφαμεν στάσεως· διὰ τὴν ἀποκυηθεῖσαν παστάδα, ἐν τῷ βασιλικῷ κατελογίσθημεν νυμφῶνι· διὰ τὸν νῦν παραχθέντα λαμπρότερόν τε ὁμοῦ καὶ εὐρυχωρότερον οὐρανὸν, τὴν οὐράνιον ἐπεγραψάμεθα διαγωγήν· διὰ τῆς συγγενοῦς εὐλογίας, τῆς εὐαγγελικῆς ἐναπολαύομεν θυμηδίας.

Digitized by Google

gelici, his una gloriatur mundus universus, his hodie exsultat terrigenarum genus: haec laudans pervigilium salutis maximae agit: hoc praesalutat quo absolutissimam consequi meruit exsultationem. Quippe uatalitia haec humanam praenunciarunt regenerationem: haec revocationem ab errore ac futuram vetustatis instaurationem praesignarunt: haec ignorationis nostrae infecunditatem in scientiae Dei fructum progressuram ostenderunt: haec ad ingressum gratiae iter nobis fecerunt: haec salutis portas pracaperuerunt: haec iacta fuerunt reconciliationis fundamenta: haec ad mediationem assumpta sunt: per ea nunc qui eiusdem sumus participes generis, fiduciam habemus: per ea congruentiorem recepimus statum: per editum in lucem thalamum regalibus nuptiis adnumerati sumus, per caelum illud quod nunc splendidius itemque capacius productum fuit, caelestem vitae rationem adscivimus: per cognatam benedictionem evangelica potimur iucunditate. »

824. Concinit [a]) Iohannes damascenus, qui de die salutatae ab archangelo Deiparae verba faciens, inquit: « Nunc illa praedicetur quae omni ratione est praedicanda, ceu quae nullis non faustis acclamationibus celebrari debeat. Nunc Virgo exollatur quae exaltata a Deo est, ceterisque praelata, et divino oraculo dignata. Nunc ea laudetur quae multiplici tum nomine, tum lumine insignis est, ac super omnes res creatas sublimissima. Nunc beata dicatur Dei arca, quae Deum versantem secum et in se manentem habuit, orbique toti venerabilis est. Nunc populi omnes [1]) cum Davide reginae ex Davide prognatae inclament, *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei,* regis magni. » Alibi vero [b]) hisce de Deipara praemissis, *ecquisnam est qui iustitiae fonti et sanctitatis thesauro laudem non*

a) Orat. in Deiparae annunciat. pag. 835. C-D. Νῦν εὐφημείσθω ἡ πανεύφημος, ὡς εὔφημος πανευφήμοις εὐφημίαις· νῦν μεγαλυνέσθω ἡ θεομεγάλυντος, καὶ θεοπρότακτος, καὶ θεοχρηματιστος παρθένος· νῦν ἐπαινείσθω ἡ πολυώνυμος ὄντως καὶ πολυόμματος, καὶ πάσης ὁμοῦ τῆς κτίσεως ὑπερτάτη· νῦν μακαριζέσθω ἡ θεόμιλος καὶ θεοχώρητος, καὶ κοσμοσέβαστος τοῦ θεοῦ κιβωτός· σήμερον βοάτωσαν πάντες λαοὶ τῇ ἐκ Δαβὶδ βασιλίδι, δεδοξασμένα, λέγοντες μετὰ Δαβὶδ, ἐλαλήθη περὶ σοῦ ἡ πόλις τοῦ θεοῦ, τοῦ βασιλέως τοῦ μεγάλου.

b) Orat. I. in Deiparae dormit. §. I. pagg. 857. D. et 858. A. Τῇ πηγῇ τῆς δικαιοσύνης, καὶ τῷ τῆς ὁσιότητος θησαυρῷ, τίς οὐ προσοίσει τὸν ἔπαινον; οὐχ᾽ ἵνα δοξάσῃ, ἀλλ᾽ ἵνα δοξασθῇ δόξαν αἰώνιον.

1) Ps. LXXXVI. 3.

Digitized by Google

exhibeat? non ut gloria eam augeat, sed ut sempiternam ipse sibi gloriam conciliet; continuo [a]) pergit: « Neque enim a nobis gloria augeri indiget gloriae Domini tabernaculum; Dei, inquam, illa civitas de qua gloriosa dicta sunt, quemadmodum [1]) divinus David eam affatur: *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Ecquam enim aliam invisibilis et incircumscripti atque omnia pugillo continentis Dei civitatem intelligemus, nisi eam quae vere, et supra quam natura et essentia ferat, Dei Verbum substantia omni superius incircumscripte complexa est; de qua proinde ab ipsomet Domino gloriosa dicta sunt? Quid enim ad gloriam illustrius, quam [2]) Dei consilium, antiquum illud et verum excepisse?» Hinc ab Ephraemo [b]) inter alia decora Virginis propria, haec etiam numerantur, quibus eadem dicitur « Arca sancta, per quam ab iniquitatis diluvio salvati sumus: thuribulum aureum, in quo Verbum carnem incendens mundum odore replevit, atque inobedientiae combusta sunt crimina: tabernaculum sanctum, quod spiritalis Beseleel aedificavit: radix sancta Iesse: civitas Dei, de qua *gloriosa dicta sunt de te,* ut [3]) David loquitur. »

825. Quisquis porro ad ea animum adverterit quae hucusque retulimus, is facile secum hoc pacto rationes subducet. Alienum esse non a veritate modo, sed a quavis etiam licet ementita verisimilitudinis specie, ut ea *paternae* [4]) *transgressionis tetra foeditate corrupta, et lue parentalis maculae infecta* existimetur, inter cuius

a) Ibid. pag. 858. A-B. Ἀνενδεὲς γὰρ τῆς παρ' ἡμῶν δόξης τοῦ θεοῦ τὸ σκήνωμα, ἡ πόλις τοῦ θεοῦ, περὶ ἧς δεδοξασμένα ἐλαλήθη, καθώς φησι πρὸς αὐτὴν ὁ θεῖος Δαβίδ· δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σοῦ, πόλις τοῦ θεοῦ, λέγων· ποίαν γὰρ ἐκληψόμεθα πόλιν τοῦ ἀοράτου καὶ ἀπεριγράπτου θεοῦ, τοῦ τὰ πάντα τῇ ἰδίᾳ δρακὶ περιέχοντος, ἀλλ' ἢ τὴν μόνην ὄντως ὑπερφυῶς, καὶ ὑπερουσίως τὸν ὑπερούσιον τοῦ θεοῦ λόγον ἀπεριγράπτως χωρήσασαν, περὶ ἧς δεδοξασμένα ὑπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου λελάληται; τί γὰρ ἐπιδοξότερον τοῦ δέξασθαι τὴν τοῦ θεοῦ βουλὴν ἀρχαίαν, ἀληθινήν;

b) Orat. ad Deiparam, pag. 529. D-F. opp. graec. T. III. Κιβωτὲ ἁγία, δι' ἧς τοῦ τῆς ἁμαρτίας κατακλυσμοῦ διεσώθημεν· θυμιατήριον χρυσοῦν, ἐν ᾧ ὁ λόγος τὴν σάρκα ἀνάψας, τὴν οἰκουμένην εὐωδίας ἐπλήρωσε, καὶ τὰ τῆς παρακοῆς κατεκαύσθη ἐγκλήματα· σκηνὴ ἁγία, ἣν ὁ πνευματικὸς Βεσελεὴλ ἐτεκτήνατο· ῥίζα ἁγία τοῦ Ἰεσσέ· πόλις τοῦ θεοῦ, περὶ ἧς δεδοξασμένα λελάληται περὶ σοῦ, ὡς φάσκει Δαυίδ.

1) Ps. LXXXVI. 3.
2) Is. XXV. 1.
3) Ps. LXXXVI. 3.
4) Sunt haec verba Fulgentii ex lib. I. de praedest. et grat. cap. III.

Digitized by Google

dotes proprietatesque numeratur I. quod ipsa fuerit a Deo fundata, Deumque proprium singularemque auctorem sortita: II. quod talis fundata fuerit atque exstructa, e qua creator et artifex carnem sumere et digne novissimis temporibus oriri posset: III. quod inscia fuerit hereditatis Evae, et una ex universa eademque misera progenie felix atque beata: IV. quod ita in lucem venerit, ut eius origo spectari non aliter debeat ac ut universalis caussa laetitiae, salutis exordium, humanaeque reparationis et cum Deo reconciliationis initium: quod tandem V. inter Adami nepotes apparuerit ceu tabernaculum gloriae Domini, fons iustitiae, sanctitatis thesaurus, potior angelis, et supra omnes hominum laudes longissime evecta. Ex hisce namque dotibus ne unam quidem designare licet, quae ab omni culpae naevo non summopere abhorreat, quaeque penitus originalem innocentiam non efflagitet. Verum ecquaenam ex eisdem est, quam Virgini adscribendam esse maiores nostri non doceant? Omnes et singulas tribuendas illi esse testantur, quum ad ipsam referunt deque ipsa toties memorata psalmi verba interpretantur. Maiorum ergo suffragatione ratum esse debet, ad ornamenta Virginis, quam Dominus ipse fundavit, originalem quoque innocentiam pertinere.

ARTICULUS IV.

De Psalmo CXXXI. 8-13-14: eiusdem ad Deiparam in maiorum libris christianisque monimentis accommodatio: conserta cum hac accommodatione eximia illius puritas, quae ipsas quoque origines complectitur.

826. Quum de typis symbolisque [1]) ageremus ex sententia maiorum Deiparam praemonstrantibus, diserta eorumdem testificatione comprobavimus, illorum numero *Arcam*, quae modo [2]) *Arca foederis*, modo *Arca Dei*, modo *Arca roboris* et modo *Arca sanctitatis* nuncupatur, inprimis comprehendi. Ex hac autem maiorum persuasione repeti potissimum debet, quod nonnulla psalmi centesimitricesimiprimi commata ad Virginem ipsi retulerint, deque Virgine idoneis commentariis enarrarint. Commata vero quae huc fa-

1) nn. 480. sqq.
2) II. Paral. VI. 41. XXXV. 3, Ps. XCV. 6, et CXXXI. 8.

ciunt, ita se [1]) habent: « Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Haec requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam. » Nimirum [2]) ex paraphrasi Cardinalis Thomasii: « Surge itaque, ut ita dicamus, Domine, et veni in novum hoc domicilium tuum quietum et stabile in quo perpetuo requiescas. Veni, quaesumus, huc tu et arca [3]) quam tibi sanctificasti, ad cuius olim praesentiam saepe [4]) fortitudinem tuam monstrasti. Quoniam autem Dominus elegit Sion, eamque praeelegit ut in ea sibi habeat constructum habitaculum, idcirco de ea dixit: hic est locus in quo stabiliter requiescam: hic habitaculum habebo, quia illam ego praeelegi. »

827. Ne cui vero suppetat ambigendi facultas, utrum haec commata ad Virginem relata fuerint deque Virgine eiusque dotibus explicata; initio dabimus quae exhibet [5]) psalterium Anselmo tributum, quaeque ita se habent:

» Ave nostra advocatrix
» Atque vitae reparatrix,
» Cuius partus super ipsos
» Dominus est caeli thronos.
» Ave Sion, in qua Deus
» Habitavit homo factus,
» In quo sperant enixius
» Qui noverunt nomen eius.
» Ave Virgo singularis,
» Placens aula virginalis,
» Cuius in templo Dominus
» Et in caelo sedes eius.

Et [6]) infra:

» Ave Sion gloriosa,
» De qua nobis manifesta
» Fit carne Verbi facies,
» Decoris Dei specie.

828. Dabimus deinde ex iis nonnulla, quae in publicis graecae ecclesiae monimentis reperiuntur. In his itaque [a]) legimus:

a) Antholog. in Octoech. pag. 46. col. 2. B. Ψάλλων Δαυὶδ σὸς προπάτωρ, πάν-

1) Ps. CXXXI. 8-13-14.

2) Psalter. perpet. interpret. ornat. pp. 493-494. opp. T. III.

3) Haec est lectio interpretis alexandrini, ἡ κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματός σου, itemque vulgati, *arca sanctificationis tuae*.

4) Hebraice est, אֲרוֹן עֻזֶּךָ, ἡ κιβωτὸς τῆς ἰσχύος σου, *arca roboris tui*, tuaequa potentiae ac virtutis symbolum. Ceterum, monente Agellio, inter utramque lectionem haud multum interest. Cum enim *arca* dicitur *fortitudinis*, quasi materies sanctificationis et laudis significatur; cum vero *arca* dicitur *sanctificationis*, ipsa laus innuitur. Etenim *sanctificatio* pro veneratione et laude adhibetur; laudantur autem res fortiter gestae. Quare quum areae caussa multa fortiter gesta fuerint, ut Iordanis traiectio, Philistaeorum pestis et lues, Idolorum deiectio; merito tum *fortitudinis* tum *sanctificationis* arca nominatur. Utrumque nomen, quod res devinctae sint, in cantico Moysis Ex. XV. 2. sociatum legitur: *fortitudo mea et laus mea Dominus*.

5) Psalter. Deiparae, pag. 303. col. 3. D-E.

6) Ibid. pag 304. col. 3. D.

Digitized by Google

« Psallens David proavus tuus te, o innocentissima, appellat arcam divinae sanctificationis supra quam natura ferat complexam Deum in paterno sinu quiescentem, quem fideles incessanter magnificamus. Ave Sion sancta, ecclesiarum mater, Dei habitaculum. Ave locus Dei capax, ave novi foederis arca, ave aurea urna, e qua caeleste manna omnibus datum est. O arca divinae sanctificationis, sanctifica animam meam, meam mentem illumina et continenter una cum apostolis deprecare Christum ut me servet. Sion electa, regis civitas, fac me reddas supernae civitatis civem, una cum divinis discipulis, o Virgo intemerata, deprecans aeternum Filium tuum. » Itemque [a]) legimus: « Coierunt in te super naturam, venerandae sanctificationis arca, mater virgo pura, virginitas simul et partus, quare fide ad te clamo, totum me sanctifica, totum me libera a quovis actu pravarum affectionum, quibus divexor. » Quibus haec consona sunt [b]) penes Coptos recepta: « Spiritus sanctus implevit locum omnem animae tuae, tuique corporis, o Maria Dei mater. Propterea nos quoque festum agimus, festum spiritale et propheticum una cum rege Davide exclamantes atque dicentes: surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctuarii tui; quae arca tu es, o Maria. »

αγνε, σὲ κιβωτὸν ὀνομάζει ἁγιάσματος θείου, ὑπερφυῶς θεὸν χωρήσασαν, τὸν ἐν πατρῴοις καθήμενον κόλποις· ὃν ἀκαταπαύστως οἱ πιστοὶ μεγαλύνομεν.

Ibid. pag. 47. col. 2. A. Χαῖρε Σιὼν ἁγία, μήτηρ τῶν ἐκκλησιῶν, Θεοῦ κατοικητήριον.

Ibid. pag. 54. col. 1. C. Χαῖρε τοῦ Θεοῦ εὐρύχωρον χωρίον· χαῖρε κιβωτὲ τῆς νέας διαθήκης· χαῖρε ἡ ἔγχρυσος στάμνος, ἐξ ἧς τὸ Μάννα πᾶσιν ἐδόθη τὸ οὐράνιον.

Ibid. pag. 99. col. 1. B. Τοῦ θείου κιβωτὲ ἁγιάσματος, ἁγίασόν μου τὴν ψυχὴν, τὸν λογισμὸν φωταγώγησον, διαπαντὸς δυσωποῦσα Χριστὸν σὺν ἀποστόλοις σωθῆναί με.

Ibid. pag. 100. col. 1. C. Σιὼν ἐκλεκτὴ, τοῦ βασιλέως πόλις, τῆς ἄνω πολίτην με ποίησον πόλεως, μετὰ τῶν θείων μαθητῶν δυσωποῦσα, ἄχραντε παρθένε, τὸν ἄχρονον υἱόν σου.

a) Offic. quadrages. fer. V. heb. II. Ieiun. pag. 192. Παρθενία καὶ τόκος συνέδραμον ὑπὲρ φύσιν ἐπὶ σὲ, κιβωτὲ τοῦ σεπτοῦ ἁγιάσματος, μητροπάρθενε ἁγνή· διὸ πίστει βοῶ σοι· ὅλον με ἁγίασον, ὅλον ἐκλύτρωσαι πάσης ἐνεργείας παθῶν τῶν θλιβόντων με.

b) Theotoch. pag. 136. tetrast. III-IV-V.

Ⲁⲡⲓ ⲡⲛⲉⲩⲙⲁ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲙⲟϩ ⲙ̀ⲙⲁⲓ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲛ̀ⲧⲉ ⲧⲉⲯⲩⲭⲏ ⲛⲉⲙ ⲡⲉⲥⲱⲙⲁ, ⲱ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⲑⲙⲁⲩ ⲙ̀ⲫϯ ⳾

Ⲉⲑⲃⲉ ⲫⲁⲓ ⲧⲉⲛⲉⲣϣⲁⲓ ϩⲱⲛ ϧⲉⲛ ⲟⲩ ϣⲁⲓ ⲙ̀ⲡⲛⲉⲩⲙⲁⲧⲓⲕⲟⲛ ⲟⲩⲟϩ ⲙ̀ⲡⲣⲟⲫⲏⲧⲓⲕⲟⲛ ⲉⲩⲥⲟⲡ, ⲉⲛⲱϣⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲛⲉⲙ ⲡⲟⲩⲣⲟ Ⲇⲁⲩⲓⲇ: Ϫⲉ ⲧⲱⲛⲕ ⲡϭⲟⲉⲓⲥ ⲉ̀ ⲡⲉⲕⲙ̀ⲧⲟⲛ ⲛ̀ⲑⲟⲕ ⲛⲉⲙ ϯⲕⲓⲃⲱⲧⲟⲥ, ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲓⲙⲁ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛ̀ⲧⲁⲕ ⲉ̀ⲧⲉ ⲛ̀ⲑⲟ ⲡⲉ ⲱ̀ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⳾

829. Dabimus postremo quae eodem spectantia scriptores ecclesiastici, patresque sanctissimi litteris consignarunt. Ne quid vero dicamus [1]) de Guerrico, Germano [2]) et [3]) Pseudo-Athanasio, quibus satis fuit verba psalmi ad Virginem transferre; Leo Augustus [a]) ipsius celebrans natalem scribit: « Nunc enimvero partu editur ac suscipitur proles tristitiarum sententiam vincens, gaudiique pignora orbis terrarum finibus praebens. Fefellisti *(alloquitur serpentem)* generis parentem ac per feminam supplantasti, tuique consilii exitiosum sermonem in suam ipsorum perniciem suscipere persuasisti; at nobis nata est puella ex eodem quidem, atque Eva, figmento, quae tamen Evae emendatio sit ac caussa ut ipse supplanteris. » Tum [b]) Adamum compellans subdit: « Audi senex progenitor, inque spem meliorem fac transferaris; nec enim iam auxilio destitutus in afflictione et angustia deges: venit namque per quam fortis ille in virtute auxiliatricem explicans manum a miseria educat ac liberet. Non ultra per escam depascens corruptio quod ad fictoris imaginem figmentum conditum est, laedet: conditor enim suis ipse visceribus provocatus consilium init, decernitque cum corruptione

a) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 1616. E. et 1617. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἀλλὰ νῦν τόκος ἐμαιεύθη τῆς λυπηρᾶς κρατῶν ἀποφάσεως, καὶ τὴν χαρμονὴν τοῖς πέρασι μνώμενος· διέσφηλας τὸν γενάρχην σκελίσας γυναίῳ, καὶ τὸν φθοροποιὸν τῆς σῆς συμβουλῆς λόγον ἐπὶ κακῷ τῷ σφῶν ἔπεισας δέξασθαι· ἐτέχθη παιδίον ἡμῖν τῆς αὐτῆς μὲν τῇ Εὔᾳ πλάσεως· τοῦ σφάλματος δὲ αὐτῆς ἡ ἀνόρθωσις, καὶ τῆς σῆς ἡ ἀφορμὴ πτερνίσεως, οἷς τὸν ζωοποιὸν τοῦ θεοῦ λόγον ἀῤῥήτως, καὶ ὑπὲρ νοῦν ὑποδέξεται.

b) Ibid. pag. 1617. A-D. Ἄκουε γηραιὲ προπάτορ, καὶ πρὸς ἀμείνονας ἐλπίδας μετάθου· οὐ γὰρ ἔτι ἀβοήθητος ἐν θλίψει καὶ στενοχωρίᾳ διαγενήσῃ· ἐπέστη γὰρ δι' ἧς ὁ κραταιὸς ἐν ἰσχύϊ βοηθὸν ἐξαπλώσει χεῖρα, καὶ τῆς ταλαιπωρίας ἐξαγάγοι· οὐκέτι ἡ διὰ βρώσεως ἐπινεμομένη φθορὰ, τὸ κατ' εἰκόνα τοῦ πλάστου πλάσμα λωβήσεται· ὁ γὰρ δημιουργὸς οἰκείοις σπλάγχνοις ἑαυτὸν παρακαλέσας, τὸ ἅγιον αὐτοῦ ὑπεστήσατο σκήνωμα· καὶ μετὰ τῶν κατοικούντων ἐν φθορᾷ γνώμην τίθεται συναναστραφῆναι, ἵνα διαμείψῃ πρὸς ἀφθαρσίαν· ἀλαλάξωμεν τῷ θεῷ, ὅτι τῆς πολυχρονίου τυραννίδος ἡ βαρύτης ἀρχὴν λαμβάνει τοῦ ἐλαφρύνεσθαι· μᾶλλον δ' ὁ ἀποστάτις εἰς φυγὴν τὴν δίωξιν ἐναλλάξας, ἀναχωρεῖ τύραννος, ὀφθέντος τοῦ βασιλικοῦ σκήπτρου· οὐκέτι χώραν ἐφόδου καθ' ἡμῶν εὑρήσει· ἐγείρεται γὰρ ἡμῖν ἐξ οἴκου Δαβὶδ κέρας δυνάμεως· κέρας ἐν ᾧ συντριβήσεται τῶν μέχρι νῦν ἐπὶ κακίᾳ δυναστευσάντων τὸ κέρας.

1) Serm. I. in Deiparae assumpt. n. 1. p. 1647. F. inter opp. Bernardi T. V.

2) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1314. A. apud Combefisium Auctar. T. I.

3) Orat. in Deiparae descript. n. 6. p. 407. E. inter opp. Athanasii T. II. Ubi auctor inter alia, haec quoque verba Deiparae adscribit: δόξα τῶν γυναικῶν γέγονα· τῆς προτέρας αὐτὰς αἰσχύνης ἀπέλυσα· τὴν Εὔαν ἀνεκαλεσάμην· τὴν φλογίνην ῥομφαίαν μετέστησα. *Gloria sum mulierum, a priori illas turpitudine emergere feci: Evam revocavi: igneum transtuli gladium.*

versari, quo in incorruptionem commutet. Iubilemus Deo, quod diuturnae tyrannidis grave onus leve fieri incipiat; immo apostata tyrannus pro eo ac persequatur, fugam iniens recedit, ubi sceptrum regale conspexit. Non amplius adversum nos invadendi locum inveniet: erigitur enim nobis cornu potentiae [1]) de domo David, cornu, inquam, in quo eorum cornu qui hactenus in malitia dominati sunt, conterendum est. » Ad Davidem vero conversus [a]) pergit: « Enimvero mihi David opportunus venis: cane vero puellae ex tuis lumbis genitae: caue dulcisona tuae sapientiae cantica, *sanctificationis arcam* [2]) suaviter modulans, *gloriosam* [3]) illam *in fimbriis aureis, montem* [4]) *in quo beneplacitum est habitare in eo*. Age autem nunc quoque salta coram divina arca saltus utique ab omni reprehensione liberos. En tibi et finis eorum advenit quae iureiurando promissa sunt: qui namque [5]) de fructu ventris in seculum super regni solium sessurus est, e virginali iam solio assurgit. »

830. Eadem mente neque dissimilibus omnino verbis Iohannes damascenus propter editam in lucem Deiparam laetitia gestiens [b]) exclamat: « Choros, iuvenculae, ducite, Virginis namque dies est na-

a) Ibid. pag. 1617. C-E. Ἀλλά μοι Δαβὶδ εἰς καιρὸν ἥκεις· καὶ ᾆδε τῇ ἐξ ὀσφύος ἀποκυηθείσῃ θυγατρί· ᾆδε τῆς σῆς σοφίας τὰ ἡδύφθογγα ᾄσματα, τὴν κιβωτὸν ἀναμέλπων τοῦ ἁγιάσματος· τὴν δεδοξασμένην τοῖς χρυσοῖς κροσσωτοῖς· τὸ ὄρος ὃ εὐδόκησε κατοικεῖν ἐν αὐτῷ· ἄγε δὴ καὶ νῦν σκίρτησον ἔμπροσθεν τῆς θείας κιβωτοῦ, σκίρτημα μώμων ἐλεύθερον· ἴδε σοὶ καὶ τὸ πέρας τῶν ὠμωμοσμένων παρέστηκεν· ἐκ καρποῦ γὰρ τῆς κοιλίας ὁ μέλλων εἰς τὸν αἰῶνα καθίσειν ἐπὶ τὸν θρόνον τῆς βασιλείας, ἤδη τοῦ παρθενικοῦ θρόνου ἀνίσταται.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. §. II. pag. 850. B-D. Χορεύσατε νεάνιδες· παρθενικὸν γὰρ τὸ γενέθλιον· σκιρτήσατε μητέρες· μητρικὸς γὰρ καρπὸς ἡ παρθενεύουσα· στεῖραι εὐέλπιδές ἐστε πρὸς τὴν πρὶν στειρεύουσαν, εἶτα θεόπαιδα γεννήσασαν ἀποσκοπεύουσαι· μηδέ γε κόραι τῆς χορείας ἀπολειπέσθωσαν, τῆς μόνης κόρων κορωνίδος ὁμοῦ καὶ βασιλίδος τὸ γενέσιον πανηγυρίζουσαι· σαλπίσατε σάλπιγγι ἐπὶ τοὺς βουνούς· ἠχήσατε ἐπὶ τῶν ὑψηλῶν· κηρύξατε ἐν Ἱερουσαλὴμ, δι' Ὠσηὲ ἡμῖν κἀνταῦθα τὸ προσταττόμενον· Δαβὶδ ὁ θεοπάτωρ εὐφράνθητι· Ἡσαΐας ὁ προφητοκράτωρ φαιδρύνθητι· καὶ ὁ μὲν, ὅτι ἐξ ὀσφύος σου κατὰ τὴν ὁρκωμοσίαν ἡ βασιλὶς προέρχεται, ἐξ ἧς θήσειν ἐπὶ τὸν θρόνον σου τὸν καρπόν σου Θεὸς ἐπηγγείλατο· ὁ δὲ, ὅτι ἡ προφητεία σου πέρας εἴληφεν, ἐξελεύσεται ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαὶ, καὶ ἄνθος ἐκ τῆς ῥίζης ἀναβήσεται· ῥάβδος ἡ παρθένος, ἐξ ἧς ἀπειρόγαμος τὸ ἀνθηρὸν καὶ ἀέναον Χριστὸς ἀνεισιν.

1) Luc. I. 69.
2) Ps. CXXXI. 8.
3) Ps. XLIV. 14.
4) Ps. LXXVII. 17.
5) Ps. XXXI. 11.

Digitized by Google

talis. Exsultate matres, matris enim fructus Virgo est. Bono animo steriles estote in eam intuentes, quae quum prius sterilis esset, divinam posthac prolem enixa est. At neque puellae choro desint, diem eius natalitium celebrantes, quae sola puellarum apex et regina exsistit. *Clangite tuba super montes, sonate super excelsa, praedicate in Hierusalem,* quod quidem [1]) per Osee hic nobis etiam praecipitur. David Deiparens gaude animo: Isaia prophetarum primas exhilarare: alter quidem [2]) quod tuis ex lumbis, uti iuratum erat, regina procedat, ex qua Deus fructum tuum super sedem tuam positum promiserat: alter vero quod finem habeat vaticinium illud [3]) tuum, *egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice ascendet.* Virga Virgo est, ex qua, integro decore muliebri, floridus perennisque flos Christus assurgit. » Quibus non contentus, mox [a]) addit: « Quid enimvero huic illive gaudendum definio, nec voce omnia complectente exsultationem indico? *Laetetur* [4]) *caelum desuper, et nubes pluant iustitiam, pullulet terra et germinet misericordiam, et iustitia oriatur simul.* Quid ita? Quia Deo Iacob tabernaculum manifestatum est, quia locus sanctus sanctissimo Verbo ostensus est. Clamet [5]) patriarcharum amplissimus Iacob: *quam terribilis est locus iste! Non est hic nisi domus Dei, et haec porta caeli.* O ineffabiles auditiones! o insolitos eventus! Cum caelum caeli, uti Scriptura [6]) prodit, haud tibi sufficiat, quaenam tibi sufficiens naturalis habitatio fuerit? *Annon* [7]) *caelum et terram ego impleo, dicit*

a) Ibid. §. III. pag. 850. C-E. Ἀλλὰ τί μοι τῷ δεῖνι, καὶ τῷ δεῖνι τὸ χαίρειν περιγράφειν, καὶ μὴ φωνῇ περιληπτικῇ διασημᾶναι τὴν ἀγαλλίασιν; εὐφρανθήτω ὁ οὐρανὸς ἄνωθεν, καὶ αἱ νεφέλαι ῥανάτωσαν δικαιοσύνην, ἀνατειλάτω ἡ γῆ, καὶ βλαστησάτω ἔλεος, καὶ δικαιοσύνην ἀνατειλάτω ἅμα· διὰ τί; ὅτι σκήνωμα τῷ Θεῷ Ἰακὼβ πεφανέρωται· ὅτι τόπος ἅγιος τῷ παναγίῳ λόγῳ ὑποδέδεικται· ὡς φοβερὸς ὁ τόπος οὗτος, βοάτω Ἰακὼβ ὁ πατριαρχικώτατος, οὐκ ἔστι τοῦτο, ἀλλ᾽ ἡ οἶκος θεοῦ, καὶ αὕτη ἡ πύλη τοῦ οὐρανοῦ· ὢ ἀποῤῥήτων ἀκουσμάτων· ὢ παραδόξων ἀποτελεσμάτων· εἰ ὁ οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ οὐκ ἐξαρκέσουσί σοι, ὡς λόγος, καὶ τίς ἡ ἐξαρκοῦσα αὐτῷ φυσικὴ κατοίκησις; οὐχὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ λέγει κύριος; καὶ ποῦ τῷ τοιούτῳ, καὶ ὑπεραίροντι πάσης καταληπτικῆς ὑποθέσεως, περιληπτικὸν χωρίον ἐξευρηθήσεται, ὁ οὐρανός μοί, φησιν, θρόνος, καὶ ἡ γῆ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν μου· καὶ ποῖος οἰκοδομηθήσεται οἶκος τῷ ἐρωτῶντι; ἢ τις ἐξευρεθείη τόπος τῆς καταπαύσεως αὐτοῦ; ἀλλ᾽ ὅμως εὕρηται, καὶ πεφανέρωται.

1) Os. V. 8.
2) Ps. CXXXI. 11.
3) Is. I. 11.
4) Ibid. XLV. 1.
5) Gen. XXVIII. 17.
6) III. Reg. VIII. 27.
7) Ierem. XXIII. 24.

Digitized by Google

Dominus? Et ubinam rerum tali ac tanto, quique omnem comprehensionem exsuperat, locus, qui complectatur, occurrat. *Caelum mihi,* ait [1]), *sedes est, et terra scabellum pedum meorum.* Quaenam vero ei qui interrogat, domus exstruitur, quisve locus inveniatur in quo [2]) requiescat? At vero inventus exhibitusque est. »

831. Porro [a]) Modestus sermonem de lectulo habens, quo virgineum Deiparae corpus elatum fuit, in haec verba erumpit: « O sacer lectule ferens illud vere immaculatum corpus, unde prodiit qui omnia sanctificat. O sacer lectule alium lectum ferens non manufactum, in quo qui [3]) *inclinavit caelos Deus, suam* [4]) ipsius *requiem elegit.* O sacer lectule ferens quod universo mundo multo maius est, purissimum incomprehensibilis Dei receptaculum. O sacer lectule ferens divinam universalis salutis officinam. O sacer lectule ferens purissimum et electum spiritale metallum, ex quo Dominus conditor proprium sibi renovavit figmentum. »

832. Nescio autem an quid hisce desiderari luculentius possit, quae [b]) Hesychius hierosolymitanus presbyter scribit: « *Surge* [5]) *Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae,* quae est haud dubie virgo Deipara. Si enim tu es gemma, merito illa est

a) Encom. in beatam Virginem pagg. 53-55. Ὦ ἱεροφόρε σκίμπου, φέρων τὸ ἀληθινὸν ἀμίαντον, δι' οὗ προῆλθεν ὁ ἁγιάζων τὰ σύμπαντα· ὦ ἱεροφόρε σκίμπου, φέρων ἕτερον, ἀχειροποίητον, ἐν ᾧ ὁ κλίνας οὐρανοὺς θεὸς τὴν ἀνάπαυσιν αὐτοῦ γενέσθαι ἐξελέξατο· ὦ ἱεροφόρε σκίμπου, φέρων τὸ μεῖζον τοῦ παντὸς πάναγνον χώρημα τοῦ ἀχωρήτου Θεοῦ· ὦ ἱεροφόρε σκίμπου, φέρων τὸ θεόθεν ἐργαστήριον τῆς παγκοσμίου σωτηρίας· ὦ ἱεροφόρε σκίμπου, φέρων· τὸ καθαρώτατον καὶ ἐκλεκτὸν νοητὸν μέταλλον, ὅθεν καὶ ὁ πλαστουργήσας κύριος, ἀνενέωσεν ἑαυτῷ τὸ ἴδιον πλάσμα.

b) Orat. de Virginis laudibus, pag. 423. A-D. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II. Ἀνάστηθι κύριε εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου, σὺ καὶ ἡ κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματός σου, ἡ παρθένος, ἡ θεοτόκος, εὔδηλον εἰ γὰρ σὺ μαργαρίτης, εἰκότως ἐκείνη κιβωτός· ἐπειδὴ σὺ τυγχάνεις ἥλιος, οὐρανὸς ἀναγκαίως ἡ παρθένος κληθήσεται· ἐπειδὴ σὺ ἄνθος τυγχάνεις ἀμάραντον, ἄρα ἡ παρθένος ἀφθαρσίας φυτὸν, ἀθανασίας παράδεισος· εἰς ἣν Ἡσαΐας ταῦτα θεῶν ἀρτίως προανεφώνησε λέγων· ἰδοὺ, ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ· ἰδοὺ ἡ παρθένος· ποία; ἡ τῶν γυναικῶν ἔγκριτος, ἡ τῶν παρθένων ἐξαίρετος, τὸ σεμνὸν τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐγκαλλώπισμα, τὸ τοῦ πηλοῦ ἡμετέρου καύχημα, ἡ τῆς αἰσχύνης τὴν Εὔαν, καὶ τῆς ἀπειλῆς τὸν Ἀδὰμ ἀπαλλάξασα, ἡ τὴν παῤῥησίαν ἀποτεμοῦσα τοῦ δράκοντος, ἧς καπνὸς ἐπιθυμίας οὐχ ἥψατο, οὐδὲ σκώληξ αὐτὴν ἡδυπαθείας ἔβλαψεν.

1) Is. LXVI. 2.
2) Ps. CXXXI. 8-14.
3) Ps. XVII. 10.
4) Ps. CXXXI. 13-14.
5) Ps. CXXXI. 8.

arca; et quia sol exsistis, necessario Virgo vocabitur caelum; quum sis flos immarcescibilis, profecto Virgo erit planta incorruptionis et paradisus immortalitatis: in quam Isaias haec prospiciens nuper acclamabat [1]) dicens, *ecce Virgo in utero concipiet et pariet Filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel.* Ecce Virgo. Quaenam? Mulierum egregia, e virginibus electa, praeclarum naturae nostrae ornamentum, gloria luti nostri, quae Evam pudore et Adamum comminatione liberavit, audaciam draconis abscidit, quam concupiscentiae fumus non attigit, neque vermis voluptatis laesit. » Concinit Chrysippus [a]) eiusdem ecclesiae decus inquiens: « Agite ergo, agite, denuo illa cum clamore pronunciate quae prodeunt [2]) ex tam grata vobis cithara: *surge, Domine, in requiem tuam tu et arca sanctificationis tuae.* Arca enim vere regia, arca pretiosissima est Virgo Deipara, arca quae excepit totius sanctificationis thesaurum, arca non ea in qua erant omnium animalium genera, quemadmodum [3]) in arca Noe, quae fluctuantis universi mundi effugiebat naufragium: arca non ea in qua erant tabulae lapideae, quemadmodum [4]) in arca quae per totum desertum una cum Israele perambulabat; sed arca cuius architectus et incola, gubernator et mercator, comes viae et dux erat opifex omnium creaturarum, quas in se ipse universas portat, sed a cunctis ipse non comprehenditur. *Surge, Domine, in requiem tuam;* tua enim requies, inquit, est Virgo, et uterus tua requies, quia tibi cubile efficietur et habitatio. » [5])

a) Orat. de Virginis laudibus, pag. 426. A-D. in biblioth. pp. graeco-lat. Tom. II. Δεῦτε οὖν δεῦτε, πάλιν ἀναβοᾶτε, καὶ νῦν τὰ ἐκ τῆς οὕτως ὑμῖν προσφίλους κιθαρᾶς· ἀνάστηθι κύριε εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου, σὺ καὶ ἡ κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματός σου· κιβωτὸς γὰρ ὄντως βασιλικὴ, κιβωτὸς λίαν πολύτιμος, ἡ ἀειπάρθενος θεοτόκος· κιβωτὸς ὅλου τοῦ ἁγιάσματος τὸν θησαυρὸν δεξαμένη· κιβωτὸς οὐκ ἐν ᾗ τὰ τῶν ζώντων ἁπάντων γένη, καθάπερ ἐπὶ τῆς Νῶε, τῆς τοῦ παγκοσμίου κλύδωνος διαφυγούσης ναυάγιον· κιβωτὸς οὐκ ἐν ᾗ πλάκες λίθιναι, καθάπερ ἐπὶ τῆς κατὰ πᾶσαν τὴν ἔρημον συνοδοιπορησάσης τῷ Ἰσραήλ· ἀλλὰ κιβωτὸς ἧς ἀρχιτέκτων καὶ ἔνοικος, κυβερνήτης καὶ ἔμπορος, συνοδοιπόρος καὶ ἡγεμὼν, ὁ τῆς κτίσεως ὅλης δημιουργὸς, ὁ ἐν ἑαυτῷ φέρων τὴν σύμπασαν, ἀλλ' αὐτὸς ὑπὸ πάσης οὐ περιλαμβανόμενος· ἀνάστηθι κύριε εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου· σὴ γάρ, φησιν, ἡ παρθένος καὶ μήτρα, ἀνάπαυσις, σὴ ἀνάπαυσις, ἐπειδὴ σοὶ κλίνη γενήσεται καὶ κατοίκησις.

1) Is. VII. 14.
2) Ps. CXXXI. 8.
3) Gen. VI.
4) Ios. IV-V-VI.
5) Adductis verbis haec subiicit Chrysippus pag. 426. C-E: Ἀνάστηθι κύριε· ἐὰν γὰρ μὴ σύ, φησιν, ἐκ τῶν τοῦ πατρὸς κόλπων ἐξαναστῇς, πεπτωκός πάλαι τὸ γένος ὑμῶν οὐκ ἀναστήσεται· ἀνάστηθι κύριε· σὺ γὰρ καὶ ἀναστὰς, οὐ χωρισθήσῃ τῆς δόξης τοῦ πατρός, καὶ κάτω παραγενόμενος, οὐκ ἀπολείψεις τοὺς οὐρανοὺς, καὶ

833. Praeterire tandem tacitus nolo quae a) Michael Glycas scriptor minime ineptus occasione Deiparae vita functae et ad vitam revocatae his plane verbis testatur: « Ceterum tametsi Virgo mater naturae legibus fuit obnoxia, tametsi mortem degustavit, tametsi ut homo in sepulcrum est deposita, naturae tamen fines atque terminos superavit et excessit, neque sepulcrum et mortalitas eam in potestate sua retinere potuit. Nam et ipsa de sepulcro resurrexit, prorsus uti Filius eius idemque Deus fecerat, solis sepulcralibus exuviis in monumento relictis. Huic narrationi fidem facit divinus ille Iuvenalis, qui Hierosolymorum antistes fuit. » Probat hoc Gly-

a) Annal. part. III. pag. 433. in Corp. scriptt. hist. byzant. Tom. XXX. edit. Bonnae MDCCCXXXVI. Πλὴν εἰ τῆς φύσεως νόμοις ὑπέπεσεν, εἰ καὶ θάνατον ἐγεύσατο, εἰ καὶ μνήματι κατετέθη ὡς ἄνθρωπος, ἀλλὰ τοὺς ὅρους νενίκηκε τῆς φύσεως, ἀλλὰ τάφος καὶ νέκρωσις αὐτὴν οὐ κεκράτηκε· τοῦ γὰρ μνήματος ἐξανέστη καὶ αὐτὴ παραπλησίως τῷ υἱῷ αὐτῆς καὶ θεῷ, μόνα παρὰ τῷ τάφῳ καταλείψασα τὰ ἐντάφια· καὶ πιστοῦται τὸν λόγον Ἰουβενάλιος ὁ τῶν Ἱεροσολύμων χρηματίσας θεῖος ἐπίσκοπος.

ἐν σαρκὶ φανεὶς, οὐκ ἐλαττώσεις τὴν ἐξουσίαν τὴν προαιώνιον· σὺ καὶ ἡ κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματός σου· ὅταν γὰρ σὺ ἐκεῖθεν ἐξαναστὰς, τὴν τοῦ σοῦ ἁγιάσματος κιβωτὸν σφραγίσῃς, τότε καὶ ἡ κιβωτὸς μετὰ πάντων ἐξαναστήσεται ἐκ τοῦ πτώματος, ἐν ᾧ κατέστησε καὶ αὐτὴν ἡ τῆς Εὔας συγγένεια. *Surge, Domine. Num nisi tu exsurgas e sinu paterno, inquit, genus nostrum quondam lapsum non resurget. Surge, Domine, quia etiamsi exsurgas, non separaberis a gloria paterna, et versans in terra, non relinques caelos, et licet apparens in carne, non imminues potestatem quam habes ante secula. Tu et arca sanctificationis tuae. Quum enim tu inde surrexeris, obsignabis arcam sanctificationis tuae, tumque arca cum omnibus exsurget a lapsu, in quo vel illam constituit Evae cognatio.*

Haec autem duobus iisque diversissimis modis accipi possunt, quorum prior est, *ut Virgo propter Evae cognationem, naturalemque ex Adama et Eva propagationem obnoxia debito contrahendi peccati originalis atque in conditione lapsae naturae constituta* significetur: alter vero, *ut Virgo una cum ceteris omnibus Adami posteris vitio originalis transgressionis infecta et labe communis culpae maculata* censeatur.

Neminem porro latet, ex hisce duobus intelligendi modis illum dumtaxat sincerum germanumque haberi posse ac debere, qui antecedentibus et consequentibus respondeat, ipsisque obiectis verbis quadamtenus innuatur. Sed antecedentia et consequentia non aliam patiuntur acceptionem nisi priorem, neque aliam acceptionem nisi priorem innuunt verba ipsa quae prima fronte difficultatem gignunt.

Sane, ut memet paucissimis contineam, Chrysippus in antecedentibus (pag. 424. E.) Virginem nominat tum τὴν ἀειθαλῆ ῥάβδον Ἰεσσαί, *virgam Iesse semper virentem*, tum (p. 425. A.) ὡραίαν ἐν γυναιξὶν *speciosam inter mulieres*, quemadmodum eius Filius est ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, *speciosus forma prae filiis hominum*. In consequentibus vero (pag. 427. A-B.) de Virgine ait: λαὸς ἀγνώμων προσοικειοῦταί σοι τῷ ἀμώμῳ βλαστήματι φύσει· καὶ τὸ σὸν φύει ῥόδον ἀκανθηφόρον γεώργιον. *Populus imprudens adiunctus est tibi germini immaculato natura, et cultura spinarum ferax rosam tuam produxit.* Atqui pugnant haec apertissime cum facto originalis culpae quem Virgo contraxerit, et posteriorem verborum Chrysippi acceptionem liquido excludunt.

Quam ipsa quoque obiecta verba repudiant. In illis enim Virgo a reliquis Adami posteris secernitur: eiusdem liberatio a lapsu veluti medium instrumentumque exhibetur, per quod et ceteri omnes erigantur: hinc ipsa (p. 425. C.) ἡ ῥίζα πάντων τῶν ἀγαθῶν, *radix bonorum omnium* salutatur: quare alius liberationis modus ipsi ceterisque tribuitur. Videlicet ipsi modus tribuitur illi geminus, quem David gratias Deo agens proponit (Ps. LV. 13.) inquiens: *quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu*. Qui modus *praeservationis* est, ne quis cadat, non autem *sanationis* qua contractum ex lapsu vulnus reparatur.

Digitized by Google

cas, tum [a]) pergit: « Consimili nimirum modo et ipsam Dei matrem ex mortuis resurrecturam fuisse, quo Filius resurrexerat multo ante beatus ille David [1]) huiusmodi verbis significaverat: *surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae*. Nam quia norat David eam, quae Christum utero suo gestasset et illam ipsam ob caussam arca sanctitatis esset atque nuncuparetur, eodem pacto resurrecturam e sepulcro quo et natus ex ipsa Christus Dei Filius et Deus resurrexit; idcirco non abs re consimilem utriusque resuscitationem ex mortuis multo aute quasi pictura quadam expressit. Etenim ni res ita se haberet, non sane posteaquam dixerat, *surge, Domine*, subiecisset, *et arca sanctificationis tuae*. Quapropter hac quidem de re ne ullatenus ambigas. » Quam dubitationem ut plenius etiam [b]) convellat, subdit: « Nam quia duo illa primum omnium creatorum hominum corpora interitui facta sunt obnoxia propter inobedientiam, indeque porro subsequutum aliud, nimirum ut malum eiusmodi latius serpens in universam naturam humanam

a) Ibid. pagg. 433-434. Ὅτι δὲ ἡ αὐτὴ καὶ ἡ ἐπὶ τῆς θεομήτορος ἔμελλε γενέσθαι ἀνάστασις, καὶ ταύτην ἐκ νεκρῶν ἐγερθῆναι καθὰ δὴ καὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς, ὁ μακάριος Δαβὶδ προφθάσας ἐδήλωσεν οὕτως εἰπών· ἀνάστηθι, κύριε, εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου, σὺ καὶ ἡ κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματός σου· ἐπειδὴ γὰρ τὴν ἐν γαστρὶ βαστάσασαν αὐτὸν κἀντεῦθεν κιβωτὸν ἁγιάσματος χρηματίσασαν, οὕτως ἐγηγερμένην ἐκ τάφου προέγνωκεν ὁ Δαβὶδ καθὰ δὴ καὶ τὸν ἐξ αὐτῆς γεννηθέντα Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ θεόν, εἰκότως ἄρα καὶ ἐπὶ ταύτῃ τὴν ὁμοίαν προέγραψεν ἔγερσιν· εἰ μὴ γὰρ τοῦτο ἦν, οὐκ ἂν ἐκεῖνος εἰπὼν, ἀνάστηθι κύριε σὺ, τηνικαῦτα ἐπήγαγε, καὶ ἡ κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματός σου· μὴ οὖν ἀμφίβαλλε.

b) Ibid. pagg. 434-435. Ἐπειδὴ γὰρ τὰ δύο τῶν πρωτοπλάστων σώματα τῇ λύμῃ τῆς φθορᾶς ὑπέπεσε διὰ τὴν παράβασιν, κἀντεῦθεν τὸ τοιοῦτον ὕφερπον κακὸν διαδόσιμον ἐφ' ἅπαν γέγονε τὸ ἀνθρώπινον· διὰ τοῦτο καὶ νῦν πρώτως δύο σώματα ἀποτιναξάμενα ἀπαρχὴ τοῖς ἐλπιζομένοις ἀφθαρσίας γεγόνασι· καὶ μὴ μῦθον ἡγοῦ τὰ λεγόμενα· ὅρα γὰρ νουνεχῶς ὅτι καὶ ὁ ἐν πατριαρχαῖς ἁγιώτατος Γερμανὸς τὰς ἀφορμὰς ἐκεῖθεν λαβὼν ἐν τῷ εἰς τὴν κοίμησιν λόγῳ αὐτοῦ καὶ τάδε κατὰ ῥῆμα διέξεισιν ὅτι ζῇ σου τὸ πνεῦμα διὰ παντὸς, καὶ ἡ σάρξ σου διαφθορὰν οὐχ ὑπέμεινε τάφου· πάντα ἐπισκέπτῃ, καὶ ἡ ἐπισκοπή σου πρὸς πάντα, ὥστε κἂν οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν κεκράτηνται μὴ βλέπειν σε, ἀλλὰ σὺ παναγία τοῖς ἀξίοις ἑαυτὴν ἐμφανίζεις· ἡ γὰρ σὰρξ οὐκ ἐμποδίζει τῇ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ τοῦ πνεύματός σου· καὶ αὖθις· τὸ μὲν σῶμά σου τὸ παρθενικὸν ὅλον ἅγιόν ἐστιν, ἀλλαγὲν μὲν ὡς ἀνθρώπινον πρὸς ἄκραν ἀφθαρσίαν ζωῆς, σῶον δὲ ὁ τοῦτο [2]) ζωοτελὲς καὶ ἀκοίμητον, ὡς σκεῦος ὑπάρχον θεοδόχον· ἐῤῥέτω τάφος, ἐῤῥέτω χοῦς ἐπὶ σοὶ, θεοτόκε· πρὸς τούτοις δὲ ὁ ἁγιώτατος Ἀνδρέας ὁ Κρητὴς αὐτὴν ταύτην εἰσάγει λέγουσαν ὅτι τῇ μὲν ψυχῇ μεγαλύνω τὸν κύριον καὶ ἀγαλλιῶμαι τῷ πνεύματι, τῷ σώματι δὲ μεταλλάττομαι καὶ μορφοῦμαι τὴν ἐν χάριτι θέωσιν.

1) Ps. CXXXI. 8.

2) Pro δὲ ὁ τοῦτο legerem non ταῦτο sed διὰ τοῦτο.

sese dideret; idcirco nunc quoque primum omnium duo corpora excusso depositoque interitu facta sunt primitiae quasi quaedam eius immortalitatis, quam spe certa nobis pollicemur. Atque haec quae dicimus, cave pro fabula duxeris. Nam ecce sanctissimus ille patriarcha Germanus hinc occasione sumpta sic ad verbum in oratione sua de obdormitione Virginis loquitur: *semper vivit spiritus tuus, et caro tua sepulcralem corruptionem non est experta. Omnia intueris, et inspectio tua versus cuncta dirigitur. Quo fit ut quamvis oculi nostri praepediantur quominus te cernant; tu tamen, sanctissima, dignis temet conspiciendam praebeas. Nam caro vi et efficacitati spiritus tui nequit officere vel impedimento esse.* Ac rursum: *corpus tuum virgineum omnino sanctum est, et humanum quidem, sed quod ad summam immortalitatis vitam pervenerit, adeoque integrum sit et absolute vivum et obdormitioni non obnoxium, quippe quod vas Dei capax fuerit. Valeat, te quod attinet, sepulcrum; valeat pulvis, o Deipara.* Quin etiam sanctissimus ille cretensis praesul Andreas iu hunc modum ipsam loquentem introducit: *animo quidem magnifice Dominum celebro et spiritu exsulto; corpore vero immutor et ad divinitatem ex gratia profectam transformor.* »

834. Quum igitur duo nobis essent proposita, utrumque nobis videmur explesse. Erat namque inprimis nobis propositum demonstrare, maioribus nostris in more fuisse ut haec psalmi verba, *surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Haec requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam*, ad Deiparam referrent. Iamvero tam publicis Ecclesiae monimentis, quam disertis iisque sane non paucis beatissimorum patrum testificationibus comprobavimus, eam qua de loquimur verborum psalmi accommodationem solemni vulgatoque usu fuisse receptam.

835. Nobis deinde propositum erat ostendere, descripta psalmi verba iis illustrata commentariis referri ad Virginem consuevisse, ut non aliae magis eiusdem praerogativae quam decus immaculati conceptus declararentur. Sed hoc etiam caput neque parce neque ambigue a nobis confectum ii ultro fatebuntur, qui et adductos in medium commentarios memoria recolant, et quid iis contentum, quidve ex illis aptum nexumque sit, paullo diligentius considerent. Intelligent enim non modo Virgiuem uti *arcam* exhiberi *vere regiam, pretiosissimam, purissimam, omni ex parte immaculatam, longe*

Digitized by Google

utraque arca tam Noe quam Moysis praestantiorem, atque a Deo ipso idcirco exstructam, ut in ea ipse conquiesceret, in ea habitaret, ex ea prodiret atque per eam eximio singularique modo suam gloriam patefaceret; verum etiam de hac ipsa arca, deque Virgine illius antitypo geminatis sententiis confirmari, *illam ex lumbis prodiisse non servam sed reginam, non filiam irae sed Dei prolem, non domicilium satanae sed locum sanctum Verbo sanctissimo adornatum, non culpae labe sordidum sed purum electum spiritale metallum e quo creator Deus suum figmentum instauravit, non ignominia suffusam sed nostri luti gloriam, non obligatam sententia damnationis sed illius victricem et salutis pignora efferentem, non diabolo obnoxiam sed nobile triumphi de eo referendi instrumentum, non illius constrictam vinculis sed solutam et dominam, non erigendam a lapsu neque e captivitate redimendam sed universalem mediatricem et amissae vitae reparatricem, non consortem hereditatis Evae sed primae matris emendatricem, non conclusam reliquorum omnium ambitu sed una cum Filio non minus a reliquis secretam omnibus, quam primum hominum par ab eisdem fuerit distinctum,* denique *non consciam originalis transgressionis effectuum, neque proinde consciam sive inflammantis libidinis sive resolutionis in pulverem; sed ab illis immunem prorsus et integram, proxime quidem quod prioris inobedientiae vitium non contraxerit, remote vero quod talis, Deo ordinante, exstiterit, cuiusmodi eam esse oportebat, quae Sanctum sanctorum contineret, quae finem maledictioni imponeret, quae gaudii exordia adduceret, quae in plenitudine temporis eum ipsum Unigenitum sinu foveret qui ab aeterno in sinu Patris conquiescit, quaeque verissime Dei genitrix crederetur et esset.*

836. Quemadmodum vero eiusmodi sententiarum nulla est, quae Virginem originalis culpae exsortem non ostendat; ita illarum summa immaculatum Virginis conceptum ad evidentiam usque persuadet. Quare iis absolvam quae ibi [1]) Corderius habet ubi arcam antiqui foederis cum arca novi pacti contendens scribit: « Arca vero sanctificationis nostrae (Deiparam intelligo) multa longe mirabiliora conficit: illa enim praesente, non Dagon modo unus sed omnia idola vanitatum corruunt, impii merito supplicio afficiuntur, superbae vitiorum arces et castella, ut Iericho illa vetus, cadunt,

1) Adnotatt. ad ps. CXXXI. 8. pag. 619. col. 1. B-E.

Digitized by Google

potentissimi humani generis hostes omni crudelitate nostram in cladem inhiantes in foedam fugam vertuntur, superantur. Proh quam nobis ab illius praesidio triumphi et coronae texuntur! Illa nobis vallum est, illa scutum, et, ut Moysis utar verbis populum [1]) in Deuteronomio excitantis, *gladius gloriae nostrae:* sancto ipsius auratoque pallio ut muro firmissimo tegimur: obiecto illius nomine ut tormento militari fulminante hostium machinationes perfringimus. Nos igitur novam habemus arcam, vere gloriam et pulcritudinem Ecclesiae tum militantis tum triumphantis, quam mundi opifex Deus non e lignis setim, sed ex omnium gratiarum admirabilitate confecit: in ea lex, in ea manna, propitiatorium, splendor, maiestas: inde voces, oracula, gratiae: ibi sedes perhonorifica Numinis populum moderantis: hanc sacerdotes et liturgi nostri non ut illi quondam mystae Abramidum humeris, sed in oculis atque in ore ferant oportet et penitissimo in pectore, ipsius laudes praedicent, illam ament atque omni studio venerentur: ab illa praesens in adversae fortunae casibus praesidium, ab illa quies et caelestium bonorum copia, ab ea virtus sanctimoniaque donantur. Hinc iure optimo David prosapiae suae decus admirans vocat *arcam sanctificationis.* Quod, opinor, imitatus [2]) Andreas hierosolymitanus nuncupat eam *arcam, in qua novae sanctificatio gloriae. Vere arcam sanctitatis,* inquit [3]) Iuvenalis Hierosolymorum antistes, *quae Christum in utero suo gestavit. Vere arcam sanctissimam,* ait [4]) Gregorius thaumaturgus, *intrinsecus et extrinsecus deauratam, quae universum sanctificationis thesaurum suscepit.* »

ARTICULUS V.

De commate sexto Psalmi decimi octavi: ecclesiastica huius commatis ad Deiparam accommodatio: eiusdem de Deipara explicatio, eaque talis qua tum aliae illius dotes, tum decus immaculati conceptus declarantur.

837. Maiorum sententiam illamque verissimam de argumento psalmi decimi octavi, his expressam verbis [a]) reperimus: « Legum

a) Apud Corderium in exposit. pp. graecorum in psal. XVIII. pag. 346. col. 1. D. Τῶν

1) Deut. XXXIII.

2) Orat. de salutat. angelic. Κιβωτὸν, ἐν ᾗ τὸ ἁγίασμα τῆς καινοπρεποῦς δόξης.

3) Apud Glycam, annal. P. III.

4) Orat. I. de Annuntiatione.

divinarum tres species concorditer cum [1]) beato Paulo a Davide edocemur. Primam quidem in creatione, quae conditorem praedicat. Deinde illam quae per Moysem data fuit, quae maiorem notitiam animum ad illam advertere volentibus praebet. Tertiam denique legem gratiae perfectam, quae animas purgat et a praesenti corruptione liberat. Propterea etiam in finem nos hic psalmus transmittit, novum testamentum in fine praenuncians. » Inter cetera autem quae ad priorem legem, manifestationemque divinam creatione contentam spectant, haec etiam [2]) numerari debent: *in sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Consentiunt alexandrini interpretes qui habent [3]), ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ὡς νυμφίος ἐκπορευόμενος ἐκ παστοῦ αὐτοῦ. Sed non minimum dissident tum reliqui graeci interpretes, tum textus originalis. De illis sunt haec insignia [a]) penes veterem anonymum: « Magis dilucide *(prae Alexandrinis)* reliqui interpretati

θείων νόμων εἴδη τρία, συμφώνως τῷ μακαρίῳ Παύλῳ, παρὰ τοῦ Δαβὶδ διδασκόμεθα· πρῶτον μὲν τὸν ἐν τῇ κτίσει κηρύττοντα δημιουργόν· εἶτα τὸν διὰ Μωσέως, πλείονα γνῶσιν, τοῖς προσέχειν ἐθέλουσιν, ἐντιθέντα· καὶ τρίτον τὸν τῆς χάριτος τέλειον, τὰς ψυχὰς ἀποκαθαίροντα, καὶ τῆς παρούσης ἐλευθεροῦντα φθορᾶς· οὗ δὴ χάριν καὶ εἰς τέλος ἡμᾶς ὁ ψαλμὸς παραπέμπει, τὴν καινὴν ἐν τῷ τέλει διαθήκην προσαγορεύων.

a) In exposit. pp. graec. apud Corderium p. 351. col. 2. D. Λευκότερον ἡρμήνευσαν οἱ λοιποί· ὁ μὲν Ἀκύλας εἰπών· τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα ἐν αὐτοῖς· ὁ δὲ Σύμμαχος· τῷ ἡλίῳ ἔταξε σκηνὴν ἐν αὐτοῖς, ἤτοι οἶκον· ποῦ ἔθετο; ἐν τοῖς προλεχθεῖσί, φησι· ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τῷ στερεώματι τὸ τοῦ ἡλίου οἴκημα ἔθετο ὁ θεός, ὃ καὶ παστὸν ὠνόμασε· καθὼς καὶ Μωσῆς φησι· καὶ ἔθετο αὐτοὺς ἐν τῷ στερεώματι.

1) Rom. I-II-III.

2) Ps. XVIII. 6.

3) Diodorus tarsensis apud Corderium pp. 352. col. 1. B, et 360. col. 1. E, col. 2. A. versioni alexandrinae hunc sensum subiicit: αὐτός, φησιν, ἐδημιούργησε τοὺς οὐρανούς, καὶ τὰς ἡμέρας καὶ τὰς νύκτας, καὶ παρέχουσι τὴν ἀκριβῆ κατάληψιν τῆς ποιήσεως τοῖς συνετῶς ὁρῶσι· τὸ δὲ κατὰ τὸν ἥλιόν φησι, καὶ πᾶσαν φύσιν ὑπερέχει θαύματος· ὅτι τοσοῦτον ὄντα καὶ τηλικοῦτον τὸ μέγεθος, ἐποίησεν ὑπ' οὐδενὸς φέρεσθαι, ἀλλ' ὑφ' ἑαυτοῦ βαστάζεσθαι, καὶ ἑαυτὸν φέρειν· τοῦτο γάρ ἐστι τό, τὸ σκήνωμα αὐτοῦ ἔθετο ἐν αὐτῷ· ἀντὶ τοῦ, αὐτὸν τὸν ἥλιον ἔταξε φέρειν ἑαυτόν, ὅ ἐστιν ὑπερβαλλούσης δυνάμεως τοῦ πεποιηκότος. *Ipse, inquit, fabricatus est caelos et dies ac noctes, quae prudenter intuentibus certam cognitionem suae effectionis praebent. Quod autem in sole spectatur, inquit, omne miraculum superat: qui quum tanta sit magnitudine, fecit Deus ut nullo vehiculo ferretur, sed ipse a se gestaretur seque ipsum ferret. Hoc namque est,* tabernaculum suum posuit in ipso, *idest, solem ut sese ferret constituit: quod summam probat vim conditoris.* Quae contorta omnino sunt ac prope inania, et prae quibus longe sunt ista meliora ibidem pag. 352. col. 1. A. Ὅτι εἰκόνα ὁ θεὸς τῆς ἑαυτοῦ φωτοδοσίας τὸν ἥλιον προὔθηκε, καὶ οὕτως σκήνωμά τι ἑαυτοῦ τὸν ὁρώμενον ἀφομοιῶσαι, ἀντὶ τοῦ, ἔσοπτρον ἑαυτοῦ τοῦτον τέθεικε, διάγγελον οἰκητήριον, οἷόν τι βασίλειον οἴκημα, τὸ τούτου κάλλος μηνύοντα. *Quod Deus solem proposuerit ut suae illustrationis imaginem, atque ita ceu aliquod suimetipsius tabernaculum effinxerit, idest, veluti speculum quoddam suum constituerit, et habitaculum quod ipsum indicaret, non secus ac domus regia splendorem regis annunciat.* Cf. Eccli. XLIII. 2-4, et pseudo-Dionysium qui de div. nominibus cap. IV. solem vocat τῆς θείας ἀγαθότητος ἐμφανῆ εἰκόνα, *splendidissimam divinae bonitatis imaginem*

sunt. Aquila quidem, *soli posuit tabernaculum in ipsis;* Symmachus vero, *soli posuit umbraculum in ipsis*, idest domum. Ubi posuit? In iis, inquit, quae praedicta sunt. In caelo et firmamento solis habitaculum posuit Deus, quod et thalamum nominavit, ut etiam Moyses [1]) ait: *et posuit ipsos in firmamento.* » Originalis vero textus [2]) hunc fundit sensum: *soli* Deus *posuit tabernaculum in illis caelis, et ipse veluti sponsus qui e suo thalamo procedit.*

838. Quemadmodum vero e maioribus nostris fuisse novimus, qui secundum anagogen *tabernaculi* nomine intellexerunt vel [3]) *assumptam ab Unigenito carnem*, vel [4]) *Ecclesiam quae mysticum est eiusdem corpus;* ita, subdit [5]) Corderius, non incongrue *tabernaculi* nomen etiam de Virgine sumi potest « In qua, tamquam in tabernaculo Deus homo factus, et ex qua natus prodiens humanis oculis visibilis apparuit. *In sole* autem dicit, quia Virginis admirandae virtutes toti mundo innotuerunt. *Magna enim,* inquit [6]) Anselmus, *atque miranda divinorum signorum indicia nativitatem Virginis praecurrerunt, quatenus eo maior veneratio fidelium circa eius exortum exsisteret.* Quidni etiam *in sole,* hoc est in Virgine, Deus dicatur tabernaculum suum posuisse? Illa enim est orbi universo eminens et conspicua uti sol, quam beatam dicunt omnes generationes. Fulgor illius omnem sensum et cogitationem excedit. Quod autem sequitur, *et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo,* de Christo etiam ex Virginis utero prodeunte sic exponit [7]) Damascenus: *sempiternum lumen, quod ex sempiterno lumine antiquiorem seculis exsistentiam habet, ex virgine Maria corporaliter ac tamquam sponsus de thalamo prodit.* »

839. Sane huius commatis ad Deiparam accommodatio usu maiorum probata inprimis ostenditur, tum Officiis romanae ecclesiae et missali mozarabico [8]) in festis Annuntiationis et Circumcisionis,

1) Gen. I. 15.

2) Ps. XVIII. 6. לַשֶּׁמֶשׁ שָׂם־אֹהֶל בָּהֶם
וְהוּא כְּחָתָן יֹצֵא מֵחֻפָּתוֹ׃

3) Cosmas indicopleustus apud Agellium in comm. ad h. l. scribit: *σκήνωμα ἡ τοῦ κυρίου σάρξ, ἡ προσληφθεῖσα ἐν τῇ αὐτοῦ θεότητι. Tabernaculum* est *Domini caro, quae assumpta est in eius divinitate.* Igitur ex integro commate hic sensus exsistet: *in sole*, hoc est, in divinitate *posuit tabernaculum suum*, et corpore humano quod assumpsit, tamquam obtento tabernaculo, divinitatem occultavit.

4) Anonymus apud Corderium p. 357. col. 2. B. ait: *Κατ' ἀναγωγὴν δὲ σκήνωμα θεοῦ ἡ ἐκκλησία. Secundum anagogen vero tabernaculum Dei est Ecclesia*. Quae, monente Augustino in I. epist. Iohannis Tract. II., propterea *in sole* posita dicitur, quia sicuti sol nequit omnino latere, ita neque Ecclesia potest obscondi.

5) In adnotat. ad Ps. XVIII. 6. pag. 361. col. 1. B-D.

6) De excellent. Virginis cap. II.

7) Orat. I. in Deiparae nativit.

8) Miss. mozarab. T. I. pagg. 34-54. edit. Leslei.

tum [1]) sacramentario gallicano et vetusta oratione [2]) his verbis concepta: « Piissime Deus, qui virginali thalamo egressus processisti ad liberandum nos sicque demum ad Patris dexteram conscendisti, immensam misericordiam tuam exposcimus, ut lege tua conversi, praeceptis illuminati, testimoniis eruditi, mereamur et ab alienis et ab occultis vitiis emundari. » Itemque psalterio quod Anselmo tribuitur et quo ista [3]) continentur:

» Lux quae luces in tenebris
» Ex alvo nata Virginis,
» Nostra nocte nos exue,
» Diemque tuum indue.

» Maria Dei thalamus,
» Posce te venerantibus,
» Virtutibus ut splendeant
» Quos reatus obtenebrant.

Et [4]) rursum:

» Ave mater advocati,
» Qui beatus consilio,

» Aula ventris incorrupti
» Processit ut ex thalamo.

Ad [5]) haec:

» Ave cuius virgineo
» Deus processit thalamo,

» Dotali nobis gratia
» Se praebens in sponsalia.

Tandem [6]):

» Ave Sion illa pacis,
» In qua decet hymnus Deum,

» Aulam tuae castitatis
» Qui sibi fecit thalamum.

Accedunt hymni multo vetustiores, cuiusmodi est ambrosianus in quo [7]) legimus:

» Alvus tumescit Virginis,
» Claustrum pudoris [8]) permanet,
» Vexilla [9]) virtutis micant,
» Versatur in templo Deus.

» Procedit e thalamo suo,
» Pudoris aula regia
» Geminae [10]) gigas substantiae,
» Alacris ut currat viam.

Et eiusmodi alter est per Adventum ad tertiam, ubi de Christo [11]) dicitur:

» Qui condolens [12]) hominibus
» Mortis subiectis legibus

1) Sacrament. gallic. pag. 301. apud Mabillonium Mus. italic. T. I. P. II.

2) Apud Card. Thomasium in Psalterio perpet. interpret. ornato, pag. 65. opp. T. III.

3) Psalter. pag. 303. col. 1. A-B.

4) Ibid. pag. 303. col. 2. E. et col. 3. A.

5) Ibid. pag. 304. col. 1. C.

6) Ibid. pag. 305. col. 1. E.

7) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 12.

8) Men. Aug. XXII. Οὐδαμῶς παρεσάλευσε παρθενίας σου τὰ κλεῖθρα.

9) Quemadmodum vexilla imperatoribus romanis praeferri solebant quocumque irent et quotiescumque procederent, ut ita conspicui redderentur; ita mystice insignia virtutis in Virgine conspiciebantur, unde Hugo Cardinalis: *casta, tacens, residens, sperans, humilis, pia, prudens, hoc septiformi munere Virgo micat.*

10) Men. Nov. XI. Ἐν δυσὶ ταῖς οὐσίαις καὶ θελήσεσι. Oct. XIX. Ὑπόστασις σύνθετος ἐν δυσὶ ταῖς οὐσίαις.

11) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 74.

12) Clemens alexandrinus Paedag. I. 12. Τοῦτο τὸ μέγιστον καὶ βασιλικώτατον ἔργον τοῦ θεοῦ, σώζειν τὴν ἀνθρωπότητα.

Digitized by Google

» Factus [1]) homo restituis
» Vitam in tuo sanguine.
» Vergente [2]) mundi vespere
» Uti sponsus de thalamo
» Egressus honestissima
» Virginis matris [3]) clausula.

Hinc illa [4]) Venantii Fortunati:

» Si quoque qui fundavit eam, est Altissimus ipse,
Haec Sion mater, virgo Maria fuit.
» Qui tamquam sponsus thalami procedit ab alvo,
Exsultatque gigas Christus eundo viam.
» O uteri thalamus, nova iunctio facta salutis,
Qua Deus atque caro nupsit honora novo!

840. Iis deinde ostenditur quae in graecae ecclesiae monimentis solemniter usurpata reperimus, qualia haec [a]) sunt: « Lucidum thalamum, e quo omnium Dominus Christus tamquam sponsus processit, laudemus universi exclamantes: omnia opera Domini Dominum celebrate et superexaltate in omnia secula. » Tum [b]) haec ex Iosepho confessore: « Excelsissima mente, demissoque corde excelsissimum regis thronum, sanctissimam puellam, gratia plenam glorificemus. O electe Dei thalame, nos vestem tuam in tuo hoc thalamo venerando repositam fide colimus, tamquam arcam sanctam, tutelamque piorum. » Atque ista [c]) rursum: « Te, labis omnis expers

a) Antholog. in Octoech. pag. 7. col. B. Τὴν παστάδα τὴν φωτοειδῆ, ἐξ ἧς ὁ τῶν ἁπάντων δεσπότης, ὥσπερ νυμφίος, προελήλυθε Χριστὸς, ὑμνήσωμεν ἅπαντες ἐκβοῶντες· πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον ὑμνεῖτε καὶ ὑπερυψοῦτε εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

b) Men. die II. Iulii Ode ζ'. pagg. 11. col. 2. E. et pag. 12. col. 1. A. Ὑψηλοτάτῳ νοῒ, καὶ ταπεινῇ καρδίᾳ τοῦ βασιλέως ὑψηλότατον τὸν θρόνον δοξάσωμεν τὴν παναγίαν κόρην, τὴν κεχαριτωμένην· παστὰς θεοῦ ἐκλεκτὴ, ἐν τῇ σεπτῇ σου ταύτῃ παστάδι πίστει τὴν ἐσθῆτά σου κειμένην σεβόμεθα, ὡς κιβωτὸν ἁγίαν, καὶ εὐσεβούντων σκέπην.

c) Offic. quadrag. in Domin. Tyroph. Ode ε'. pag. 85. B. Νυμφῶνα δόξης σὲ μυστικὸν πάντες καταγγέλλομεν πιστοὶ, θεοκυῆτορ πανάμωμε· ὅθεν δυσωπῶ σε, ἁγνὴ, πεσόντα με νυμφῶνα παραδείσου οἰκεῖον ποίησον.

Ibid. Ode η'. pag. 88. D. Φωτοφόρον σκηνήν σε θεοῦ σαρκώσεως ἀνυμνοῦμεν, Μαρία θεοχαρίτωτε· ὅθεν με δεινῶς σκοτισθέντα τοῖς πάθεσι λάμψον, φῶς ἐλέους, ἐλπὶς ἀπηλπισμένων.

Ibid. in Domin. I. Ieiunii Ode ς'. pag. 154. B. Ὁ πάλαι μαρτυρίου προστάξας γενέσθαι σκηνὴν, ὡς ἐν σκηνῇ, ἐν σοὶ κατοικεῖ ὁ μόνος δεδοξασμένος, ὁ δοξάζων τὸν ναόν σου, παρθένε, τοῖς θαύμασι.

1) Gregorius Moralium XIV. 38. *Deus frustra nil facit.*

2) Cf. Ambrosium de bono mortis cap. X.

3) Ostendit Cangius *clausulam* apud sequioris latinitatis auctores idem valere ac *cellam et aream septo clausam.*

4) In laudem Virginis pag. 279. opp. P. I. lib. VIII.

Dei genitrix, fideles universi mysticum gloriae thalamum annunciamus; unde lapsum me, o innocens, aptum fac paradisi thalamum. Canimus te, Maria Deo gratissima, lucidum divinae incarnationis tabernaculum; quare me cupiditatibus foede obtenebratum illumina, fons misericordiae, spes eorum quos spes omnis dereliquit. Qui olim fieri iussit tabernaculum testimonii, in te ceu tabernaculo inhabitat, o Virgo, solus glorificatus, qui miraculis templum tuum gloriosum reddit. Dei genitrix Virgo, thalamus regis caelestis Christi, salva precibus tuis eos qui pio te ardore concelebrant.» Quibus haec [a]) suffragantur: « Ut animatus thalamus et spiritalis concha, chlamys purpurei coloris omnium regi apparuisti, o Virgo, et purpura e qua contexta est caro Verbi, Dei hominis. » Atque haec rursum [b]) ex Coptorum hymnis: « Salve o thalame undequaque ornate veri sponsi, qui se cum humanitate copulavit. »

841. Succedunt tertio postremoque loco scriptorum veterum, patrumque testimonia, quibus et psalmi ad Virginem accommodatio confirmatur, et insita illi vis luculenter aperitur. Et de accommodatione quidem psalmi ad Virginem testes sunt locupletes [1]) Amedeus lausannensis, Ivo carnotensis [2]), Germanus constantinopolitanus [3]), Beda cognomento venerabilis [4]), Hildephonsus toletanus [5]),

Ibid. Fer. II. Heb. III. Ieiun. Ode θ'. pag. 230. B. Θεομῆτορ κόρη, ἡ παστὰς τοῦ οὐρανίου βασιλέως Χριστοῦ, σῶζε τῇ πρεσβείᾳ σου τοὺς πόθῳ ὑμνοῦντάς σε.

a) Men. die VI. Decembris Ode η'. pag. 53. col. 1. D. Ὡς ἔμψυχος θάλαμος καὶ ἔμπνους ἁλουργὶς, χλαμὺς ἁλουργόχροος τῷ πάντων βασιλεῖ ἐδείχθης, παρθένε, καὶ πορφύρα, ἐξ ἧς ἡ σὰρξ συνεξυφάνθη τοῦ θεανθρώπου λόγου.

b) Theotoch. pag. 103. tetrast. I.

Χερε πιⲙⲁⲛϣⲉⲗⲉⲧ ⲉⲧⲥⲉⲗⲥⲱⲗ ϧⲉⲛ ⲟⲩ ⲑⲟⲗⲏⲣⲏϯ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲓⲛⲩⲙⲫⲓⲟⲥ ⲙ̀ⲙⲏⲓ, ⲉⲧⲁϥϩⲱⲧⲡ ⲉ̀ ϯ ⲙⲉⲧⲣⲱⲙⲓ ⳾

1) De Virginis laudibus Hom. II. pag. 1267. col. 2. G. In Max. pp. biblioth. T. XX.

2) Sermo de Deiparae annuntiat. pag. 427. col. 2. C-D. apud Combefisium Biblioth. concionat. T. VI. « Continetur in hoc (Christi) conceptu magnum et mirabile sacramentum, quo deleto praevaricationis chirographo, divina confoederantur et humana, fiuntque duo in carne una, Christus videlicet et Ecclesia. Cuius coniunctionis quasi thalamus, uterus virginalis exstitit; de quo, decursis novem mensibus secundum legem parientium, cum uxore sua, idest carne nostra, tamquam sponsus e thalamo prodiens, tabernaculum suum, idest carnem assumptam, in sole posuit, quia carnem suam per quam debellaturus erat hostem, visibilem cunctis exhibuit. »

3) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1315. col. 1. D. apud Combefisium Auctar. T. I.

4) Hom. in Deiparae annuntiat. pag. 394. col. 1. C-D. apud Combefisium Biblioth. concionat. T. VI.

5) Serm. I. in Virginis assumpt. pag. 666. col. 2. C-E. Serm. II. pag. 671. col. 2. E, et Serm. VIII. pag. 682. col. 1. A-C. apud Combefisium Biblioth. concionat. T. II. « Sed quid dicam pauper ingenio, quum de te quidquid dixero, minus profecto est quam dignitas tua meretur. Si matrem gentium te vocem, praecellis: si formam Dei appellem, digna exsistis: si nutricem caelestis panis te vocitem, lactis dulcedine reples. Laeta ergo mater cibum nostrum: laeta eum qui talem fecit te, ut ipse fieret in te: qui prius-

Sedulius presbyter [1]), sincerus [2]) et subditicius [3]) Augustinus, Pseudo-Cyrillus hierosolymitanus [4]) et [5]) nyssenus Gregorius. Illius autem significandi vim potestatemque prae ceteris explanando declarant Bernardus, Petrus Damiani, Iohannes damascenus et Modestus hierosolymitanus.

842. Sane Bernardus [6]) de Deipara loquens exclamat: « O Virgo, virga sublimis, in quam sublime verticem sanctum erigis! Usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum maiestatis. Neque enim id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis. O vere caelestis planta, pretiosior cunctis, sanctior universis! O vere lignum vitae, quod solum fuit dignum portare fructum salutis! Deprehensa est, maligne serpens, versutia tua, nudata est plane falsitas tua. Duo imposueras creatori, mendacii et invidiae infamaveras eum: sed in utroque convictus es esse mentitus. Siquidem et ab initio moritur cui [7]) dixeras, *nequaquam morieris:* et [8]) veritas Domini manet in aeternum. Sed et nunc responde si potes, quam ei arborem, cuius arboris fructum invidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam, et fructum sublimem negavit? *Etenim* [9]) *qui proprio Filio non pepercit, quomodo non omnia simul cum illo donavit?* » Quibus e vestigio [10]) subiicit: « Sed iam advertistis, ni fallor, quoniam Virgo regia ipsa est via, per quam Salvator advenit, procedens [11]) ex ipsius utero, tamquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam, studeamus et nos ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud

quam nasceretur, te matrem creavit, ex qua nasceretur, ut illinc procederet *tamquam sponsus de thalamo suo.* »

1) Carm. pasch. lib. II. §. III. vv. 47-53. pag. 543. col. 1. C-D., et Pasch. op. lib. II. cap. III. pag. 575. col. 1. B-C. apud Gallandium T. IX.

» Quae nova lux mundo? quae toto gratia caelo?
» Quis fuit ille nitor, Mariae quum Christus ab alvo
» Processit splendore novo: velut ipse decoro
» Sponsus ovans thalamo, forma speciosus amoena
» Prae natis hominum, cuius radiante figura
» Blandior in labiis diffusa est gratia pulcris?

2) Serm. CXCV., in natali Domini XII. n. 3. pag. 627. col. 1. D-E. opp. T. V.

3) Serm. CXIX., in natali Domini III. n. 5. pag. 153. col. 1. B-C. in App. T. V.

4) Orat. in occursum Domini et Symeonem, §. II. pag. 362. col. 1. D-E.

5) In cant. cantic. Hom. XIII. p. 667. B. opp. T. I. Adde quae scribit Leontius byzantinus adversus Nestorianos lib. IV. §. IX. pag. 554. apud Mai Scriptt. vett. T. IX., quaeque habentur in collect. pp. tolet. T. I. pagg. 337-349-361.

6) In adventu Domini Serm. II. n. 4. pag. 729. A-B. opp. T. III.

7) Gen. III. 4.

8) Ps. CXVI. 2.

9) Rom. VIII. 32.

10) L. c. n. 5. pag. 729. B-E.

11) Ps. XVIII. 6.

Digitized by Google

ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas Deo grata nostrae veniam impetret vanitati. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio repraesenta. »

843. At vero [1]) Petrus Damiani initio statuit: « Quod sicut impossibile erat, ut humani generis redemptio fieret, nisi Dei Filius de Virgine nasceretur; ita etiam necessarium fuerat, ut Virgo, ex qua Verbum caro fieret, nasceretur. Oportebat quippe prius aedificari domum, in quam descendens caelestis rex habere dignaretur hospitium. Illam videlicet, de qua per Salomonem [2]) dicitur, *Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem.* » Tradit [3]) deinde septem columnis septem adumbrata fuisse Spiritus sancti dona, quibus venerabilis mater Domini refulsit; tum de eadem [4]) pergit: « Quam utique aeterna Sapientia, quae [5]) attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, talem construxit, quae digna foret illum suscipere, et de intemeratae carnis suae visceribus procreare. Necesse erat prius erigi thalamum, qui venientem ad nuptias sanctae Ecclesiae susciperet sponsum, cui David exsultans in Spiritu epithalamium [6]) canit dicens: *tamquam sponsus* Dominus *procedens de thalamo suo.* »

844. Eodem spectans [a]) Iohannes damascenus in haec verba gratulationis erumpit: « Salve sis sola mater Dei, quae [7]) a summo caelo

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 838. B-C. *Χαίροις μόνη μήτηρ θεοῦ, ἡ ἀπ' ἄκρων τοῦ οὐρανοῦ ἕως ἄκρων αὐτοῦ, μητρικῶς τε καὶ δαυϊτικῶς τὸ κατάντημα τῆς προστασίας ἔχουσα· χαίροις μόνη μήτηρ Θεοῦ, ἡ τῶν ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων μεγαλοπρεπής τε καὶ μεγαλόφωτος εὔκλεια· χαίροις μόνη μήτηρ θεοῦ, ἡ πάσης ἀκτῖνος φωτεινοτέρα, καὶ πάσης καθαρότητος καθαρωτέρα.*

1) Sermo XLV. idemque II. in Virginis nativit. pag. 108. col. 1. D-E.

2) Prov. IX. 1.

3) L. c. pag. 108. col. 1. E.

4) Ibid. pag. 108. col. 1. E. et col. 2. A.

5) Sap. VIII. 1.

6) Ps. XVIII. 6.

7) Ps. XVIII. 7. ubi hebraice legimus:

מִקְצֵה הַשָּׁמַיִם מוֹצָאוֹ וּתְקוּפָתוֹ עַל־קְצוֹתָם :

Quae alexandrini interpretes sic reddunt: Ἀπ' ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ ἡ ἔξοδος αὐτοῦ, καὶ τὸ κατάντημα αὐτοῦ ἕως ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ. Sensus vero hic est: *ab extremo caelorum*, a summo caelo, ab Oriente, *egressio eius*, sol exit, *et circuitus eius ad extremum illorum*, ad Occidentem usque, quo circuitu eo redit unde discesserat. Scite veterum commentorius apud Corderium p. 352. Ἀπ' ἀρχῆς, φησι, τοῦ οὐρανοῦ μέχρι τοῦ τέλους. ὡς γὰρ ἀπὸ νύσσης ἀρξάμενος, τοῦ κατ' ἀνατολὰς φέροντος κέντρου, διατρέχει νυχθημέρῳ ἑνὶ τὸν σύμπαντα κόσμον. *A summo, inquit, caelo usque ad finem eius. A meta enim sive ab Orientis centro incipiens unius noctis ac diei spatio totum orbem percurrit.*

Quum igitur haec ad Virginem Damascenus referat, id prorsus exprimit, *Dei tutelam ita Virgini occurrisse, ut nulla eius vitae pars, instans nullum eadem caruerit.*

usque ad summum eius tamquam genitrix, quemadmodum et David loquitur, occursum protectionis et auxilii habes. Salve sis, sola Dei mater, caelestium, terrestrium et infernorum magnificum atque illustrissimum decus. Salve sis, sola Dei mater, quae radio omni lucidior es, et omni puritate purior. » Ubi autem loquitur de natali Virginis die, sic [a]) habet: « Hodie in terra ex terrena natura caelum ille condidit, qui olim ex aquis firmamentum compegerat et in altum extulerat. Ac sane caelum istud illo longe divinius est ac stupendum magis. Nam qui [1]) solem in illo condidit, ex hoc ipse iustitiae sol oriturus est. Aeternum enim illud lumen quod ex aeterno lumine antiquiorem seculis exsistentiam habet, ex ipsa corporatur, et tamquam sponsus de thalamo procedit. »

845. Sed audiendus iam est Modestus, qui [b]) triumphum assumptae in caelum Virginis describens ait: « In caelestem thalamum ingressa est illa, quae facta est gloriosissima sponsa unionis hypostaticae duarum naturarum Christi veri sponsi caelestis, cuius admirandam desiderant pulcritudinem sanctae omnes caelorum potestates. Et translatus est ad eam quae sursum est Hierusalem undequaque intemeratus intelligibilis [2]) thalamus, ex quo processit rex seculorum, qui in militari forma ad nos descendit, atque hostem cum eius copiis in fugam vertit. » Nolo autem omnino seponere quae de Christo loquens Gerhous [3]) scribit: « Habet etiam sponsam, videlicet sanctam Ecclesiam et quamlibet fidelem animam, sicut Pater suus habuit sponsam antiquam synagogam, et in ea quamlibet fidelem ani-

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. III. pagg. 842. E. et 843. A. *Σήμερον ἐκ τῆς γηΐνης φύσεως οὐρανὸν κατεσκεύασεν ἐπὶ γῆς, ὁ πάλαι ποτὲ ἐξ ὑδάτων πήξας, καὶ πρὸς ὕψος μετεωρίσας τὸ στερέωμα· καὶ ὄντως, οὗτος ἐκείνου πολυθειότερος καὶ παραδοξότερος· ὁ γὰρ ἐν ἐκείνῳ κατασκευάσας τὸν ἥλιον, ἐκ ταύτης δικαιοσύνης ἀνέτειλεν ἥλιος· τὸ γὰρ φῶς τὸ ἀΐδιον, τὸ ἐξ ἀϊδίου φωτὸς προαιώνιον ἔχον τὴν ὕπαρξιν, ἐκ ταύτης σωματοῦται, καὶ ὡς νυμφίος ἐκ παστοῦ προέρχεται.*

b) Encom. in Deiparam pag. 17. *Εἰς τὸν οὐράνιον νυμφῶνα εἰσῆλθεν ἡ γενομένη πανένδοξος νυμφὼν, τῆς καθ' ὑπόστασιν ἑνώσεως τῶν φύσεων Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ ἐπουρανίου νυμφίου, οὗ ἐφίενται τῆς ὑπερφυοῦς ὡραιότητος πᾶσαι αἱ ἅγιαι δυνάμεις τῶν οὐρανῶν· καὶ μετῳκίσθη ἐν τῇ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἡ πανάχραντος νοητὴ παστὰς, ἐξ ἧς προῆλθεν ὁ βασιλεὺς τῶν αἰώνων, τὴν πρὸς ἡμᾶς κάθοδον δεδρακὼς ἐν στρατιώτου μορφῇ τροπωσάμενος τὸν ἐχθρὸν σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ.*

1) Ps. XVIII. 6.
2) Ibid.
3) De gloria et honore Filii hominis cap. X. pag. 206. apud Pezium Anecdott. T. I. P. II.

mam seu personam. Fuit autem beata virgo Maria illius antiquae synagogae portio electissima, sic a Deo Patre amata ut eam prae omnibus amore suo inflammaret, Verboque suo fecundaret; quod in ea eructatum et prius mente quam ventre conceptum de illa processit tamquam sponsus de [1]) thalamo suo, amaturus novam Ecclesiam, et in ea quamlibet fidelem personam, tamquam sponsam ornatam viro suo. Inter omnes vero sponsas prae omnibus fuit ac permanet ornata beata virgo Maria, tamquam consummatio synagogae, utpote filia electissima patriarcharum, et post Filium suum Ecclesiae sanctae [2]) nova inchoatio, utpote mater apostolorum, quorum uni [3]) dictum est, *ecce mater tua.* » Neque ea seposita penitus volo, quibus Paschasius Ratbertus [4]) accurate docet, verba psalmi ad Virginem pertinere, ac tandem [5]) concludit: « Nec dubium quin uterus Mariae virginis ipse sit thalamus, in quo Sponsi ac Sponsae, cum caro fit Verbum, foedera iunguntur nuptiarum. Non enim, sicut testatur Cyrillus, caro Christi vel corpus thalamus vel templum debet intelligi, sed uterus Virginis; quia in Christo non duae sunt personae, sicut nonnulli haereticorum voluerunt: quoniam non sic creatura, ut sanctus iste testatur, in societatem sui creatoris assumpta est, ut ille habitatoris et illa habitaculi teneat locum, sed ut ita naturae duae alteri altera uniretur, et in tantam conveniant unitatem, ut utriusque diversitas unus idemque sit filius. »

846. Haec igitur, ut potiora innuamus, comperta sunt. Compertum I. est, mirifica quadam conspiratione maiorum verba psalmi, *in sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo,* ad Virginem fuisse relata. Compertum II. est, propterea Virginem appellatione *thalami* ornari consuevisse, *quod facta in ipsa fuerit unitio duarum Christi naturarum secundum hypostasim, quod initum Christi cum Ecclesia connubium, et quod terra cum caelo iuncta rursum novoque foedere copulata.* Compertum

1) Ibidem. pag. 207. subdit: » De hoc thalamo cum agerem in Ps. XVII., vocabulis quidem utebar carnalibus, nominans *thalamum* et *osculum* et cetera talia nuptiali thalamo convenientia. Sed nihil in eis intellexi aut intelligendum lectori proposui, nisi tantum spiritales delicias, in quibus est non similitudo sed veritas aeternae voluptatis. De cuius torrente potabuntur veri veritatis amatores, verbum Dei corde credendo concipientes ad iustitiam, et ore confitendo ad salutem parientes. Quibus omnibus illa beatissima Sponsa praefertur, in qua idem Verbum Dei conceptum et incarnatum est ».

2) Ibidem pag. 206. memorat *primitivam apostolici ordinis Ecclesiam, cuius beata Maria erat portio praecipua.*

3) Ioh. XIX. 27.

4) In fragmento de partu Virginis pag. 326. in collect. pp. tolet. T. I.

5) Ibidem pag. 327.

III. est, *Virginem, ut nobilissimas thalami partes explere posset, a Deo fuisse singulariter creatam, iugiter protectam, atque ita exstructam, ut genita Patris Sapientia digne ex ea carnem sumeret, sibique eam digne in matrem adscisceret.* Hinc IV. compertum est, *non aliter Virginem primum exstitisse ac uti caelestem plantam, cunctis pretiosiorem, sanctiorem universis, lignum vitae, virgam electam, caelumque ex terrena natura fabrefactum.* Neque minus V. compertum est, *ad Virginis praerogativas pertinere, ut ipsa credatur atque sit thalamus electus, decorus, Deo gratissimus, gratia plenus, excelsissimus, sanctissimus, lucidior luce, purior puritate, atque adeo incorruptus, cuiusvis inscius labis, innocens prae nobis noxiis et integer prae nobis peccati corruptione foedatis.* Denique VI. compertum est, *carere Virginem hisce praerogativis nullatenus potuisse, ut ea iure salutaretur hominum mediatrix, advocata, mater salutis, inventrix gratiae et via qua ad Deum adscenderemus.* Quid iamvero? Scilicet his doctrinae capitibus non modo Virgini decus asseritur immaculati conceptus, sed illius praeterea origo atque multiplices caussae reserantur.

ARTICULUS VI.

De Psalmis LI. 10, *et LXXXIV.* 12: *recepta eorumdem ad Virginem accommodatio ex ordine ostenditur: maiorum commentarii proferuntur: et eximia Virginis decora eiusque immaculatus conceptus illustrantur.*

847. Commemorato Doeghi [1]) hominis perditissimi excidio, de semetipso David [2]) subdit: *ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.* Videlicet ille quidem defluet, sicuti ex mortua arbore folium decidit; at ego prorsus ero instar virentis olivae, quae suis numquam foliis viduatur. Praeclare [a]) Theodorus: « Ille quidem ta-

a) Apud Corderium in Exposit. pp. graec. ad h. l. p. 12. Κἀκεῖνος μὲν πείσεται τοιαῦτα· ἐγὼ δὲ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ διαφυλαχθήσομαι, δίκην ἐλαίας κατακάρπου, ἀεὶ φυ-

1) Inscriptio Psalmi in Hebraicis codicibus haec est: *Quum venisset Doegh* (1. Reg. XXI-XXII.) *Idumaeus ad Saulem, eique nuntiasset se comperisse Davidem in domum Achimelech.*

2) Ps. LI. 10. וַאֲנִי כְּזַיִת רַעֲנָן בְּבֵית אֱלֹהִים; *Sed ego sicut olea virens in domo Dei.*

lia patietur, ego vero tamquam oliva fructifera in domo Dei custodiar semper eius ope protectus et in ea virens, nec inde umquam inimicorum insultu dimotus: oliva siquidem natura sua perpetuo pullulat. » Neque aliter [a]) Eusebius: « Semper virenti ac frugiferae plantae comparatus, in domo Domini plantatus sum. »

848. Haec quae sibi David pollicebatur, ad iustos caelesti beatitudine auctos relata legimus in vetustis Ecclesiae precibus, e quarum numero [1]) haec est: « Totius mundanae vanitatis destructor, omnipotens Deus, fac nos in domo tua sicut olivam florere fructiferam, ut in tua misericordia sperantes ab iniquitatis maledicto salvemur. » Atque haec [2]) rursum: « Deus nobis praestare dignetur ut ab omni dolo liberi, ab omni iniquitate mundati, Filium Dei aequalem Patri et Spiritui sancto confessi mereamur sicut oliva fructifera in Hierusalem caelesti plantari. »

849. Frequentissima autem est eorumdem verborum ad Deiparam accommodatio. In Menaeis namque graecorum, Theophane praecinente, hisce ea laudibus [b]) celebratur: « Longe angelis sublimior puella nascitur in terra, quae in sanctitate et puritate est incomparabilis, quaeque Christum pariet omnium purgationem, sanctificationem, perfectamque redemptionem. Beatus Annae uterus effectus est, illam namque generavit quae Verbum beatum, incomprehensibile, quodque fidelibus omnibus regenerationem praestabit,

λαττόμενος τῇ τοῦ θεοῦ βοηθείᾳ, καὶ ἀκμάζων ἐν αὐτῇ, καὶ οὐδέποτε μεθιστάμενος ἐντεῦθεν ἀπὸ πολεμίων ἐφόδου· ἐπειδὴ καὶ ἡ ἐλαία διηνεκὲς ἐν τῇ φύσει τὸ θάλλειν ἔχει.

a) Ibid. pagg. 12-13. Παραβαλλόμενος ἀειθαλεῖ πολυκάρπῳ φυτῷ, ἐν οἴκῳ Θεοῦ εἰμὶ πεφυτευμένος.

b) Men. die VII. Septembris Ode δ'. pag. 50. col. 2. A-C. Ὑπερτέρα τῶν ἀγγέλων ἐπὶ γῆς κόρη τίκτεται, ἐν ἁγιωσύνῃ οὖσα καὶ καθάρσει ἀσύγκριτος, ἥτις τὴν κάθαρσιν πάντων Χριστὸν τέξεται, ἁγιότητα καὶ παντελῆ ἀπολύτρωσιν.

Μακαρία ἡ κοιλία ἡ τῆς Ἄννης γεγένηται· τὴν γὰρ ἐν κοιλίᾳ μέλλουσαν χωρεῖν τὸν μακάριον καὶ μὴ χωρούμενον λόγον ἀπεγέννησεν, ἀναγέννησιν πᾶσι πιστοῖς παρεχόμενον.

Νῦν ὁ ζόφος τῆς κακίας ἐκμειοῦσθαι ἀπάρχεται· ἡ γὰρ τοῦ ἡλίου ἔμψυχος νεφέλη ἀνέτειλε στειρωτικῶν ἐκ λαγόνων, ἡ πανάμωμος· ἧς τὴν γέννησιν τὴν φωταυγῆ ἑορτάσωμεν.

Ὡς κατάκαρπον ἐλαίαν, τὴν ἐκ ῥίζης βλαστήσασαν Ἰεσσαί, παρθένε, Ἄννα σε βλαστάνει βλαστάνουσαν τὸν ἐλεήμονα λόγον, οὗ τὸ ἔλεος καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ παντὸς προπορεύεται.

1) Apud Card. Thomasium in Psalter. perpet. interpretat. ornato, pag. 192. opp. T. III.

2) Ibidem.

Digitized by Google

sinu suo complectetur. Atra malitiae caligo nunc incipit imminui, animata namque solis nubes orta est ex sterilibus lumbis, illa tota immaculata, cuius fulgentem nativitatem solemni ritu celebremus. Es veluti oliva fructifera, o Virgo, quae ex radice Iesse germinasti: Anna te protulit mox producturam Verbum misericors, quod semper misericordia et veritas praecedunt. »

850. Conspirant Patres, scriptoresque ecclesiastici, e quibus ut missos faciam [1]) Amedeum lausanneusem et [2]) Germanum constantinopolitanum, penes quos nuda psalmi ad Virginem accommodatio legitur, Tarasius constantinopolitanus antistes [a]) hisce eam encomiis sane nobilissimis honestat: « Ipsa mensa divini panis, vinum exhilarans, cibus gratuitus, columba illibata, caelum animatum, lucerna splendidissima, celebratissima sponsa, oliva divinitus irrigata, divinum vehiculum dispensationis Altissimi, tabernaculum sanctum et candelabrum a Deo fabrefactum. » Iohannes porro damasceuns semel iterumque iisdem verbis utitur, sive [3]) ut Virginem fuisse doceat *virtutum omnium domicilium*, sive ut illius innocentiam cuiusvis semper naevi expertem significet. Ubi enim in id totus [b]) incumbit ut persuadeat, debuisse virgineum corpus a corruptione servari, post alia scribit: « Siquidem divinum illud domicilium, illum minime effossum aquae remissionis fontem, inaratum illud caelestis panis arvum, illam numquam irrigatam uvae immortalis vineam, illam [4]) paternae miserationis olivam, vernantibus perpetuo

a) Orat. in Deiparae praesentat. Τὴν τράπεζαν τοῦ θείου ἄρτου, τὸν οἶνον τὸν εὐφρόσυνον, τὴν τροφὴν τὴν ἀδάπανον, τὴν περιστερὰν τὴν ἀκεραίαν, τὸν οὐρανὸν τὸν ἔμψυχον, τὴν πολύφωτον λυχνίαν, τὴν πολυΰμνητον νύμφην, τὴν θεοπότιστον ἐλαίαν, τὸ θεῖον ὄχημα τῆς τοῦ ὑψίστου οἰκονομίας, τὴν σκηνὴν τὴν ἁγίαν, καὶ τὴν λυχνίαν τὴν θεοχάλκευτον.

b) Orat. II. in Deiparae dormit. §. XIV. pag. 876. D-E. Ἔδει γὰρ τοῦτο τὸ θεοπρεπὲς ἐνδιαίτημα τὴν ἀνόρυκτον πηγὴν τοῦ τῆς ἀφέσεως ὕδατος, τὴν ἀνήροτον ἄρουραν τοῦ οὐρανίου ἄρτου, τὴν ἀνάρδευτον ἄμπελον τοῦ τῆς ἀμβροσίας βότρυος, τὴν ἀειθαλῆ καὶ καλλίκαρπον ἐλαίαν τοῦ πατρικοῦ ἐλέου, τοῖς κενεῶσι τῆς γῆς μὴ καθείργεσθαι.

1) Dom. I. de Virginis laudibus, pag. 1263. col. 2. E. in Biblioth. max. pp. T. XX.

2) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1314. A. apud Combefisium Auctar. T. I.

3) De Fide Orthod. lib. IV. cap. XIV. p. 275. C. ubi de Virgine scribit, εἶτα ἐν τῷ οἴκῳ Θεοῦ φυτευθεῖσά τε, καὶ πιανθεῖσα τῷ πνεύματι, ὡσεὶ ἐλαία κατάκαρπος, πάσης ἀρετῆς καταγώγιον γίγονε. *Deinde in domo Dei plantata et per Spiritum saginata, instar olivae fructiferae virtutum omnium domicilium instruitur.*

4) Quibus Damascenus utramque coniungit versionem, Alexandrinorum qui habent, *ego quasi oliva fructifera*, et Symmachi qui reddit, *ego quasi oliva virens*. Est enim oliva ἐν τοῖς ἀειθαλέσι, *ex eorum numero quae semper virent.*

foliis, pulcherrimisque fructibus onustam, terrae penetralibus claudi minime oportebat. »

851. Neque multo aliter [1]) Hildephonsus toletanus, qui eorum veluti coronam texens quibus Virgo praefulget, sic ait: « Est igitur sancta et venerabilis virgo Maria mater Domini nostri Iesu Christi secundum carnem ex semine Abrahae, orta ex tribu Iuda, virga de radice Iesse, clara ex stirpe David, filia Hierusalem, stella maris, ancilla Dei, regina gentium, domina regum, sponsa Domini, mater Christi, conditoris templum, Spiritus sancti sacrarium, velut columba speciosa, *pulcra ut* [2]) *luna, electa ut sol,* signaculum fidei, reparatio Evae, introitus vitae, ianua caeli, decus mulierum, caput virginum, *hortus* [3]) *conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium.* Multiplicabitur ut cedrus Libani, florens ut palma, *velut* [4]) *oliva fructifera in domo Dei.* » Consentit auctor coronae beatae Mariae, a quo ipsa dicitur [5]) *virgo et domina mirifica, per quam fracta sunt tartara, reserata sunt caelestia, reparata sunt perdita, et singulari decore prae cunctis rutilans;* tum [6]) eadem salutatur « Arca sophiae, tabernaculum gloriae, regula iustitiae, rosa pudicitiae, oliva fructifera, singulare lilium ac caelestis paradisus. »

852. Eodem spectat [a]) Proclus constantinopolitanus, qui de Virginis laudibus initio scribit: « Haec [7]) quintus puteus veri iurisiurandi, in qua [8]) immortalitatis aqua per adventum Domini in carne, in plenitudine quinti foederis effluxit. Primum enim foedus scriptum est tempore Adami, secundum tempore Noe, tertium tempore Abrahae, quartum tempore Moysis, quintum denique tempore Do-

a) Orat. de Virginis laudibus §. XVII. pagg. 615. D. et 616. A. apud Gallandium T. IX. *Αὕτη τὸ πέμπτον τοῦ ἀψευδοῦς φρέαρ ὅρκου, ἐν ᾗ τὸ ὕδωρ ἔβρυσε τῆς ἀθανασίας διὰ τῆς ἐνσάρκου τοῦ κυρίου παρουσίας, ἐν τῇ συμπληρώσει τῆς πέμπτης διαθήκης· πρώτη γὰρ ἐγράφη ἐπὶ τοῦ Ἀδάμ· δευτέρα ἐπὶ τοῦ Νῶε· τρίτη ἐπὶ τοῦ Ἀβραάμ· τετάρτη ἐπὶ τοῦ Μωϋσέως· καὶ πέμπτη ἐπὶ τοῦ κυρίου· ἐπειδὴ καὶ πεντάκις ἐξῆλθε τοὺς εὐσεβεῖς μισθούμενος ἐργάτας εἰς τὸν τῆς δικαιοσύνης ἀμπελῶνα· περὶ πρώτην ὥραν, περὶ τρίτην, περὶ ἕκτην, περὶ ἐννάτην, περὶ ἑνδεκάτην.*

1) Serm. IV. in Deiparae Assumpt. pag. 675. col. 2. C-E. apud Combefisium Biblioth. concionat. T. VII. et in collect. pp. tolet. pag. 358. T. I.

2) Cant. VI. 9.

3) Cant. IV. 12.

4) Ps. LI. 10.

5) Coron. b. Mariae cap. VI. pag. 403. in collect. pp. tolet. T. 1.

6) Ibid. pagg. 403-404.

7) Gen. XXV. 32.

8) Proclus ergo in suis codicibus habuit, *invenimus aquam*, minime vero ut in vulgatis graecis editionibus, *non invenimus aquam.*

mini; nam etiam quinquies [1]) exiit ut pios operarios in iustitiae vineam conduceret, nempe circa horam primam, circa tertiam, circa sextam, circa nonam, circa undecimam. » Tum [a]) nonnullis interiectis, pergit: « Haec [2]) oliva fructifera plantata in domo Domini, ex qua Spiritus sanctus dominici corporis ramum accipiens, tempestate iactato humano generi detulit, fauste de caelo annuntians pacem. » Hinc [b]) Ephraemus inter alia Virginis elogia numerat quod ipsa sit « Omnium post Trinitatem domina, post Paracletum alius consolator, et post mediatorem mediatrix totius mundi, vitis vera vitae fructum proferens et oliva fructifera fidelium animas exhilarans. »

853. Quibus praestitutis, videor mihi colligere tuto posse, immaculatum Virginis conceptum indubiis maiorum testimoniis comprobari. Neque enim ut Virginis conceptus nulla laesus macula existimetur, aliud fas est iure exigere quam ut ea e lumbis edita perhibeatur non velut arbor arida et maledicto obnoxia, sed tamquam oliva fructibus onusta, divinitus condita atque irrigata, perpetuo virens et damnationis funditus inscia. Haec autem illa ipsa sunt quae testimoniis in medium productis non una ratione significantur. Significantur enim I. verbis disertis, *quibus Virgo procreata dicitur ut oliva fructifera, ut oliva paternae miserationis, ut oliva a Deo singulariter condita atque protecta, ut oliva sua semper viriditate decora, quaeque a sententia corruptionis libera fuerit ac soluta*. Significantur II. verbis potestate aequipollentibus, *quibus Virgo non solum dicitur illa tota immaculata, sed insuper ut ea exhibetur quae veluti animata solis nubes primum apparuerit*. Significantur III. verbis comparatis, *quibus Virgo puritate et sanctitate omnibus creaturis potior celebratur*. Significantur tandem IV. verbis quae huius privilegii caussam rationemque patefaciunt, cuiusmodi illa sunt *qui-*

a) Ibid. §. XVII. pag. 646. A-B. *Αὕτη ἡ ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ πεφυτευμένη κατάκαρπος ἐλαία, ἐξ ἧς τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸ σωματικὸν τοῦ κυρίου λαβὸν κάρφος, τῇ χειμαζομένῃ τῶν ἀνθρώπων διεκόμισε φύσει, τὴν ἄνωθεν εὐαγγελισάμενος εἰρήνην.*

b) Orat. ad Deiparam, pagg. 528. E-F. et 529. A. opp. graec. T. III. *Ἡ μετὰ τὴν τριάδα πάντων δέσποινα, ἡ μετὰ τὸν παράκλητον ἄλλος παράκλητος, καὶ μετὰ τὸν μεσίτην μεσίτης κόσμου παντὸς, ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ τὸν καρπὸν τῆς ζωῆς ἡ βαστάσασα καὶ ἐλαία κατάκαρπος τὰς ψυχὰς τῶν πιστῶν ἱλαρυνοῦσα.*

1) Matth. X. 1. 2) Ps. LI. 10.

bus Virgo dicitur oliva fructifera, ex qua ramus dominici corporis pacem allaturus decerperetur, et ex qua ille prodiret qui omnium esset iustitia, sanctificatio et redemptio. Igitur ea luce splendet privilegium immaculati conceptus, ut oculos etsi non acutissimos suo nitore percellat.

854. Sed iam ad alia progredior psalmi [1]) octogesimiquarti verba, *veritas de terra orta est, et iustitia de caelo prospexit,* quae sicuti magna veterum conspiratione, Eusebii [2]), Athanasii [3]), Heracleotae [4]), Bedae [5]), aliorumque [6]) ad incarnationem dominicam, ita non minori eorumdem studio ad Deiparam *terrae* nomine adumbratam referuntur. Qua de re testis principio est Graecorum Ecclesia, quae [a]) suis in Menaeis conceptum Virginis his verbis extollit: « Ex terra tui sinus (o Anna) vere genita est terra sancta, non subacta, sine semine spicam germinans cibum mundi et Dominum. » Similia canit [7]) in Anthologio, quibus et similia repetit in Octoecho, e quo [b]) haec iuverit protulisse: « Praenunciat Gedeon conceptum, tuumque partum, o Deipara, David enarrat: descendit enim Verbum in sinum tuum, sicuti pluvia in vellus, et tu sine semine, o terra sancta, germinasti salutem mundi, Christum Deum nostrum, o gratia plena. » Et [c]) denuo: « Salve terrigenarum spes,

a) Men. die XXV. Iulii Ode θ'. pag. 126. col. 1. E. Ἐκ γῆς τῆς γαστρός σου ἀληθῶς γεγέννηται γῆ ἁγία ἀγεώργητος, στάχυν βλαστήσασα ἀσπόρως τοῦ κόσμου τὸν τροφέα καὶ κύριον.

b) Octoech. pag. 36. col. 1. D. Προϊστορεῖ ὁ Γεδεὼν τὴν σύλληψιν, καὶ ἑρμηνεύει ὁ Δαυὶδ τὸν τόκον σου, θεοτόκε· κατέβη γὰρ ὡς ὑετὸς ἐπὶ πόκον ὁ λόγος ἐν τῇ γαστρί σου καὶ ἐβλάστησας ἄνευ σπορᾶς, γῆ ἁγία, τοῦ κόσμου τὴν σωτηρίαν, Χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν, ἡ κεχαριτωμένη.

c) Ibid. pag. 58. col. 2. A. Χαίροις τῶν γηγενῶν ἡ ἐλπίς, γῆ ἐκλεκτὴ καὶ καθαρὰ καὶ ἀμόλυντος· πηγή τε ἐσφραγισμένη τοῦ παρακλήτου· σεμνὴ σὺ ὑπάρχεις μόνη ἀειπάρθενε· ἐξ ἧς οἱ σεβόμενοι σωτηρίαν εὑρίσκομεν· γένους βροτείου ἡ ἀνάκλησις, ἄχραντε· γῆ κατάκαρπε, ἡ τὸν στάχυν βλαστήσασα· γέφυρα ἡ μετάγουσα γαλήνην πρὸς εὔδιον, ἡ κυβερνήτις ἡ θεία, χειμαζομένων ἡ ἄγκυρα, λιμὴν ὁ ἐν ζάλῃ τῶν ἐκ πόθου σε ζητούντων ὁ εὐδιώτατος.

1) Ps. LXXXIV. 12.

2) Apud Corderium in Exposit. pp. graec. ad h. l. pag. 748.

3) Ibid. pag. 748. Σαφῶς τὴν διὰ τῆς Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου ἀνατείλασαν τῷ κόσμῳ κηρύττει ἀλήθειαν· αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ ἀλήθεια, εἰ καὶ γεγέννηται ἐκ γυναικός. *Perspicue eam praedicat veritatem, quae per Deiparam semper Virginem mundo erat oriturо. Ipse enim est veritas, licet de muliere natus sit.*

4) Ibid. pag. 748.

5) In titulum huius Psalmi apud Thomasium in Psalter. pag. 317.

6) Inter quos sunt Didymus et Apolinarius apud Corderium, pagg. 748-749.

7) Antholog. pag. 183. col. 1. B.

Digitized by Google

terra electa et pura et intaminata: tu venerabilis es sola semper Virgo, e qua pii salutem nanciscimur: tu, o inviolata, mortalis generis revocatio, terra frugifera quae spicam protulisti: pons in serenam tranquillitatem transferens, gubernatrix divina, anchora eorum qui tempestate iactantur, et pacatissimus illorum portus qui in adversis rebus te cupide ambiunt. »

855. Testes deinde suo merito censentur patres, scriptoresque christiani, e quibus [1]) Augustinus et [2]) Germanus verba psalmi de incarnatione, deque Virgine appellatione *terrae* designata manifestissime interpretantur. Cui interpretationi suum adiungunt calculum Amedeus lausannensis et Guerricus abbas, quorum ille [3]) scribit: « Porro terra Virginem demonstrat terrae nomine appellatam propter quamdam similitudinem. Sicut enim [4]) vetus Adam de terra incorrupta nullumque passa contagium formatus est, sic terris terra Virgo novum Adam procreavit. » Quod ut [5]) confirmet, continenter subdit: « Si non credis mihi praedicanti ortum novi hominis de terra, crede psalmistae [6]) dicenti: *veritas de terra orta est.* Quae maior novitas, quam ut oriatur de terra ille, qui est veritas? Crede etiam tubae ductili Isaiae producentis gracilem et suavem admodum sonum ac [7]) dicentis: *rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet Salvatorem.* Qui iterum [8]) dixit: *erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis.* Germen Domini in magnificentia et gloria exstitit, quando conceptum de Spiritu sancto, et ortum de radice Iesse in summitate virgae totum effloruit, imo flos fuit. Fructus vero terrae sublimis fuit, quia benedictus fructus Mariae divinitatis celsitudine meruit sublimari. Haec idcirco diximus, ut terrae nomine Mariam intelligi debere monstraremus. »

856. Succedit Guerricus qui de solemnitate agens annuntiatae Deiparae [9]) sic habet: « Hodie [10]) Sapientia aedificare coepit sibi do-

1) Serm. CLXXXV. in nat. Domini II. n. 1. pag. 614. D. et Serm. CLXXXIX. in nat. Domini VI. n. 2. pag. 619. E.

2) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1311. E. apud Combefisium Auctar. T. I. Ubi collatis testimoniis Ex. III. 5, Ps. LXXXIV. 10. et CV. 24. ostenditur Virgo praenunciata tamquam γῆ ἁγία, γῆ ἐπιθυμητὴ καὶ γῆ ἀνατέλλουσα ἀλήθειαν, *terra sancta, terra desiderabilis et terra veritatem producens.*

3) Hom. III. de Virginis laudibus pag. 1267. col. 1. B-C. in Biblioth. max. pp. T. XX.

4) Gen. II. 7.

5) Ibid. pag. 1267. col. 1. C-D.

6) Ps. LXXXIV. 12.

7) Is. IV. 6.

8) Is. XI. 1.

9) Serm. II. in Deiparae annuntiat. pag. 430. col. 1. B-C. apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VI.

10) Prov. IX. 1.

mum corporis nostri in utero Virginis, et ad aedificandam unitatem Ecclesiae, angularem lapidem [1]) de monte sine manibus abscidit, dum sine opere humano de corpore virginali carnem sibi nostrae redemptionis separavit. Ab hoc ergo die [2]) *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob:* quia [3]) hodie est *Domini assumptio nostra*. Prorsus hodie [4]) *benedixisti Domine terram tuam*, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus sancti, ut terra nostra daret benedictum fructum ventris sui; et [5]) rorantibus caelis desuper uterus virginalis Salvatorem germinaret. » Tum [6]) pergit: « Maledicta [7]) terra in opere praevaricatoris, quae etiam exercitata spinas et tribulos germinat heredibus maledictionis. At nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quae remissionem peccatorum, fructumque vitae parturit universis, et filiis Adae praeiudicium originalis dissolvit maledicti. Prorsus benedicta illa terra quae omnino intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore caeli Salvatorem germinat, et mortalibus panem angelorum alimoniam vitae aeternae ministrat. Haec itaque terra, quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat optimo fructu referta: videbatur esse eremus solitudinis, sed erat paradisus beatitudinis. Plane [8]) hortus deliciarum Dei: eremus, cuius campi germinaverunt germen odoris. »

857. Succedunt Bernardus et Petrus Damiani, qui haec eadem luculentis commentariis atque in rem nostram opportunissimis exornant. Bernardus enim ubi de Sapientia [9]) sermonem habet, quam Virgo in supernis hausit, inquit: « In supernis plane et ultra angelos, quae Verbum ex ipso Patris corde suscepit, ut [10]) scriptum est: *dies diei eructat verbum*. Utique dies Pater, siquidem dies ex die salutare Dei. An non etiam Virgo dies? Et praeclara. Rutilans plane dies, quae [11]) *procedit sicut aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol.* » Et [12]) mox: « Intuere igitur quemadmodum usque ad angelos plenitudine gratiae, supra angelos superveniente Spiritu sancto pervenit. Est in angelis caritas, est puritas, est humilitas.

1) Daniel. II. 34.
2) Ps. XLV. 8.
3) Ps. LXXXVIII. 19.
4) Ps. LXXXIV. 2.
5) Is. XLV. 8.
6) Ibid. pag. 430. col. 1. C-E.
7) Gen. III. 17.
8) Gen. II. 8.
9) Serm. in Mariae nativit. n. 11. pag. 1622. D. opp. T. III.
10) Ps. XVIII. 2.
11) Cant. VI. 9.
12) Ibid. n. 12. pag. 1622. E-F.

Digitized by Google

Quid horum non enituit in Maria? Sed ostensum est superius, ut quidem a nobis ostendi potuit: supereminentiam prosequamur. Cui enim angelorum aliquando [1]) dictum est, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei?* Denique [2]) *veritas de terra orta est,* non de angelica creatura; nec [3]) angelos, sed semen Abrahae apprehendit. Magnum est angelo ut *minister* sit Domini; sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit *mater*. Fecunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantoque excellentior angelis facta munere singulari, quanto differentius prae ministris [4]) nomen matris accepit. Hanc invenit gratiam plena iam gratia. »

858. Quid vero Petrus Damiani? En eiusdem [5]) verba: « Potest etiam per repromissionis terram non incongrue ipsum beatissimae Dei genitricis corpus intelligi, ex quo Redemptor noster velut singularis botrus voluit humanitus germinari. Iuxta illud quod [6]) scriptum est: *veritas de terra est.* Et bene caro beatissimae Virginis terra repromissionis est dicta, quae longe ante paritura Salvatorem mundi a prophetis multifariam est promissa. Quae vere lac et mel manavit, dum Deum et hominem intemerata virginitate profudit. Unde et [7]) per Esaiam dicitur: *ecce Virgo in utero concipiet Filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.* Merito ergo beata virgo Maria sub ipso vindemiarum tempore nascitur, ut iam novae gratiae mustum sic ex variis sacrae Scripturae sententiis, velut ex diversis uvarum folliculis exprimatur. Merito autumnali tempore nascitur, ut iam velut in autumno totius seculi fructu spiritualium arborum comedatur. In plenitudine temporis venit, quae gratia plena fuit. » Suf-

1) Hebr. I. 5. coll. Luc. I. 35.

2) Ps. LXXXIV. 12.

3) Hebr. II. 16.

4) Hebr. I. 4.

5) Serm. XLIV. idemque III. de Virginis nativit. pag. 115. col. 2. C-E.

6) Ps. LXXXIV. 12. Hinc Bonaventura in Speculo beatae Mariae Lect. XVI. pag. 478. col. 2. C-F. opp. T. VI. « Ostensum est supra, quomodo Maria propter purissimam vitae innocentiam merito per *Ave* salutatur: quomodo propter copiosissimam gratiae affluentiam merito *gratia plena* commemoratur: quomodo propter familiarissimam Dei praesentiam *Dominus tecum* fore insinuatur. Ostendendum autem nunc est, quomodo propter utilissimam prolis suae excellentiam merito *benedictus fructus ventris tui* proclamatur. *Benedictus* ergo *fructus ventris tui*, o benedicta mater Filii Dei. Hic est ille fructus, de quo propheta dicit, *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructus suos.* Quod exponens Beda dicit: *dedit Dominus benignitatem, quia in ingressu Unigeniti sui virginalis uteri templum Spiritus-sancti gratia consecravit. Et terra nostra dabit fructum suum, quia eadem Virgo quae de terra corpus habuit, Filium genuit divinitate quidem Deo Patri coaequalem, sed sibi carnis veritate consubstantialem.* »

7) Is. VII.

Digitized by Google

fragantur [1]) Hildebertus cenomanensis et Isidorus hispalensis, qui [2]) ad psalmi oraculum respiciens ait: « Quae est veritas de terra orta, nisi Christus de femina natus, Filius Dei de carne procedens? Nam caro terra est, quando enim natus est Christus, iustitia de caelo prospexit. Non enim daretur e caelo iustificatio, nisi Christus in carne nasceretur; et ut ostenderet quod ipsa veritas de terra orta homo esset, sequenter adiunxit: *iustitia ante eum praeibit, et ponet in via gressus suos.* Item [3]) idem David, *terra*, inquit, *dabit fructum suum.* Terra, Maria dedit fructum suum Christum. Sed quis est iste fructus? *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* »

859. Illud recoli postremo debet, cuius auctor est Nicetas paphlago, qui memorata psalmi verba de conceptu et nativitate Unigeniti ex Virgine tanto maiorum consensu explicata, ad ipsius Virginis ex Anna conceptum nativitatemque his verbis [a]) traducit: « Haec divinae potius promissionis verbo quam naturae ratione in sterili concepta atque gestata utero, velut luna plena hodie ex materno oritur thalamo. Perspicue hodie videre licet iuxta [4]) prophetae oraculum, oriri veritatem de terra, ac iustitiam de caelo prospicere. Etenim Dominus ostendens de caelo digne petentibus iustitiam suam, dedit benignitatem, divinae promissionis oraculo edito; Anna vero, illo fide suscepto, ex utero suo, veluti ex terra, promissam oraculo veritatem in lucem edit, illamque cunctis hominibus animatum atque viventem fructum producit. »

860. Haec autem verborum psalmi, *veritas de terra orta est,* ad Virginem accommodatio, quemadmodum ex sese ac *proxime* eo

a) Orat. in Deiparae nativit. pagg. 438. D. et 439. A. apud Combefisium Auctar. T. III. Αὕτη τῷ ῥήματι τῆς ἐπαγγελίας τοῦ Θεοῦ μᾶλλον, ἢ τῷ λόγῳ τῆς φύσεως ἐν τῇ στειρωτικῇ συλληφθεῖσα καὶ κυοφορηθεῖσα γαστρὶ, σήμερον οἷα σελήνη πλησιφαὴς, τῶν θαλάμων ἐξανατέλλει τῶν μητρικῶν· σήμερον ἐναργῶς ἔστιν ὁρᾷν κατὰ τὴν προφητικὴν θηγορίαν, ἀλήθειαν μὲν ἀνατέλλουσαν ἐκ τῆς γῆς· ἐκ τοῦ οὐρανοῦ δὲ, τὴν δικαιοσύνην διακύπτουσαν· καὶ γὰρ ὁ κύριος ἄνωθεν τὴν αὐτοῦ δικαιοσύνην ἐπιδεικνύμενος τοῖς ἀξίως αἰτήσασιν, ἔδωκε χρηστότητα· τὸ ῥῆμα τῆς θείας ἐπαγγελίας χρηματίζων· Ἄννα δὲ πίστει τοῦτο καταδεξαμένη, ὥσπερ ἐκ γῆς τῆς οἰκείας μήτρας τὴν χρησμῳδοθεῖσαν ἀλήθειαν ἀνίσχει, καὶ ταύτην πᾶσιν ἀνθρώποις ἔμψυχον καὶ ζῶντα προβάλλει καρπόν.

1) Serm. II. In nativit. Domini pag. 259.

2) Cont. Iudaeos lib. I. cap. X. n. 6. pag. 25. opp. T. VI.

3) Ps. LXVI. 7-8.

4) Ps. LXXXIV. 12.

Digitized by Google

spectat ut penitissimum ostendatur vinculum, quo *Filius veritas cum Virgine terra* copulatur; ita eo etiam *mediate* pertinet ut ornamenta Virginis ex huiusmodi profecta vinculo significentur. De ipsa enim, utpote quae terra fuerit e qua veritas orta est, ex maiorum persuasione atque doctrina teneri debet: I. *illam fuisse terram ab ea, quae maledicti sententiam tulit, diversissimam; terram, aeque ac priorem et originalem, incorruptam; et terram quae nullum subierit contagium.* Teneri debet II. *eamdem fuisse terram repromissionis, terram omnino intactam, et terram puram, intaminatam, electam, desiderabilem, sanctam.* Teneri debet III. *ex hisce dotibus nullam esse, quae cum Virginis primordiis eiusque originibus non fuerit conserta: ipsa namque uti terra sancta in sinu concepta fuit, et uti vivus atque animatus fructus in lucem venit.* Teneri postremo debet, *spectata originis puritate, tam de conceptu et nativitate Virginis ex Anna, quam de conceptu et nativitate Christi ex Virgine rite verba usurpari,* veritas de terra orta est. Iamvero neminem esse arbitror qui non facile videat, ex nobilissimis Deiparae dotibus eam omnium splendidissime per adductis testimoniis efferri, quae immaculato eiusdem conceptu continetur.

ARTICULUS VII.

De psalmis LXVII. 16-17, et LXXI. 6-7-17: ecclesiastica monimenta maiorumque testimonia, quibus ea ad Virginem accommodata ostenduntur, eiusque eximiae dotes et immaculata puritas comprobantur.

861. Extollit divinus psalmi sexagesimiseptimi auctor montem Sion, ceterisque eiusdem laudibus eam addit, quam [1]) his verbis vulgatus interpres exponit: « Mons Dei, mons pinguis. Mons coagulatus mons pinguis. » Haec autem quae ad eum montem eiusque ostendendam excellentiam proprie spectant, Germanus constantinopolitanus [2]) ad Virginem transfert, deque Virgine pariter sumit [3])

1) Ps. LXVII. 16. Sunt haec expressa ad alexandrinam versionem, Ὄρος τοῦ Θεοῦ, ὄρος πῖον· ὄρος τετυρωμένον, ὄρος πῖον. Textus originalis sic habet:

הַר־אֱלֹהִים הַר־בָּשָׁן הַר גַּבְנֻנִּים הַר־בָּשָׁן׃

Mons Dei, praestans nimirum et eximius, *mons Basan*, *mons eminentiarum*, collibus ingisque constans, *mons Basan*.

2) Orat. de Virginis nativit. pag. 1314. A. apud Combefisium Auctar. T. I.

3) Orat. III. in Deiparae dormit. pagg. 692. col. 2. E. et 693. col. 1. A. apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VII.

Digitized by Google

Andreas cretensis scribens: « Tu tremendae dispensationis magnificum opus, in quod desiderant angeli prospicere. Tu elegantissimum Dei se nobis inclinantis domicilium, terra vere desiderabilis. *Concupivit*[1]) *enim rex gloriam decoris tui*, et [2]) *amator factus est* divitiarum virginitatis tuae; in te [3]) habitavit et apud nos moratus est, ac per te [4]) nos Deo et Patri reconciliavit. Tu thesaurus sacramenti a seculis absconditi. Tu [5]) mons Sion, mons pinguis, mons coagulatus, in quo complacuit Deo ut habitaret; ex quo compactus qui omni superior essentia est, carne nostra intelligentium more animata coagulatus est. » Hinc [a]) Leo Augustus Virginem compellans ait: « Dicamus igitur ei, vel potius chori totius ductor et auspex dicat: ave mons pinguis, cuius pinguedinem videns naturae cultor et sator, ex te omnium bonorum abundantiam nobis produxit. »

862. Quae autem de psalmo sexagesimoseptimo monuimus, multo ea magis repeti de illis debent quae psalmo septuagesimoprimo his verbis [6]) continentur: *descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus eius iustitia et abundantia pacis, donec auferatur luna. Sit nomen eius benedictum in secula, ante solem permanet nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae, omnes gentes magnificabunt eum.* Sicut enim nemo prudens [7]) inficias eat, hoc psalmo futuram in carne Unigeniti oeconomiam praenunciari; ita incredibilis est maiorum con-

a) Orat. iu Deiparae dormit. pag. 1741. C-E. apud Combefisium Auctar. T. I. *Εἴπωμεν τοίνυν αὐτῇ· μᾶλλον δ' ὁ ταῦτα προανυμνήσας λεγέτω· χαῖρε τὸ πῖον ὄρος, οὗ τὴν πιότητα κατιδὼν ὁ τῆς φύσεως γεωργὸς ἐκ σοῦ ἡμῖν ἐγεώργησε τὴν ἀφθονίαν τῶν ἀγαθῶν.*

1) Ps. XLIV. 12.
2) Sap. VIII. 2.
3) Ioh. I. 14.
4) Ephes. III. 9.
5) Ps. LXVI. 16-17. Cf. Hymuum XV. inter ambrosianos de nativit. Domini, pag. 21. T. I. Thesauri hymnolog.
6) Ps. LXXI. 6-7-17. Hebraice:

יֵרֵד כְּמָטָר עַל־גֵּז כִּרְבִיבִים זַרְזִיף אָרֶץ׃
יִפְרַח־בְּיָמָיו צַדִּיק וְרֹב שָׁלוֹם עַד־בְּלִי יָרֵחַ׃
יְהִי שְׁמוֹ לְעוֹלָם לִפְנֵי־שֶׁמֶשׁ יִנּוֹן שְׁמוֹ
וְיִתְבָּרְכוּ־בוֹ כָּל־גּוֹיִם יְאַשְּׁרוּהוּ׃

Descendet quasi pluvia super detonsum gramen, idest, Kimchio explananate, *Rex Messias in bonum ac salutem populo suo veniet instar pluviae quae super herbam resectam cadit, efficitque ut revireat ac denuo crescat.* Pergit psaltes: *sicut guttae irrigationis terrae*, quae super terram descendunt illamque fecundant. *Florebit in diebus suis iustus et abundantia pacis usque dum non luna*, Iusti nimirum probique, eo regnante, florebunt, et tamdiu florebunt quamdiu luna perseveret. *Erit nomen elua in secula, in conspectu solis propagabitur nomen eius, et beatos se praedicabunt in eo, omnes populi eum felicem annunciabunt.*

7) Id enim non christiani modo interpretes docent, verum etiam chaldaeus paraphrastes confirmat, qui primum psalmi incisum ita enarrat: *Deus sententias iudiciorum tuorum* לְמַלְכָּא מְשִׁיחָא הַב *regi Messiae dato.*

Digitized by Google

spiratio, qua descripta ex eo verba aut de Virgine intelliguntur, aut ad ipsam accommodantur.

863. Ac de Virgine sane adhibentur [1]) in missali mozarabico, in [2]) vetustis latinae ecclesiae hymnis, in [3]) psalterio quod Anselmi nomen praefert, in [4]) Graecorum Menaeis, in [a]) prisco penes illos quadragesimali Officio, et ne plura cumulem, in [b]) Octoecho. En verba quadragesimalis Officii: « Ave sanctissimum templum, vellus divino rore imbutum, fons signatus perennis fluenti, gregem tuum, Domina, ab omnigenorum hostium impetu tuere. » Quibus haec ex Octoecho respondent: « Sicut in vellus tacite e caelo descendit, o Virgo, divinus imber in sinum tuum, et universam hominum naturam exsiccatam, o inviolata, servavit. »

864. Neque aliter patribus, christianisque scriptoribus visum esse probe tenemus. Ne quid enim dicamus [5]) de Maximo taurinensi, de [6]) vulgato Augustino, de [7]) Petro Chrysologo, de [8]) Theodorito, de [9]) Iohanne damasceno, de [10]) Laurentio Iustiniano, deque anonymo [11]) apud Corderium, qui omnes una mente unoque

a) Offic. quadrag. Fer. II. Hebd. III. Ieiun. pag. 225. *Χαίροις ὁ πανάγιος ναὸς, ὁ πόκος ὁ θεοδρόσος, ἐσφραγισμένη πηγὴ τοῦ ἀθανάτου ῥεῖθρου, τὴν ποίμνην σου, δέσποινα, φύλαττε ἐκ παντοίων πολεμίων ἀπολιορκήτως.*

b) Antholog. in Octoech. pag. 28. col. 1. E. *Ὥσπερ ἐπὶ τὸν πόκον κατῆλθεν ἀψοφητὶ, οὐρανόθεν παρθένε, ὁ ὑετὸς ἐν μήτρᾳ σου ὁ θεῖος, καὶ ἔσωσε ξηρανθεῖσαν ἅπασαν τῶν ἀνθρώπων τὴν φύσιν, ἄχραντε.*

1) In Missa votiva de Annunciatione.

2) Cf. Sedulii Hymnum de V. et N. T. apud Card. Thomasium, pagg. 430-431. opp. T. II.

3) Psalter. pag. 305. col. 2.

4) Men. die III. Aprilis Ode θ'. pag. 16. col. 1. E. *Ὡς πόκος, πανάμωμε, τὸν ὄμβρον τὸν οὐράνιον ἐν γαστρὶ δεξαμένη, ὑμῖν ἐκτέτοκας τὸν τὴν ἀμβροσίαν διδοῦντα πᾶσι βροτοῖς, αὐτὸν προσκυνοῦσι, καὶ σὲ τὴν πανύμνητον θεοτόκον μεγαλύνουσιν.* *Quem tu imbrem de caelo tamquam vellus in utero excepisti, o penitus immaculata, eum nobis peperisti ut qui ambrosiam mortalibus omnibus praeberet qui illum adorant, et te Deiparam omnibus collaudatam linguis magnificant.* Confer etiam quae habentur Men. die 15. Maii Ode. θ'. pag. 66. col. 1. B. et die 21. Decembris Ode θ'. pag. 175. col. 1. B-C.

5) In App. Serm. XII. col. 45.

6) Serm. CXCIX. de natali Domini, n. 2. pag. 461. apud Mai in nov. pp. Biblioth. T. I. De hoc sermone Em. editor scribit: « Sequens sermo in codice bobiensi vat. antiquissimo 5751. praeponitur illi Augustini, qui est 123. in appendice editionis maurinae. Quamvis igitur est anonymus, tamen propter praedicti propinquitatem, multoque magis ob codicis magnam antiquitatem, is a nobis heic collocatur, quamquam et aegre interdum in codice corrupto legebatur, nec mendis scripturae caret, et subobscurus est, atque Augustino vix dignus videtur. »

7) Serm. CXLIII. de Virginis annunciat. pag. 204. col. 2. B-C. Ubi hoc maioribus nostris solemne effatum recurrit: « Singulis gratia se est largita per partes, Mariae vero simul se totam dedit gratiae plenitudo. *Omnes*, inquit evangelista, *de plenitudine eius accepimus*. Unde et David dicit: *descendit sicut pluvia in vellus.* »

8) Comm. in Ps. LXXI. 6. p. 1104. opp. T. I.

9) Orat. I. in Virg. dormit. §. IX. p. 864. B-C.

10) Orat. in Virginis annuntiat. pag. 435. col. 1. C-D. apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VI.

11) In Exposit. pp. graec. ad Ps. LXXI. 6. pag. 470. B-D.

Digitized by Google

ore *velleris* nomen de Virgine interpretantur; in commentario [a]) Heracleotae [1]) legimus: « Ceterum existimo Virginem propter progenitorem suum vellus fuisse appellatam (vellus enim est pellis ovis): atque ille pellis ovinae nuditatem cohibuit, ut etiam in ipsa Gedeonis miraculum ostenderetur. Quemadmodum enim illic, area sicca remanente, solum vellus humidum apparuit; sic etiam ipsa, humano genere divini influxus aestu attenuato, sola divinum rorem et irrigationem obtinuit. Et quoniam vellus solet calorem conservare ac fovere, ipsa etiam erroris frigore constrictos divinae cognitionis fomento ad virtutum perfectionem vellere suo reduxit. »

865. A quo insigni prorsus commentario seiungi non debent quae [2]) Sophronius cognomento senior his verbis complectitur: « *Ave,* inquit [3]), *gratia plena,* et bene plena, quia ceteris per partes praestatur, Mariae vero simul se tota infudit plenitudo gratiae. Hoc quippe est quod [4]) David canit: *descendet sicut pluvia in vellus.* Vellus itaque cum sit de corpore, nescit corporis passionem. Sic et virginitas cum sit in carne, nescit vitia carnis. Caelestis plane imber in virgineum vellus placido se infudit illapsu, et tota divinitatis unda se contulit in carnem, quando Verbum caro factum est: ac deinde per crucis patibulum expressum terris omnibus salutis pluviam effudit, et stillicidia gratiae humanis praestitit mentibus. » Simillima tradit [5]) Hildephonsus toletanus inquiens: « Nec diu haec sancta sacratissima Virgo post Domini ascensionem in terris potuit remanere, quam de-

a) L. c. pag. 461. D-E. Ἀλλ' οἶμαι ὡς πόκος ἡ παρθένος διὰ τὸν προπάτορα κατωνόμασται· (πόκος γὰρ ἀπὸ προβάτου ἐστὶ δορᾶς) κἀκεῖνος προβάτου δωρᾷ τὴν γύμνωσιν περιέστειλε, καὶ ἵν' ἐπὶ αὐτῇ τὸ τοῦ Γεδεὼν τελεσιουργούμενον ἐκφανῇ· ὡς γὰρ ἐκεῖ τῆς ἅλω ξηρᾶς καταλειπομένης, ὁ πόκος μόνος ἑωρᾶτο διάβροχος· οὕτως αὕτη, αὐχμῷ τῆς θείας ἐπιῤῥοῆς τοῦ ἀνθρωπείου τηκομένου γένους, μόνη τὴν θείαν δρόσον καὶ ἀρδείαν πεπλούτηκε· καὶ ὅτι θάλπειν πέφυκεν ὁ πόκος, καὶ αὕτη τοὺς τῷ κρυμῷ τῆς πλάνης κατασχεθέντας, θάλψει θεογνωσίας πρὸς τελεσφορίαν ἀρετῶν τῷ ἑαυτῆς τόκῳ ἐπανήγαγεν.

1) Quae paullo accuratius reddenda sunt ac ferat Corderii versio quam adhibuimus. Hunc igitur fundunt sensum. «Verum existimo, vellus dictam esse Virginem propter protoparentem: vellus enim ab ovis est pelle) atque ille ovis pelle (δορᾷ non δωρεᾷ) nuditatem obtexit, ut etiam in ipsa appareret quod Gedeoni accidit. Quemadmodum enim illic, area sicca relicta, solum vellus humidum apparuit; ita haec, hominum genere siccitate divini influxus tabescente, sola divino rore ac pluvia locupletata fuit. Et quoniam vellus natura comparatum sic est ut calefaciat, haec etiam erroris frigore detentos divinae cognitionis calore ad virtutum perfectionem suo partu adduxit. »

2) Ad Paulam et Eustochium de Virginis assumpt. cap. V. pag. 96. B-D. inter opp. Hieronymi T. XI.

3) Luc. I. 28.

4) Ps. LXXI. 6.

5) Serm. VI. de Virginis assumpt. pag. 679. col. 2. C-E. apud Combefisium in Biblioth. concionat. T. VII. et in collect. pp. tolet. pag. 368. T. I.

Digitized by Google

siderabant angeli, caelum etiam et ipsum de eius ascensione querebatur; atque ideo Spiritus sanctus [1]) invitabat dicens: *veni columba mea, immaculata mea, iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.* Quodque ardentissime vellet assumere, ostendit crebra ingeminatione [2]) inquiens: *veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni.* Et pulcra de Libano venire iubetur, hoc est, de candidatione. Libanus enim candidatio interpretatur. Et haec Virgo sancta candidata erat virtutibus, et dealbata Spiritus sancti muneribus columbae et lacteam servans simplicitatem et virginitatis immaculatum candorem; atque ideo sola digna fuit per quam et ex qua Dei Filius ad reconciliationem humani generis veniens carnem assumeret. Unde et ei soli angelica illa salutatio [3]) conveniens fuit: *ave Maria, gratia plena.* Ceteris enim electis ex parte gratia datur, huic vero Virgini tota se infudit plenitudo gratiae. Quod considerans [4]) propheta David ait: *descendet sicut pluvia in vellus.* Vellus enim virginitatem praesignat. Sicut enim vellus cum sit de corpore, corporis non subiacet passioni; ita virginitas cum sit in carne, vitia carnis ignorat. Descendit ergo sicut pluvia in vellus, quia caelestis imber, hoc est, unda divinitatis virgineo velleri placido se infudit illapsu, quando [5]) *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* » Quare Gregentio tephrensi episcopo in disputatione cum Herbano iudaeo satis [a]) non fuit scribere: « Audi igitur quid dicat David de ipsius *(Unigeniti)* descensu ad Virginem, ut carne indueretur, *descendet sicut pluvia in vellus, et sicut gutta distillans in terram.* » Sed in oratione ad fusa Deum pro Iudaeorum resipicientia in haec verba [b]) erupit: « O Verbum tremendum terribilis et magni et invisibilis Patris, ante secula impatibiliter et sine fluxu ex ipso genitum non factum, ex

a) Disput. cum Herbano iudaeo pag. 606. B-C. apud Gallandium T. XI. Ἄκουσον οὖν τί λέγει ὁ Δαβὶδ περὶ τῆς ἐξ οὐρανοῦ αὐτοῦ συγκαταβάσεως ἐπὶ τὴν παρθένον, ἕνεκα τοῦ σαρκωθῆναι· καταβήσεται ὡς ὑετὸς ἐπὶ πόκον, καὶ ὡσεὶ σταγὼν ἡ στάζουσα ἐπὶ τὴν γῆν.

b) Ibid. pag. 658. C-E. Ὁ φοβερὸς λόγος τοῦ φοβεροῦ καὶ μεγάλου καὶ ἀοράτου πατρός· ὁ πρὸ αἰώνων ἀπαθῶς καὶ ἀρεύστως ἐξ αὐτοῦ γεννηθεὶς οὐ ποιηθεὶς, ἐκ μόνου τοῦ ἀγεννήτου φωτὸς μόνος μονογενὴς ἀπαστράψας· ὁ κλίνας οὐρανοὺς, καὶ καταβὰς ὡς ὑετὸς ἐπὶ πόκον, ἐπὶ τὴν ἁγίαν παρθένον Μαρίαν· ἐλέησον τὰ ἐσκοτισμένα ταῦτα πλήθη, καὶ ἐπιπνίασι αὐτὰ δυνάμει σου.

1) Ibid. II. 10.
2) Cant. IV. 8.
3) Luc. I. 28.
4) Ps. LXXI. 6.
5) Ioh. I. 14.

solo ingenito lumine solum unigenitum coruscans: tu qui caelos inclinasti et descendisti ut pluvia in vellus in sanctam virginem Mariam; miserere huius turbae obtenebratae, et obumbra ipsam tua virtute. »

866. Haec autem aut hisce gemina Bernardi animo obversabantur, quum de texendis Deiparae laudibus sollicitus [1]) scripsit: « Proferamus et alia Virgini matri, Deoque Filio congrua de Scripturis testimonia. Quid illud [2]) Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis, in area ponitur et nunc quidem lana nunc vero area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, et absque detrimento virginitatis? Cui utique distillantibus caelis tota se infudit plenitudo divinitatis: adeo ut ex hac plenitudine omnes accepimus, qui vere sine ipsa non aliud quam terra arida sumus. Huic quoque gedeonico facto propheticum dictum [3]) pulcre satis convenire videtur, ubi legitur: *descendet sicut pluvia in vellus*. Nam per hoc quod sequitur, *et sicut stillicidia stillantia super terram*, idem datur intelligi, quod per inventam rore madidam aream. Pluvia nempe voluntaria, quam segregavit Deus hereditati suae, placide prius et absque strepitu operationis humanae suo se quietissimo illapsu virgineum demisit in uterum: postmodum vero ubique terrarum diffusa est per ora praedicatorum, non iam sicut pluvia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam utique strepitu verborum ac sonitu miraculorum. »

867. Amedeus vero lausannensis postquam [4]) Virginis dotes pro facultate celebravit, inferendo subdit: « His ergo tantisque bonis exuberans Sponsa, Sponsi mater unici, suavis [5]) et carissima in deliciis, ut fons hortorum rationabilium et puteus aquarum viventium et vivificantium, quae fluunt impetu de Libano, a montibus Sion usque ad circumfusas quasque et exteras nationes pacis flumina et gratiarum emanationes caelica infusione derivabat. Unde [6]) beatus David quum de Filio eius Domino nostro loqueretur, *erit*, inquiens, *in diebus eius iustitia et abundantia pacis*, apte de illa mox intulit, *donec auferatur luna*. Luna ipsa est, quae caelo ter-

1) Super *missus est*, Hom. II. n. 7. pag. 746. B-D. opp. T. III.
2) Iud. VI 37.
3) Ps. LXXI. 6.
4) Hom. VII. de Virginis laudibus, pag. 1275. col. 2. E-G. in max. pp. Biblioth. T. XX.
5) Cant. IV. 15.
6) Ps. LXXI. 7.

risque irradians, astris sanctorum longe superior coruscat. *Donec*, ait, *auferatur luna*, quae elevato sole iustitiae stetit in ordine suo, et prima ecclesiae primitivorum infulsit. » Quare nil mirum si Germanus constantinopolitanus ea luce percitus, qua Virgo singulariter nitet, tandem [a]) exclamaverit: « Enimvero sat tibi ad laudem, o admirabilis, quod non possumus dignis encomiis res tuas celebrare. Magnam ex Deo ad triumphum celsitatem adepta es, quod tua ex carne christianum ei populum condideris, eiusdemque tecum generi divinae eius expressaeque imaginis [1]) conformes reddideris. Quare [2]) *benedictum nomen tuum in secula*. Vincit solem lux tua, superat creata omnia tuus honos, angelis maior excellentia tua. Benedicta tu [3]) in generationibus generationum, sed et in te benedictionem nactae sunt omnes cognationes terrae. Nec enim locus est ubi tu non lauderis, nulla cognatio ac familia ex qua per te fructus Deo non germinaverint; ut et gentes quae in hoc mundo [4]) non agnoverunt, ipsae quoque tempore accepto beatam te, Virgo, sint praedicaturae. »

868. Quemadmodum igitur duplici imagine, altera *montis* atque ex eo decisi *lapidis*, et altera *velleris* atque infusi in illud *roris* penitissima adumbratur coniunctio qua Maria cum Christo et Mater cum Filio devincitur; ita profectae ex hac coniunctione Mariae atque Matris dotes in commentariis maiorum splendidissime exprimuntur. E quarum numero *prima* omnium ea succurrit, *quod Virgo non solum Deo apparuerit uti mons Sion et mons pinguis, verum etiam uti mons, cuius pinguedo ipsum naturae cultorem in sui dilectionem pertraxerit, dignusque fuerit e quo is qui omnem*

a) Orat. in Virginis dormit. pag. 1462. A-D. apud Combefisium Auctar. T. I. Ἀλλὰ ἀρκεῖ σοι πρὸς ἔπαινον, ἀξιάγαστε, τὸ μὴ εὐπορεῖν ἡμᾶς ἐγκωμιάσαι τὰ σά· ἔχεις ἐκ θεοῦ τὸ μέγα πρὸς θρίαμβον ὕψος· διότι λαὸν αὐτῷ χριστιανικὸν ἀπὸ σαρκὸς τῆς σῆς συνεστήσω, καὶ τὸ ὁμοιογενές σου, σύμμορφον τῆς θείας αὐτοῦ καὶ ὁμοιωτικῆς εἰκόνος ἀπειργάσω· εὐλογημένον τοίνυν διὰ τοῦτο τὸ ὄνομά σου εἰς τοὺς αἰῶνας· πρὸ τοῦ ἡλίου τὸ φῶς σου· ὑπερτέρα πάσης τῆς κτίσεως ἡ τιμή σου· πρὸ τῶν ἀγγέλων ἡ ὑπεροχή σου· εὐλογημένη σὺ ἐν γενεαῖς γενεῶν· ἀλλὰ καὶ εὐλογήσθησαν ἐν σοὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς· οὐδὲ γάρ ἐστι τόπος ἔνθα σὺ μὴ δοξάζῃ· οὐδὲ φύλη, ἐξ ἧς οὐκ ἐβλάστησαν διὰ σοῦ καρποὶ τῷ θεῷ· ὥστε καὶ τὰ μὴ ἐπεγνωκότα σε κατὰ τὸν κόσμον τοῦτον ἔθνη, καιρῷ δεκτῷ καὶ αὐτὰ μακαριοῦσί σε, παρθένε.

1) Rom. VIII. 26.
2) Ps. LXXI. 17.
3) Gen. XII. 3.
4) II. Cor. VI. 2.

vincit essentiam compingeretur. Hanc *altera* excipit qua inter propria Virginis decora numeratur, *quod ipsa protoparentum nuditatem contexerit, seque haud aliter habuerit ac uti humidum vellus prae reliquo hominum genere exsiccato, ac uti vellus calidum et calefaciens prae universis hominibus frigore rigescentibus.* Sequitur *tertia*, cuius in eo sita vis est, *ut gratia nonnisi per partes ceteris tributa hominibus, in Virginem tota sua plenitudine dimanarit, et ita dimanarit ut ipsa evaserit gratia plena, et eo usque plena, ut ex eius plenitudine mutuos veluti rivos ceteri omnes haurirent.* Quare *sicuti Virgo cum Christo copulatur tamquam luna cum sole, et sicuti creatis naturis omnibus purior sublimiorque celebratur; ita illi cum Christo et post Christum tribuitur quod nos Deo reconciliarit, quod in nos bona omnia contulerit, quod nos perditos servarit, et quod in generationibus generationum tamquam universalis caussa salutis omnium linguis magnificari debeat.* Nihil vero manifestius quam hasce Virginis dotes eo pertinere, ut ipsa una cum Filio a perdito hominum genere secreta, in proprio eximioque ordine collocata videatur.

ARTICULUS VIII.

De ceteris quae ex Psalmis ad Virginem accommodata in maiorum commentariis reperiuntur: horum usus ut Virginis dotes ac praerogativa nominatim immaculati conceptus ostendantur.

869. Ut potiora dumtaxat seligam, et modum aliquem orationi imponam, ab iis auspicabor quibus David [1]) Messiam alloquens [2]) ait: *virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Videlicet Dominus Deus Pater sceptrum tuum forte, tuamque regiam potestatem emittet in mundum ex Sione, ubi primum regnare incipies, sed et interim usque

1) Hunc enim psalmum ad Messiam pertinere, tum quae eo continentur, tum directa testimonia Matth. XXII. 41, Marc. XII. 35, Luc. XX. 41. liquido demonstrant. Cf. Hufnagel in dissert. I. de psalmis prophetias messianas continentibus, et Theodorum Bergmann in comm. in Ps. CX.

2) Ps. CIX. al. CX. 2. מַטֵּה עֻזְּךָ יִשְׁלַח יְהוָה מִצִּיּוֹן רְדֵה בְּקֶרֶב אֹיְבֶיךָ׃ *Sceptrum potentiae tuae*, tuumque potens regiumque sceptrum *emittet Dominus ex Sione*, atque ex hac arce imperium in tuae ditionis populos exercebis; *imperabis in medio hostium tuorum*, et quamvis terrarum orbis hostibus tuis refertus sit, hi tamen impedire non poterunt quominus regnum tuum in medio eorum propagetur.

Digitized by Google

ad finem seculi dominare quoque inter medios inimicos ipsos tuos tibi quidem rebellantes, sed adversus fidem regnumque tuum non praevalentes. En vero quae [a]) in canone pro Dominica Publicani et Pharisaei, auctore Georgio, leguntur: « Emitte, o bona, virtutis virgam nobis omnibus ad te confugientibus, ac tribue ut in medio inimicorum nostrorum dominemur, atque ab omni noxa nos eripe. » His lumen addunt quae [1]) Amedeus lausannensis enarrans [2]) archangeli verba, *Spiritus sanctus superveniet in te,* illico subdit: « In alios sanctorum venit, in alios veniet, sed in te superveniet, quia prae omnibus et super omnes elegit te, ut superes universos qui ante te fuere, vel post te futuri sunt, plenitudine gratiae. Implevit [3]) quidem Abel tanta innocentia, ut innocens manibus et mitis corde de manu fratris necem susciperet. Tua vero innocentia millia nocentium innocentiae reddit et saluti. Transtulit [4]) Enoch, sed caro quam generabis, cum assumpta fuerit, omnia trahet ad se. Implevit [5]) Abraham fide et obedientia profutura posteritati; sed fide tua et obedientia mundus salvatus gratias agit. Implevit [6]) Mosem, et legis, non gratiae, latorem instituit, tibi autem tribuens non solum legis latorem, sed gratiae et gloriae largitorem. Adscivit [7]) David in prophetam et regem, sed ille [8]) tibi scribit, et Filium tuum Dominum suum nominat. Quid plura memorem? Omnes superas, praees universis non solum hominibus sed et summis caelorum virtutibus. »

870. Quod plenius confirmans [9]) pergit: « Hinc est quod gloriosius prae illis nomen hereditabis. Nam cum alius dicatur angelus Dei, alius propheta, alius praeco, et quisque suo censeatur nomine pro ordine et dignitate; tu singulari et speciali nomine appellaberis mater Dei. Et ideo mater salutis, mater gratiae, mater misericordiae. » Accedit [10]) Hildephonsus toletanus qui gloria Virginis in admiratio-

a) Canon in Dom. Public. Ode ς'. pag. 201. Ῥάβδον δυνάμεως, ἀγαθή, πᾶσιν ἐξαπόστειλον ἡμῖν τοῖς ἐπὶ σοὶ καταφεύγουσι, κατακυριεύειν ἐν μέσῳ πάντων ἐχθρῶν παρέχουσα, καὶ πάσης βλάβης ἐξαίρουσα.

1) Homil. III. de Virginis laudibus, pag. 1267. col. 2. H. in max. pp. Biblioth. T. XX.
2) Luc. I. 35.
3) Ibid. IV. 8.
4) Gen. V. 24.
5) Gen. XVII. 1.
6) Exod. XIX-XX.
7) I. Reg. XVI. 1-12.
8) Ps. CIX. 1.
9) L. c. pag. 1268. col. 1. A.
10) Serm. I. in Virginis assumpt. pag. 669. col. 1. B-D. apud Combefisium in Biblioth. concinat. T. VII.

Digitized by Google

nem raptus exclamat: « Venite, quaeso, et videte, quoniam hodie [1]) translata est arca testamenti Dei ad superos, exterius inaurata virtutibus, et fabricata interius auro purissimae maiestatis, in qua lex testamenti Dei et manna fuit quod de caelo fluxerat: virga [2]) quoque Aaron quae floruerat. De qua nimirum virga David [3]) in psalmis, *emittet Dominus ex Sion*, inquit, *virgam virtutis tuae*. Deinde faciens apostrophen ad eamdem, *dominare*, inquit, *in medio inimicorum tuorum*. »

871. Fuit igitur cur [4]) Bonaventura considerandum esse monuerit « Quod Maria interpretatur [5]) *Domina*. Tum hoc quoque optime competere tantae imperatrici, quae revera Domina est caelestium, terrestrium et infernorum. Domina, inquam, angelorum, Domina hominum, Domina daemonum. » His autem ut fidem ex ordine conciliet [6]), pergit: « Primo considera, quod Maria est Domina angelorum, ipsa enim signata est in Domina [7]) Esther regina de qua legitur, quod super unam famulam suam delitiose innitebatur, altera autem famularum sequebatur Dominam defluentia in humum vestimenta sustentans. Per Dominam Esther reginam, intellige Mariam reginam: duae famulae quarum Domina est regina Maria, sunt angelica et humana creatura. O quantum gaudendum est nobis miseris hominibus, quod angeli Dominum et Dominam habent ex hominibus. Verissime enim angelorum Domina est Maria. Unde Augustinus [8]) ipsam alloquens ait. *Si te caelum vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, praecedis. Si Dominam Angelorum nominem, per omnia esse comprobaris. Si formam Dei appellem, digna exsistis*. Secundo considera, quod Maria est Domina hominum in mundo. De hac Domina [9]) in psalmo dicitur: *sicut oculi ancillae in manibus Dominae suae*. Ancilla Dominae Mariae est quaelibet anima fidelis, immo etiam Ecclesia universalis. Oculi huius ancillae in

1) Exod. XV. 11.

2) Num. XVII. 8.

3) Ps. CIX. 2.

4) Specul. beatae Mariae, Lect. III. pag. 455. col. 1. F. opp. T. VI.

5) Iohannes damascenus de Fide orth. lib. IV. cap. XV. τίκτει ἡ χάρις (τοῦτο γὰρ ἡ Ἄννα ἑρμηνεύεται) τὴν κυρίαν· τοῦτο γὰρ τῆς Μαρίας σημαίνει τὸ ὄνομα. *Parit gratia (hoc enim Anna significat) Dominam. Hoc enim Mariae nomen significat*. Theophylactus in Luc. I. Μαριὰμ ἑρμηνεύεται κυρία. *Maria significat Dominam*. Et in Glossario Alberti pag. 430. Μαρία· κυριεύουσα. Ac si Μαρία responderet syriaco nomini quod *Domina* redditur. Huc etiam illorum referri coniectura potest, qui מרים deducunt a רום *exaltari*, *eminere*, *altum esse*, ו in ׳ mobile transeunte, et praemisso מ heemantico, ut Mariae appellatio denotet *excelsam*, *sublimem*, *eminentem*.

6) L. c. Lect. III. pag. 455. col. 1. F. et col. 2. A-F.

7) Esther. XV.

8) De sanct. Serm. XXXV.

9) Ps. CXII.

manibus Dominae suae semper debent esse, quia oculi Ecclesiae, oculi omnium nostrum ad manus Mariae semper debent respicere, ut per manus eius aliquid boni accipiamus, et per manus eius quidquid boni agimus Domino offeramus. Per manus enim huius Dominae habemus quidquid boni possidemus, testante [1]) beato Bernardo qui ait: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus non transiret.* Per manus quoque huius Dominae offerre Deo debemus quidquid boni egerimus, quemadmodum [2]) beatus Bernardus hortatur dicens: *Modicum illud quod offerre desideras, gratissimis illis et omni acceptione dignissimis Mariae manibus tradere cura, si non vis sustinere repulsam.* Bene nobis quod talem Dominam habemus quae manus tam liberales habet ad nos, et tam praepotens est apud Filium super nos, ut securi ad ipsam confugere possimus omnes nos. Unde devotissimus Anselmus ait: *Domina magna, cui gratias agit concio laeta iustorum, ad quam territa fugit turba reorum; ad te, praepotens et misericors Domina, ego peccator anxius confugio.* Tertio considera quomodo Maria est Domina daemonum in inferno, tam potenter eis dominans etiam ut de ipsa accipi possit illud [3]) psalmi: *virgam virtutis tuae emittet Dominus.* Virga virtutis est virgo Maria. Ipsa est virga Aaron florida per virginitatem, et fructifera per fecunditatem. Ipsa quoque est virga de qua dicitur [4]) in Isaia: *egredietur virga de radice Iesse.* Haec virga virgo Maria. Virga virtutis est contra inimicos infernales quibus magna virtute dominatur; et ideo Domina tam magna tam magnae virtutis merito a nobis amatur, merito a nobis laudatur, et merito a nobis exoratur, ut nos contra inimicos istos tueatur. Exemplum dat nobis Anselmus, qui tantam Dominam alloquens ait: *Te, Domina magna et valde magna, te vult cor meum amare, te cupit os meum laudare, te desiderat venerari mens mea, te affectat exorare anima mea, quia tuitioni tuae se commendat tota substantia mea.* »

872. Quibus alia nobis in mentem revocantur hisce cognata, quaeque quum ad Deum proprie spectent, pietate maiorum ad Deiparam traducta novimus. Sunt autem [5]) haec quibus psalmographus Deo gratias agit: *deduxisti me, quia factus es spes mea, turris for-*

1) Serm. III. in Vig. nat. Domini.
2) Serm. in nat. b. Mariae de Aquae ductu.
3) Ps. CIX.
4) Is. XI.
5) Ps. LX. 4.

Digitized by Google

titudinis a facie inimici. Propemodum diceret, *deduxisti me in rupem inaccessam, quia fuisti is in quem ego sperarem, et fuisti mihi velut turris fortissima et munitissima, quo ego confugerem a praesentia inimici me persequentis.* Iamvero [a]) in Graecorum Menaeis Deipara his verbis, duce Theophane, exoratur: « Turris esto mihi salutaris, o innocens, quae prohibeat phalangum diabolicarum accessum, unaque periculorum ac tentationum turbas profliget, pravarum quoque cupiditatum insultus excutiat, et denique procul abigat maledictionem hisce malis adnexam: contra vero libertatem conferat et charismatum divinorum abundantiam. » Ephraemus [b]) autem sic habet: « Sana contritiones animarum et corporum nostrorum, visibiles atque invisibiles hostes disperge, turris fortitudinis, armatura bellica, acies robusta, et dux et propugnatrix invicta esto nobis indignis a facie inimicorum nostrorum. Ostende in nobis misericordias tuas antiquas et mirabilia hodie: ostende et te posse omnia, et omnia efficere potentem esse quaecumque vis in caelo et in terra. » Quibus haec [1]) ex Mozarabum missali splendide suffragantur: « Sicut turris David aedificata es, et reprehensio non est in te. Quam speciosa et decora facta es in ornamento tuo, et odor unguentorum tuorum sicut odor Libani super omnia aromata. »

873. Duplici Virginis ornamento, cuius meminimus, tertium accedit quod illi tum adscribitur, quum usurpata de Hierusalem verba ad ipsam referuntur. Verba porro de quibus loquimur, haec [2])

a) Men. die XX. Ianuarii Ode θ'. pag. 159. col. 2. C. *Σωτήριος γενοῦ μοι πύργος, ἁγνή, τῶν δαιμόνων ἀπείργων τὰς φάλαγγας, καὶ πειρασμῶν ὄχλον καὶ κινδύνων ἀποσοβῶν, καὶ τῶν παθῶν τὴν ἔφοδον πόῤῥω ἀπελαύνων καὶ καθαρὰν διδοὺς ἐλευθερίαν καὶ θείων χαρισμάτων τὴν ἀφθονίαν παρεχόμενος.*

b) Orat. ad Deiparam, pag. 551. D-F. opp. graec. T. III. *Ἴασαι τὰ συντρίμματα τῶν ψυχῶν καὶ τῶν σωμάτων ἡμῶν· τοὺς ὁρατοὺς καὶ ἀοράτους πολεμίους κατάλυσον· πύργος ἰσχύος, ὅπλα πολεμικά, παράταξις ἰσχυρά, καὶ στρατηγὸς καὶ πρόμαχος ἄμαχος γενοῦ τοῖς ἀναξίοις ἡμῖν ἀπὸ προσώπου τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν· δεῖξον ἐν ἡμῖν τὰ ἀρχαῖά σου ἐλέη καὶ τὰ θαυμάσια σήμερον· δεῖξον καὶ δύνασαι πάντα καὶ ἰσχύεις ἐνεργεῖν ὅσα καὶ βούλει ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς.*

1) Miss. mozarab. pag. 362. T. II.

2) Ps. XLVII. 9. כַּאֲשֶׁר שָׁמַעְנוּ כֵּן רָאִינוּ בְּעִיר־יְהוָֹה צְבָאוֹת בְּעִיר אֱלֹהֵינוּ יְכוֹנְנֶהָ עַד־עוֹלָם׃

Quemadmodum audivimus, ita vidimus atque experti reipsa sumus *in civitate Dei exercituum, in civitate Dei nostri; stabiliet eam* urbem *in sempiternum*, neque illa sibi ab hostili impetu timebit.

sunt: *sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in aeternum.* Idest, sicut audivimus protectorem fore Deum urbis huius, ita reipsa vidimus divinum numen adfuisse huic civitati Domini exercituum, huic civitati Dei nostri, quam Deus ita stabilem fundavit ut contra hostiles impetus in aeternum immota duret. Sed constat ne haec ad Virginem fuisse relata? Omnium nomine audiatur [a]) Modestus hierosolymitanus qui illam celebrans ait: « Ave mortalium Domina, sanctissima Deipara, ex qua qui super omnia est Deus et clementissimus Domiuus noster, particeps totius, excepto peccato, mortalis naturae nostrae, processit in mundum, nosque dignos effecit qui essemus [1]) divinae eius naturae consortes; qui ea te donavit gratia ut sua esses civitas intelligibilis, teque vocavit [2]) Dominus virtutum in civitatem suam. »

874. Pulcre huic imagini ea respondet, qua Virgo uti *caelum* depingitur *verbo Dei firmatum,* eiusque puritas atque sanctitas puritati et sanctitati angelicae anteponitur. Itaque [3]) Sophronius senior de Virgine loquens principii loco statuit: « Omnis splendor et gloria quanto illustratur fulgore suo sublimius, tanto apparet praestantior claritate quorumlibet subiectorum et eximior praedicatur. » Tum inferendo [4]) colligit: « Sic et beata Dei genitrix, cuius plantatio ac si rosae in Iericho, specialius refulsit, et candor virginitatis splendidius emicuit, cum circumdata officio caritatis submittitur illi sanctorum claritas, ut eius amplius splendor et gloria commendetur, quae super angelorum choros elevata, iam beata praedicatur, et iam beatissima. Nam angelorum quamvis celsior natura sit, non tamen gratia maior, quia et ipsi gratuita gratia ne corruerent sunt salvati. Unde [5]) David: *verbo Domini,* inquit, *caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quod si spiritu oris eius omnis vir-

a) Encom. in Deiparam, pag. 47. *Χαίροις μερόπων δέσποινα, παναγία Θεοτόκε, ἐξ ἧς ὁ τοῦ παντὸς ὑπέρθεος Θεὸς καὶ ὑπεράγαθος ἡμῶν δεσπότης, κοινωνήσας τῆς τῶν βροτῶν ἡμῶν φύσεως κατὰ πάντα χωρὶς ἁμαρτίας, προῆλθεν ἐν κόσμῳ, καταξιώσας καὶ ἡμᾶς κοινωνοὺς γενέσθαι τῆς θείας αὐτοῦ φύσεως· ὁ χαριτώσας σε εἶναι νοητὴν αὐτοῦ πόλιν, καὶ προσκαλεσάμενός σε κύριος τῶν δυνάμεων ἐν τῇ πόλει αὐτοῦ.*

1) II. Petr. I. 4.

2) Ps. XLVII. 9.

3) Ad Paulam et Eustochium de Virginis assumpt. c. XVI. p. 105. F. Inter opp. Hieronymi T. XI.

4) Ibidem cap. XVI. pag. 106. A-E.

5) Ps. XXXIII. 6.

Digitized by Google

tus eorum subsistit, constat beatam et gloriosam virginem Mariam, in quam supervenit Spiritus sanctus, et Deus totus illapsus portatur novem mensibus in utero, ut credendum est, ampliora promeruisse virtutum privilegia, et percepisse gratiam ab angelis etiam collaudatam. Unde etsi mirabilis est eorum virtus et firmitas perpetuitatis, mirabilior tamen in Maria quam obumbravit virtus Altissimi, ut ultra omnem virtutem sit angelicam quod factum est in ea, et admirabile cunctis seculis sacramentum. Ac per hoc etiam angelis exinde maior praestatur gratia, quum instaurantur ab ea omnia quae venerantur et adorant super se Christum regem Dominum natum ex eadem Virgine. Hinc et Maria cunctis tanto venerabilior quanto gratiosior, et quanto virtute Altissimi extollitur ad sublimia, tanto clarior resultat in gloria. Plena siquidem gratia, plena Deo, plena virtutibus non potest non possidere plene gloriam claritatis aeternae, quam plenissime accepit ut mater fieret Salvatoris. *Quem viderunt omnes filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt, ac reginae laudaverunt eam.* Quoniam tantam eam viderunt, quantam nullus narrando explevit mortalium: quanto magis Deum qui talem ac tantam fecit eam, ut ipse fieret per eam. »

875. Quare videri mirum non debet si quae subdimus, quaeque [1]) ad extollendam Dei gloriam in primis pertinent: *quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in caelo et in terra?* ita ad Virginem accommodata legantur, ut ipsa sit sublimis atque excelsus ille locus quem sibi Deus ad inhabitandum prae omnibus selegit. Cuius quidem accommodationis auctor est locuples [a]) Philo carpasius, qui citatis [2]) verbis, *sapientia aedificavit sibi domum,* pergit: « Haec domus in excelso aedificata est in Filio, secundum eum qui dicit, *qui in altis habitat et humilia respicit.* Visne tu omnem cognoscere altitudinem? Aspice non solum in

a) Enarrat. in Cant. cantic. IV. 4. pag. 746. A. apud Gallandium T. IX. Οὗτος ὁ οἶκος ἐν ὑψηλῷ ᾠκοδομήθη ἐν τῷ υἱῷ κατὰ τὸν λέγοντα· ὁ ἐν ὑψηλοῖς κατοικῶν, καὶ ταπεινὰ ἐφορῶν· θέλεις δὲ γνῶναι τὸ ὕψος ὅλον; ἴδε οὐ μόνην ἐν τῇ θεοτόκῳ Μαρίᾳ οἰκοδομὴν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐπέκεινα τῶν οὐρανῶν, καὶ τοῦ ἐν δεξιᾷ θρόνου καταπλάγηθι τὸ ὕψος.

1) Ps. CXII. 5-6. Ubi inciso, *qui in altis habitat*, haec in textu respondent, הַמַּגְבִּיהִי לָשָׁבֶת, *qui exaltavit se ad sedendum*, seque in tam sublimem extulit locum in quo habitet, et e quo regnet.

2) Prov. IX. 1.

Dei genitrice Maria aedificium Filii hominis, sed illud etiam quod ultra caelos est, et throni in dextera positi cum stupore demirare altitudinem. »

876. Tanta quum sit Virginis *altitudo* ut ex altitudine Unigeniti aestimari propemodum debeat, visum est maioribus nostris nunc quidem ad ipsam ea referre quibus [1]) Deus sistitur *amictus lumine sicut vestimento,* nunc vero eum ipsi nitorem tribuere qui lumen quo Deus amicitur, quam proxime repraesentet. Et de posteriori sane capite insignia haec sunt quibus Virginem Methodius [a]) compellat: « Benedicta tu, prorsus benedicta, omnibusque desiderabilis. In benedictionibus Domini nomen tuum divina gratia plenissimum ac summe Deo gratiosum, Dei mater. Tu circumscriptio, ut ita dicam, eius qui est incircumscriptibilis: radix floris speciosissimi: vestis sine macula eius *qui induit lumen sicut vestimentum.* » Ad primum vero haec pertinent quae de Virgine [2]) Bernardus scribit: « Putas ne ipsa est sole amicta mulier? Esto; siquidem ut de praesenti Ecclesia id intelligendum propheticae visionis [3]) series ipsa demonstret; sed id plane non inconvenienter Mariae videtur attribuendum. Nimirum ea est quae velut alterum solem induit sibi. Nam et defectus omnis sub ea; et quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate prae ceteris omnibus excedit et supergreditur creaturis, ut merito sub pedibus eius luna esse dicatur. » Et aliquot [4]) interiectis: « Iam si Ecclesia, *pergit,* lunae magis intelligenda videtur vocabulo, quod videlicet non ex se splendeat, sed ab eo [5]) qui dicit, *sine me nihil potestis facere;* habes mediatricem, quam tibi paulo ante commendavimus, evidenter expressam. *Mulier,* [6]) inquit, *amicta sole, et luna sub pedibus*

a) De Symeone et Anna §. X. pag. 875. B-D. apud Gallandium T. III. Εὐλογημένη σὺ παντευλόγητε καὶ πᾶσι ποθητέ· ἐπ' εὐλογίαις κυρίου τὸ θεοχαριτώτατόν σου ὄνομα θεογεννήτορ· ἡ περιγραφή, ἵν' οὕτως εἴπω, τοῦ ἀπεριγράπτου· ἡ ῥίζα τοῦ ὡραιοτάτου ἄνθους· τὸ ἄσπιλον ἔνδυμα τοῦ ἀναβαλλομένου φῶς ὡς ἱμάτιον.

1) Ps. CIII.

2) Serm. de duodecim praerogativis b. Mariae n. 3. pag. 1013. A-C. opp. T. III.

3) Apoc. XII. 1. seqq. Hinc illa Alcuini in comm. ad Apocalypsim XII. 1. pag. 334. apud Mai Scriptt. vett. T. IX. « Et signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius. Mulier amicta sole beata virgo Maria est, obumbrata Altissimi virtute, in qua etiam genus, idest, Ecclesia intelligitur. »

4) L. c. n. 5. pagg. 1013. F. et 1014. A.

5) Ioh. XV. 5.

6) Apoc. XII. 1.

Digitized by Google

eius. Amplectamur Mariae vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam nec dimittamus donec benedixerit nobis: potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem et aream, mulier inter solem et lunam, Maria inter Christum et Ecclesiam constituta. » Quibus haec tandem [1]) subiicit: « *Mulier*, inquit, *amicta sole*. Plane amicta [2]) lumine tamquam vestimento. Quam familiaris in (Christo) facta es Domina! Quam proxima, immo quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud eum! In te manet, et tu in eo: et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suae maiestatis. Vestit solem nube, sole ipsa vestiris. Novum enim [3]) fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum, nec alium quam Christum de quo [4]) dicitur: *ecce vir, oriens nomen eius*. Novum quoque fecit in caelo, ut mulier sole appareret amicta. »

877. Quare beatissima mulier tantis aucta divinis dotibus in illius quoque consortium societatemque vocata fuit, cuius gratia de Deo [5]) dicitur: *quoniam apud te est fons vitae*. De ea namque [a]) in graecorum Menaeis canitur: « Salve verus Dei thronus et sedes regis: salve arca vitae: salve fons sanctificationis inexhaustus, receptaculum Spiritus, paradisi voluptas: salve mystica animarum oblectatio: salve beatorum laetitia: salve eorum omnium gaudium qui ad te, o Dei sponsa, confugiunt. » De ea Theodotus ancyranus, postquam [b]) scripsit, *mihique arcanum inconfusae unionis naturarum virtutis divinae schola efficitur*, continenter [c]) subdit: « Hu-

a) Men. die IV. Aprilis in vesperis, pag. 16. col. 2. D. Χαίροις ὄντως θρόνε τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ βασιλέως καθέδρα· χαῖρε ζωῆς κιβωτέ· χαῖρε ἁγιάσματος πηγὴ ἀκένωτε, μυροθήκη τοῦ πνεύματος, τρυφὴ παραδείσου· χαῖρε ἡ ἀπόλαυσις ἡ μυστικὴ τῶν ψυχῶν· χαῖρε ἡ χαρὰ τῶν ὁσίων· χαῖρε ἀγαλλίαμα πάντων τῶν σοὶ προστρεχόντων, θεονύμφευτε.

b) Orat. in Deiparam et in Symeonem §. IV. pag. 461. A. apud Gallandium Tom. IX. Καὶ τὸ ἄῤῥητον τῆς ἀσυγχύτου ἑνώσεως τῶν φύσεων, παιδευτήριόν μοι γίνεται τῆς θείας δυνάμεως.

c) Ibidem. Τοιαῦτα παράδοξα ἀεὶ ἡμῖν ἡ θεία μητροπάρθενος ἐν ἁγίαις αὐτῆς ἐπιλάμψεσι προσκομίζεται· παρ' αὐτῇ γὰρ πηγὴ ζωῆς, καὶ μαστοὶ τοῦ λογικοῦ καὶ ἀδόλου γάλακτος.

1) Ibid. n. 6. pag. 104. C-E.
2) Ps. CIII. 2.
3) Ierem. XXXI. 22.
4) Zach. VI. 12.
5) Ps. XXXV. 10. כִּי עִמְּךָ מְקוֹר חַיִּים
Nam penes te est fons vitae, et perennis bonorum omnium scaturigo atque copia.

iuscemodi nobis mirabilia suis semper sacris illucentibus fulgoribus diva Mater virgo affert. Nam [1]) apud eam est fons vitae, uberaque [2]) rationabilis lactis ac sine dolo. » Et de ea in Alcuini homiliario haec inter alia [3]) recurrunt: « Et quam magna multitudo dulcedinis Dei fuit in beata Virgine! Quid de Deo non sapiebat, in qua Sapientia Dei latebat, et in cuius utero sibi corpus aptabat? Christus est, ut ait [4]) Apostolus, Dei virtus et Dei Sapientia, et in eo [5]) sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. Christus autem in Maria. Ergo Dei virtus et Dei sapientia et omnes thesauri sapientiae et scientiae in Maria. Haec non tantum [6]) ad pedes, sed etiam ad caput Domini sedens audiebat verbum ex ore eius. Nemo umquam sicut ista [7]) gustavit quam suavis est Dominus. Inebriabatur [8]) ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis eius potabatur. Nec mirum, quoniam apud eam [9]), immo intra eam erat fons vitae, de quo manabat tanta perfectio utriusque vitae. »

878. Hinc quod psalmographus inter eximias Dei laudes [10]) connumerat inquiens, *quoniam quis in nubibus aequabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* non omnino a Virgine alienum veteres scriptores existimarunt. E quibus Amedeus lausannensis descripta primum illius excellentia [11]), e vestigio subdit: « Quis ergo non properaret, quis non curreret ab extremis terrae, reverendae maiestatis decus aspicere, et vultum omnimoda suavitate, imperiali etiam dignitate et singulari praeditum potestate videre? Quippe nihil inveniebatur illi simile in filiis et filiabus Adae. Nihil tale in prophetis, in apostolis aut in evangelistis. Nihil illi simile caelum vel terra dedere. Quis enim [12]) in nubibus aequaretur ei, aut similis foret matri Domini inter filios Dei? »

879. Nemo plane, adeo ut [13]) verba, *quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti,* de Deipara inprimis deque ipso eiusdem conceptu intelligi debeant. Quod ne affirmatum

1) Ps. XXXV. 10.
2) 1. Petr. II. 2.
3) Homil. in Deiparae assumpt. pag. 891. col. 2. C-E.
4) I. Cor. I. 24.
5) Coloss. II. 3.
6) Luc. X. 39.
7) Ps. XXXIII. 9.
8) Ps. XXXV. 9.
9) Ps. XXXV. 10.
10) Ps. LXXXVIII. 7. Ubi *in nubibus* idem valet ac *in universo caelorum exercitu; Filii* autem *Dei*, בִּבְנֵי אֵלִים, auctore Chaldaeo, sunt *turbae* מַלְאֲכַיָּא Angelorum.
11) Hom. VII. de Virginis laudibus, pag. 1275. col. 1. B-C. in max. pp. Biblioth. T. XX.
12) Ps. LXXXVII. 7.
13) Ps. CIII. 24.

a nobis inconsulto videatur, ca referemus quac [a]) Petrus Argorum episcopus conceptionem celebrans beatae Annae his omnino verbis complectitur: « Exsultemus itaque et in psalmis omnes iubilemus videntes, quod naturae nostrae nobilitas in Annae utero gigni coepit. Plaudamus manibus, spiritalesque choreas instituamus festive illius conceptionem celebrantes, quae nobis omnis laetitiae auctrix et ineffabilis gaudii conciliatrix exsistet. Cantemus concorditer Deo nostro, cantemus ut qui cx Anna et Ioachim ditati sumus immaculata penitus Domina et Virginc, quae nobis in peccati servitute detentis libertatem comparabit. Itaque et nos tamquam attoniti una cum divino Davide dicamus: *quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti.* Quis enim ipsius potentias loqui poterit? Cuius vero cordis amplitudo ipsius iudiciorum, quae investigari nequeunt, abyssum metietur? Qui in Dci indignationem incurrimus, a condemnatione absolvimur. Qui malorum caussae et origini daemoni seducti obtemperavimus, quum ipse serpentis specie hortaretur, a Domino nostro creatore suscipimur. Qui sponte a nostra cervice ipsius iugum excussimus, et in hostis infensi potestatem concessimus, rursus ipsius suavi iugo ob misericordiae viscera subiicimur. Qui intolerando peccatorum pondere nosmetipsos oneravimus, ad requiem revocati iam sumus. Horum porro bonorum omnium, sed et cetcrorum principium atquc origo praesenti

a) **Orat. in s. Annae concept.** Ἀγαλλιασώμεθα τοίνυν καὶ ψαλμικῶς ἀλαλάξωμεν ἅπαντες ὁρῶντες τὴν τῆς ἡμετέρας εὐγένειαν φύσεως ἀρχομένην ἐν τῇ γαστρὶ τῆς Ἄννης φυτεύεσθαι· κροτήσωμεν χεῖρας καὶ πνευματικοὺς χοροὺς συστησώμεθα τῆς αἰτίας ἡμῖν εὐφροσύνης ἁπάσης, καὶ χαρᾶς ἀνεκλαλήτου προξένου γενησομένης ἑορτάζοντες σύλληψιν· ᾄσωμεν συμφώνως τῷ Θεῷ ἡμῶν, ᾄσωμεν ὡς τὴν τῆς ἡμετέρας πρόξενον ἐλευθερίας τῶν καταδουλωθέντων τῇ ἁμαρτίᾳ παρθένον διὰ τῆς Ἄννης καὶ τοῦ Ἰωακεὶμ πλουτοῦντες πανάμωμον δέσποιναν· εἴπωμεν οὖν καὶ ἡμεῖς ὡς ἐν ἐκπλήξει μετὰ τοῦ θείου Δαβίδ· ὡς ἐμεγαλύνθη τὰ ἔργα σου, κύριε, πάντα ἐν σοφίᾳ ἐποίησας· τίς γὰρ αὐτοῦ δυναστείας λαλῆσαι δυνήσεται; ποίας δὲ καὶ καρδίας πλάτος τῶν ἀνεξιχνιάστων αὐτοῦ κριμάτων ἀναμετρῆσαι τὴν ἄβυσσον; οἱ προσκεκρουκότες τῆς καταδίκης, ἀπολούμεθα· οἱ τῷ ἀρχεκάκῳ δαίμονι πεισθέντες διὰ τοῦ ὄφεως συμβουλεύοντι, παρὰ τοῦ πλάσαντος ἡμᾶς δεσπότου, καὶ παρακουσθέντες προσλαμβανόμεθα· οἱ ἑκοντὶ τοῦ ἡμετέρου τραχήλου τὸν αὐτοῦ ζυγὸν ἀποῤῥίψαντες πρὸς τὸν χρηστὸν ἐκείνου πάλιν διὰ σπλάγχνα ἐλέους ὑποβαλλόμεθα· οἱ τὰ δύσοιστα τῶν ἁμαρτάδων φορτία ἑαυτοὺς ἐπιφορτίσαντες, πρὸς τὴν ἀνάπαυσιν προσκεκλήμεθα· τούτων ἁπάντων ἀρχὴ καὶ αἰτία ἡ παροῦσα καθέστηκεν ἑορτή, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων καθάπερ τις ἡλίου ἑωσφόρος προανατέλλουσα, καὶ δι' ἑαυτῆς ἁπάσας μηνύουσα.

Digitized by Google

continetur festivitate, quae tamquam aurora solis ortum praeveniens, omnes seipsa lucis splendores praenuntiat. »

880. Huc itaque redit illorum summa, quae ex fide maiorum [1]) Scripturas ad Virginem accommodantium de ipsa statui, deque ipsa teneri firmissime debent. Teneri namque I. debet, *Virginem esse eam virtutis virgam quam emisit Dominus ut hostes contereret, atque in ipsorum medio veluti regina caelestium, terrestrium et infernorum invicta dominaretur.* Teneri debet II. *Virginem esse turrim contra inimicos salutarem, propugnatricem insuperabilem, quaeque in caelo et in terra nihil pro voluntate non potest.* Teneri debet III. *Virginem esse intelligibilem Dei nostri civitatem tanta ab eo stabilitate fundatam, ut directi adversus ipsam hostium impetus inanes fuerint atque in irritum cesserint.* Teneri debet IV. *spectari Virginem oportere tamquam caelum Verbo Domini firmatum, angelis quidem natura inferiorem sed gratia excellentiorem, tum quod eadem fuerit praeservata gratia quae illos exemit a lapsu, tum quod pleniori gratiae ubertate ditata fuerit*, *utpote quae Dei mater esset ex-*

1) Quibus e re fuerit haec adiecisse quae penes Hildephonsum toletanum *(de perpetua virginitate sanctae Mariae cap. IV. pagg.* 119-120. *in collect. pp. tolet. T. I.)* Iudaeos alloquentem legimus: « Sit rogo iam, sit rogo, Iudaee, gratissimum tibi tantae Virginis decus in tua cognatione repertum. Sit amabile tantae gloriae Virginem in tuo genere invenisse. Sit laetum in tua tradnce tantae pudicitiae visum insigne. Sit iucundum in stirpe tantumdem tuo patefactum tale miraculum. Ecce impleta est omnis terra per hanc Virginem gloria Dei. Cognoverunt omnes a parvo usque ad magnum per hanc Virginem Deum vivum. Viderunt omnes per hanc Virginem salutare Dei. Rememorati sunt et conversi per hanc Virginem ad Dominum universi fines terrae: Adorant *(Ps. XCVII.)* in conspectu filii eius omnes patriae gentium: ipsius est filii *(Ps. XXI.)* regnum, et ipse Deus dominabitur gentium. Cantant omnes ipsi Domino filio eius redemptionis suae canticum novum, quia nascendo de hac Virgine magnalia fecit. Notum fecit Dominus per hanc Virginem salutare suum, et ante conspectum nostrum revelavit hanc iustitiam suam. Invenerunt per hanc Virginem Deum, qui eum per observantiam legis invenire non potuerunt. Venit per hanc Virginem Deus, et congregatis gentibus et linguis, venimus et vidimus gloriam eius quasi gloriam Unigeniti a Patre. » Tum haec, quibus eam gloria filii gloriam matris Hildephonsus componens *(Ibid. cap. III. pag.* 119. *Consentiunt autem Isidorus hispalensis con. Iudaeos lib. I. cap. X.* n. 6. *pag.* 25. *opp. T. VI., et Erembertus* in *Ps. LXVI. pag.* 352. *apud Mai Scripil Vett. T. IX.)* ait: « Cuius ergo tantae gloriae et dignitatis est filius, ut sit in assumpto homine Deus? Audi quantae gloriae et nobilitatis est genitrix eius. Haec in Esaia *(cap. XI.)* virga exiet ex radice Iesse, idest, de genere eius exorta: virga quae florem hunc Christum produxit. Item in Esaia *(cap. XLV.)* haec sola terra fide aperta non corruptione germinare potuit Salvatorem, rorantibus caelis et nubibus pluentibus iustum, idest, prophetis praenunciantibus eius adventum. Haec in Ezechiele *(cap. XLIV.)* domus Dei est, cuius pudoris integerrima claustra. Haec Virgo in psalmo *(XVIII.)* thalamus Dei est, quia de utero eius iste incarnatus Deus processit velut sponsus. Item in psalmis *(LXXXIV.)* haec terra est, de qua veritas oritur: quae veritas Christus eadem est, et quae de caelo prospexit iustitia eius. Item in psalmis *(LXVI.)*, haec terra fructum suum dedit, idest, Christum nostrum genuit, in quo et benedixit nobis. » Atque haec rursum, quae eidem Hildephonso vel paris antiquitatis scriptori *(Serm. I. de Assumpt. pag.* 335. *et Serm. VII. pag.* 370. *in collect. pp. tolet. T. I.)* debentur: « Ipsa est virga de radice Iesse, de cuius nimirum rursus radice flos ascendit Christus. Ipsa est Virgo clarissima, cui Deus Pater olim *(Ps. XXXI.)* in spiritu: *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ecce ad quam concurrunt omnia eloquia prophetarum, ad quam omnia aenigmata concurrunt scripturarum: de qua natus est Christus, Deus et homo. Unde et filia Ierusalem esse iure *(Ps. LXXXVI.)* canitur, licet natus sit ex ea, qui eam olim fundavit Altissimus. »

Digitized by Google

stitura. Teneri debet V. *tantam esse Mariae altitudinem, quanta competit eximio illi loco quem incolit Deus qui in altis habitat, et quanta illi competit quae arctissimo matris vinculo cum Dei filio copulatur.* Teneri debet VI. *Virginem esse mulierem sole amictam, nulla scilicet umquam corruptela infectam, vestemque immaculatam eius qui induit lumen sicut vestimentum.* Teneri debet VII. *in Virginem non secus ac in augusta quadam arca thesauros omnes scientiae sapientiaeque divinae contineri, ipsamque esse tam vitae quam sanctificationis in nos redundantis purissimum fontem.* Teneri debet VIII. *nihil esse in caelis, nihil in terra quod Virgini sit simile, quodque cum ipsa sive amplitudine gratiae sive gloriae iubare componi queat.* Teneri postremo IX. debet, *Virginem fuisse conceptam ut naturae nostrae nobilitatem, ut Dominam penitus immaculatam, ut magnificum Dei opus, de quo omnes iure exsultemus et in psalmis uno ore iubilemus.* Nulla porro est ex hisce imaginibus, et nulla ex hisce maiorum sententiis, quae vel omnem a Virginis conceptu labem non amoveat, vel originalem eiusdem nitorem non liquido patefaciat. Quapropter hoc unum reliquum est, ut cum Coptorum [a]) ecclesia his eam verbis salutemus: « Ave gratia plena, Virgo immaculata, tabernaculum non manufactum, veritatisque thesaurus. »

a) Theotoch. pag. 136. tetrast. VII.
Ⲭⲉⲣⲉ ⲑⲏ ⲉⲑⲙⲉϩ ⲛ̀ϩⲙⲟⲧ, ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ ⲛ̀ⲁⲧⲑⲱⲗⲉⲃ, ϯⲥⲕⲏⲛⲏ ⲛ̀ⲁⲧⲙⲟⲛⲕ ⲛ̀ϫⲓϫ, ⲡⲓⲁϩⲟ ⲛ̀ⲧⲉ ϯⲙⲉⲑⲙⲏⲓ ⳾

SECTIO QUINTA

SCRIPTURARUM DE VIRGINE TESTIMONIA

Enarrato discrimine inter eum sensum quem explicitum quemque virtualem appellant, de iis agitur Scripturarum utriusque foederis testimoniis, quae quum ad Virginem proprie spectent, immaculatam quoque ipsius originem patefaciunt. Recensentur accurate, atque ita ad normam legitimae interpretationis exponuntur, ut quid sive cum singulis sive cum universis iunctum consertumque sit colligatur.

881. Si suffragio atque auctoritate maiorum haec dirimi controversia debeat, *utrum in divinis utriusque foederis libris effata legantur quae ad Virginem spectent, quaeque singulares illius dotes eximiasque praerogativas contineant,* non alia esse responsio potest nisi qua id extra omnem situm dubitationis aleam affirmetur. Sicut enim plurima suppetunt [1]) eorumdem testimonia, quibus Deiparam in divinis libris praenunciatam docent; ita plurima suppetunt [2]) oracula quae ipsi ad Virginem referunt, deque Virgine eiusque ornamentis interpretantur. Quae sane, uti par est, diligenter ostenderem, nisi ex utraque superiori sectione abunde paterent. Quare multo fore arbitror opportunius et ad praesentem caussam accommodatius, hac seposita universali quaestione ad specialem singularemque descendere ac propius investigare non illud quidem, *utrum in Scripturis effata habeantur quae transferri ad Virginem non inscite possint,* sed illud potius, *utrum in iisdem ea occurrant, quae ad statas ratasque interpretandi leges exacta, de Virgine eiusque integerrima puritate cuiusvis semper labis experte accipi debeant.*

882. Ut vero haec ipsa quaestio ea ratione expediatur quae votis respondeat, nihilque merito desiderandum relinquat, iuverit animo reputasse non illa modo quae in Scripturis *κατὰ λέξιν* atque *totidem verbis* traduntur, verum etiam illa quae traduntur *κατὰ διάνοιαν*, quaeque cum Scripturae verbis intime cohaerent atque ex iisdem accu-

1) nn. 454. seqq. His autem adde quae Engelbertus abbas admonteusis scribit in tract. de gratiis et virtutibus beatae Mariae, par. IV. cap. I. pagg. 697-700. apud Pezium in Thesauro Anecdot. noviss. T. I.

2) nn. 596. sqq.

Digitized by Google

rata notionum idearumque analysi defluunt, pro certis divinisque oraculis sumi oportere. Sane nemo inficias ire ausit, id omne certis divinisque oraculis iure optimo connumerari, quod princeps Scripturarum auctor Deus significavit. Significavit autem non ea solum quae αὐτολέξει, disertisque verbis expressit, sed illa etiam quae cum disertis verbis immediate penitusque cohaerent, quaeque disertis contenta verbis nuda sinceraque analysi deprehenduntur.

883. Quod quidem verissimum esse, non pauca sunt quae egregie demonstrant. Atque principio demonstrat ipsa humani sermonis ratio, cui nativum hoc est ut id omne expressum censeatur quod cum notione subiecta vocabulis iunctum est atque in ea inclusum comprehensumque reperitur. Demonstrant Christi et apostolorum exempla, e quibus ad evidentiam usque liquet solemne ipsis fuisse summi ponderis veritates ex iis stabilire, quae oracula veteris testamenti nonnisi virtute complectebantur. Speciminis loco ista sint, quibus [1]) Christus ad incitas sadducaeos redegit et fidem de resurrectione mortuorum comprobavit inquiens: « De resurrectione mortuorum non legistis quod dictum est [2]) a Deo dicente vobis, *ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob?* Non est Deus mortuorum sed viventium. » Demonstrant oecumenicae synodi quae celebriores dogmatum formulas ex iis sapienter derivarunt, quae quum in Scripturis totidem concepta verbis nuspiam exstent, in eisdem tamen virtute reperiuntur. Atque huc omnino pertinet nicaena formula, qua Filius Patri ὁμοούσιος *consubstantialis* definitur: huc formula ephesina qua coniunctio Unigeniti cum humana natura ἕνωσις καθ' ὑπόστασιν *unitio secundum hypostasim* declaratur: huc formula concilii constantinopolitani III. qua Christo duae voluntates duaeque naturales operationes asseruntur: huc formula florentina qua Spiritus sanctus ex Patre et ex Filio, tamquam ex unico principio aeternaliter procedere proclamatur: atque huc formula tridentina qua eucharistica transubstantiatio fidei capitibus accensetur. Demonstrant susceptae ab orthodoxis patribus adversus haereticos concertationes. Concertatio Athanasii contra arianos quorum haec verba [a]) refert: « Sed

a) De Synodis arimin. et seleuc. n. 36. pag. 751. E-F. Ἀλλ' οὐ γέγραπται ταῦτα, φασὶν, καὶ ὡς ἀγράφους τὰς φωνὰς ἐκβάλλομεν.

1) Matth. XXII. 31-32. 2) Ex. III. 6-16.

faciunt, haec scripta non sunt, vocesque illas quod in Scripturis non habeantur, reiicimus. » Quibus e vestigio [a]) subdit: « Sed hanc illi cavillationem impudentissime proferunt. » Concertatio Augustini cum Maximino arianorum episcopo, qui axiomatis loco [1]) praestruebat: « Si aliquid rationabile dixeris, necesse est ut sequar. Si quid enim de divinis scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est ut audiamus: eae vero voces quae extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur: praeterea cum ipse Dominus [2]) moneat nos et dicat, *sine causa colunt me, docentes mandata et praecepta hominum.* » Concertatio Epiphanii cum Semiarianis, e quorum fidei expositione in conciliabulo seleuciensi edita primum ista [b]) refert: « Omni studio ac moderatione in id incubuimus, ut pacem ecclesiae sanciremus, et constantem solidamque fidei regulam constitueremus, pro eo ac Dei amantissimus imperator noster Constantius iussit, ex prophetarum oraculis; sic ut nihil praeter sacrarum litterarum auctoritatem in ecclesiasticam fidem inveheremus. » Tum [c]) haec: « Quum hactenus homoousii et homoeousii vocabula plerosque ad hodiernum tempus usque perturbarint, et a nonnullis etiamnum innovari istud ferant, ut dissimilis Patri Filius esse dicatur; ob id homoousii vocem tamquam a sacris litteris peregrinam reiicimus, anomoeum vero condemnamus, et quicumque eiusmodi sunt, ab ecclesia alienos esse censemus. »

884. Addam postremo insignem Gregorii nazianzeni cum osoribus sancti Spiritus concertationem, e qua nonnulla pleuius referre operae pretium existimo. Sic itaque de illis [d]) scribit: « Identidem

a) Ibidem. Ἀλλὰ καὶ τοῦτο πάλιν πρόφασίς ἐστιν αὐτοῖς ἀναίσχυντος.

b) Haeres. LXXIII. §. XXV. pag. 872. C-D. Πᾶσαν σπουδὴν εἰσηνεγκάμεθα μετὰ πάσης εὐταξίας τὴν εἰρήνην τῇ ἐκκλησίᾳ διαφυλάξαι, καὶ τὰ τῆς πίστεως εὐσταθῶς διαλαβεῖν, ὡς προσέταξεν ὁ θεοφιλέστατος βασιλεὺς ἡμῶν Κωνστάντιος, κατὰ τὰς προφητικὰς φωνὰς, καὶ μηδὲν παρὰ τὰς θείας γραφὰς παρεισενέγκαι τῇ ἐκκλησιαστικῇ πίστει.

c) Ibid. §. XXV. pag. 873. A-C. Ἐπειδὴ πολλοὺς ἐθορύβησε τὸ ὁμοούσιον καὶ τὸ ὁμοιούσιον ἐν τοῖς παρελθοῦσι χρόνοις καὶ μέχρι νῦν, ἀλλὰ καὶ ἕως ἄρτι λέγεται καινοτομεῖσθαι ὑπό τινων τὸ ἀνόμοιον υἱοῦ πρὸς πατέρα· τούτου χάριν τὸ ὁμοούσιον ὡς ἀλλότριον τῶν γραφῶν ἐκβάλλομεν, τὸ δὲ ἀνόμοιον ἀναθεματίζομεν, καὶ πάντας, ὅσοι τοιοῦτοι τυγχάνουσιν, ἀλλοτρίους ἡγούμεθα τῆς ἐκκλησίας.

d) Orat. XXXI. al. XXXVII. et Theologic. V. de Spiritu sancto §. XXI. pag. 509. C. Πάλιν καὶ πολλάκις ἀνακυκλεῖς ἡμῖν τὸ ἄγραφον.

1) Collat. cum Maximino n. 1. pag. 459. C. 2) Matth. XV. 9.

Digitized by Google

saepiusque nobis inculcas, Spiritus sancti divinitatem nullo Scripturae loco proditam haberi. » Hoc ut refutet, de scripturarum more atque usu loquens [a]) ait: « Rerum ergo aliae non sunt, sed dicuntur: aliae cum sint, minime dicuntur: aliae nec sunt, nec dicuntur: aliae denique et sunt, et dicuntur. Horum probationes a me exposcis? Impigre exhibebo. » Et probatione eorum exhibita, quae ad primum spectant rerum genus, de altero [b]) subdit: « Rursum undenam tu arces illas tuas *ingenitum* aut *anarchum* accepisti, aut nos etiam *immortalis* vocem? Haec nominatim et expresse ostende, ea vel reiiciemus quia in Scriptura non exstant, vel expungemus. Atque ita tuismet ipse principiis oppressus interibis, eversis nimirum tibi vocabulis illis perfusisque moenibus, in quibus confidebas. » Quo pacto retusa adversarii temeritate [c]) pergit: « Nonne perspicuum est, haec de iis sumpta esse ex quibus colliguntur, tametsi minime dicantur? Quibus tandem? *ego* [1]) *sum primus, et ego post haec.* Et [2]) *ante me non est alius Deus, et post me non erit.* Totum enim illud *est,* meum est, nec principium habens nec finem habiturum. His a Scriptura acceptis, illud quidem quod ante eum nihil sit, nec antiquiorem ullam ipse caussam habeat, *anarchum* et *ingenitum* appellasti: quod autem numquam esse desiturus sit, *immortale* atque interitus expers. » Post quae tandem [d]) infert: « Cum ergo in no-

a) Ibid. §. XXII. pag. 570. A. Τῶν πραγμάτων, τὰ μὲν οὐκ ἔστι, λέγεται δέ· τὰ δὲ ὄντα, οὐ λέγεται· τὰ δὲ οὔτε ἔστιν, οὔτε λέγεται· τὰ δὲ ἄμφω, καὶ ἔστι, καὶ λέγεται· τούτων ἀπαιτεῖς με τὰς ἀποδείξεις; παρασχεῖν ἕτοιμος.

b) Ibid. §. XXIII. pag. 570. D. Πάλιν σὺ πόθεν τὸ ἀγέννητον λαβὼν ἔχεις, ἢ τὸ ἄναρχον, τὰς σὰς ἀκροπόλεις, ἢ καὶ ἡμεῖς, τὸ ἀθάνατον; δεῖξον ταῦτα ὀνομαστὶ, ἢ ἀθετήσομεν, ἐπειδὴ οὐ γέγραπται, ἢ διαγράψομεν· καὶ τέθνηκας ἐκ τῶν σῶν ὑποθέσεων, καθαιρεθέντων σοι τῶν ὀνομάτων, καὶ τοῦ τείχους τῆς καταφυγῆς ἐφ᾽ ᾧ ἐπεποίθεις.

c) Ibid. §. XXIII. pagg. 570. D-E. et 571. A. Ἢ δῆλον, ὅτι ἐκ τῶν ταῦτα συναγόντων, κἂν μὴ ταῦτα λέγηται; τίνων τούτων; ἐγώ εἰμι πρῶτος, καὶ ἐγὼ μετὰ ταῦτα, καὶ πρὸ ἐμοῦ οὐκ ἔστιν ἄλλος θεὸς, καὶ μετ᾽ ἐμὲ οὐκ ἔσται· ὅλον γὰρ τὸ ἔστιν, ἐμόν· οὔτε ἠργμένον, οὔτε παυσόμενον· ταῦτα λαβὼν, τὸ μὲν, μὴ εἶναί τι πρὸ αὐτοῦ, μηδὲ πρεσβυτέραν αἰτίαν ἔχειν, ἄναρχον προσηγόρευσας, καὶ ἀγέννητον· τὸ δὲ, μὴ στήσεσθαι τοῦ εἶναι, ἀθάνατον καὶ ἀνώλεθρον.

d) Ibid. §. XXIV. pag. 571. B-E. Τοσαύτης οὖν οὔσης διαφορᾶς ἐν τοῖς ὀνόμασι καὶ τοῖς πράγμασι, πῶς οὕτω σὺ λίαν δουλεύεις τῷ γράμματι, καὶ γίνῃ μετὰ τῆς ἰουδαϊκῆς σοφίας, καὶ συλλαβαῖς ἀκολουθεῖς, ἀφεὶς τὰ πράγματα; εἰ δέ σου τὰ δὶς πέντε λέγοντος, ἢ τὰ δὶς ἑπτὰ, τὰ δέκα συνῆγον, ἢ τέσσαρες καὶ δέκα ἐκ τῶν λεγομένων· ἢ ἐκ

1) Is. XLI. 4. 2) Is. XLIII. 10.

minibus et rebus tantum discrimen reperiatur, quid caussae est cur litterae tantopere servias, iudaicaeque sapientiae teipsum adiungas, relictisque rebus syllabas consecteris? Quod si te bis quinque, aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem; aut ex eo quod animal ratione praeditum et mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi nugari viderer? Et quo pacto id fieri posset, cum tua dicam? Neque enim verba magis sunt eius qui loquitur, quam illius qui loquendi necessitatem affert. Quemadmodum igitur heic non ea magis quae dicuntur, quam quae intelliguntur, respicerem; eodem modo nec, si quid aliud eorum quae vel nullo modo, vel certe non satis aperte dicuntur, ex Scriptura tamen intelligi colligique reperirem, adeo te vocabulorum sycophantam pertimescerem, ut ab enunciatione ipsa refugerem. »

885. Ea igitur non secus ac doctrinae capita caelitus revelata et in Scripturis *κατὰ διάνοιαν* comprehensa haberi omnino debent, quae licet totidem verbis non efferantur, cum iis tamen proxime atque necessario cohaerent quae aperte edicuntur. Praesertim quum Augustinus de inspiratis divinitus scriptoribus, et iure longe potiori de Deo inspirationis auctore verissime [1]) monuerit: « Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitavit cum ea scriberet quidquid hic veri potuimus invenire, et quidquid nos non potuimus aut nondum possumus, et tamen in eis inveniri potest. » Et [2]) rursum: « Ipsam sententiam *(quae cum Bibliorum effatis penitus cohaeret)* certe Dei Spiritus qui per eum haec operatus est *(quique per inspiratum ab ipso scriptorem Biblia edidit)*, et ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione praevidit, imo ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa, providit. » E quibus luculentissimum innotescit discrimen, quo libri humani ab inspiratis divinitus litteris longissime secernuntur. Rigidius enim quam par sit cum homine ageretur, si illi consectaria quaecumque omnia, dummodo certa atque legitima, tribuerentur, quae ex ipsius dictis sententiisque dima-

τοῦ, ζῶον λογικὸν, θνητὸν, τὸν ἄνθρωπον, ἆρα ἄν σοι ληρεῖν ἐνομίσθην; καὶ πῶς, τὰ σὰ λέγων; οὐ γὰρ τοῦ λέγοντος μᾶλλον οἱ λόγοι, ἢ τοῦ λέγειν συναναγκάζοντος· ὥσπερ οὖν ἐνταῦθα οὐκ ἂν τὰ λεγόμενα μᾶλλον ἐσκόπουν, ἢ τὰ νοούμενα· οὕτως οὐδὲ, εἴ τι ἄλλο τῶν μὴ λεγομένων, ἢ μὴ σαφῶς ἐκ τῆς γραφῆς νοούμενον εὕρισκον, ἔφυγον ἂν τὴν ἐκφώνησιν, φοβούμενός σε τὸν συκοφάντην τῶν ὀνομάτων.

1) Confess. lib. XII. cap. XXXI.

2) De Doctr. Christ. lib. III. cap. XXVII.

nant. Hominum namque nemo eo usque felix est, ut omnia mente pervideat, atque omnia idcirco probet expressaque velit, quae cum adhibitis ab ipso verbis probatisque doctrinis iunguntur. Quod autem hominibus detrahitur, Deo vicissim iure asseritur, cui nihil impervium est, nihilque ex iis non omnino compertum quae cum ipsius dictis cohaerent.

886. Ceterum in praesentia nobis sermo non est de quovis Scripturarum sensu *consequente*, licet remoto et ab eo sensu, quem *immediatum* nominant, pluribus veluti gradibus seiuncto ac diviso. Quamquam enim neque eiusmodi sensus sua careat utilitate, neque ab iis negligi debeat quibus propositum est nullam veritatis particulam praeterire; haud tamen eiusmodi videri potest qui ex sese revelatam divinitus doctrinam repraesentet. Quare sicuti de eo tantum loquimur sensu consequente qui cum sensu verborum immediato proxime vincitur, quique ex hoc nuda simplicique analysi eruitur, neque ab hoc secus differt ac *significatio ab adsignificatione* distinguatur; ita non alia expendimus Scripturarum oracula, quam quae immaculati conceptus praerogativam hac ipsa sensus ratione complectuntur.

CAPUT I.

De oraculo divino Gen. III. 15: quo illud ex catholica sententia pertineat: quid mulieris, quidve seminis ex ea orti nomine intelligatur: cuiusmodi sit inimicitia Deo auctore constituta hinc quidem inter serpentem et mulierem, inde vero inter utriusque semen: argumenta interna quae probant mulierem, idest Deiparam numquam non fuisse serpentis inimicam: argumenta externa atque e maiorum repetita commentariis quae idipsum confirmant: consectaria, atque illud inprimis originem Virginis fuisse illibatam: de postremo commatis inciso: de lectione, ipsa conteret caput tuum: *eiusdem examen: conclusio qua decus immaculati conceptus evidentius stabilitur.*

887. Numquam non obtinuit [1]) penes eos omnes qui catholicorum nomine decorantur, ne dicam [2]) penes universos omnino

1) De conspiratione catholicorum non est cur quidquam addamus, ea namque exploratissima est et nemini ignota.

2) Quod aliter Calvinus et Zuinglius senserint, in communem ceterorum protestantium reprehensionem offenderunt. Cf. Iohannis Hulsemanni *ἐπεξήγησιν* de lapsu primorum parentum, pag. 56. seqq. apud Thomam Crenium fasc. V. Exercitatt. philologic. Atque in communem pariter reprehensionem offenderunt sive sociniani, Iohannes Sommerus *in refutat. Pel. Caroli, lib. II. cap. III.* et Smalcius tum *in lib. de divinit. Iesu Christi cap. II.*, tum *in refutat.*

Digitized by Google

Christianos, Hebraeis [1]) minime diffitentibus, ut haec [a]) Geneseos verba, *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: tu insidiaberis calcaneo eius, et ipsa conteret caput tuum:* non alio quam *protoevangelii* et *oraculi oraculorum* nomine honestarentur. Neque vero est cur iis vel minimum commoveamur quae [2]) recentissimi interpretes e rationalistarum scholis profecti excogitarunt, ut ratam solemnemque expositionem suis e sedibus proturbarent. Nihil enim, quod exspectandum plane erat, in medium attulerunt quod luce dignum foret, quodque cum serie ductuque orationis, verborum proprietate atque Scripturae summa e diametro non repugnaret. Statum igitur fixumque manere debet, tertio Geneseos capite [3]) nobilissimum contineri vaticinium, eoque vindicem assertoremque promitti, quo et clades astu satanae illata sarciretur, et hominum genus ad pristinam e qua exciderat dignitatem revocatum de infensissimo hoste triumphum palmamque referret. Praeclare [b]) Irenaeus de Filio loquens: «Hic enim in agro suo

a) Gen. III. 15. וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב׃
Καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σου καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν.

b) Con. Haeres. lib. IV. cap. XL. n. 3. *Ὁ μὲν κύριος ἐν τῷ ἰδίῳ ἀγρῷ καλὸν ἔσπειρε σπέρμα· ἀγρὸς δέ ἐστιν ὁ κόσμος· ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους, ἦλθεν ὁ ἐχθρὸς, καὶ ἔσπειρε ζιζάνια μέσον τοῦ σίτου, καὶ ἀπῆλθεν· ἐκ τότε γὰρ ἀποστάτης ὁ ἄγγελος αὐτοῦ* (Int. *ἄγγελος οὗτος*) *καὶ ἐχθρὸς, ἀφ' ὅτε ἐζήλωσε τὸ πλάσμα τοῦ θεοῦ,*

Martini Smiglecii de satisfactione Christi cap. X., qui ὑποθέσει δουλεύοντες, nullam de Christo in veteri testamento promissionem ante Abrahami aetatem fuisse factam, oraculum Geneseos ad hostilia homines inter atque serpentes dissidium inepte detorquent: sive socinianorum assecise, Hugo Grotius et Iohannes Clericus, qui in comm. ad Gen. III. 15. *semen mulieris* vel ῥητῶς de omnibus universim hominibus, vel ἀλληγορικῶς de singulis ecclesiae membris exponunt: sive tandem arminiani, Simon Episcopius *institutt. theologic. lib. IV. cap. X., lib. V. cap. IV.* et Stephanus Curcellaeus *institutt. relig. christ. lib. V. cap. XXIV.*, qui licet fateantur, mulieris semine Christum humani generis assertorem designari, ipsum tamen vaticinium obscuritatis accusant.

1) Hebraeorum cum christianis consensionem, relatis eorumdem testimoniis, ostendunt Iohannes Frischmuthus et Tilemannus in dissertatt. de seductione serpentis antiqui, quibus addi debet Cornelius De Hose in diatriba de Protevangelio paradisiaco ad Gen. III. 14-15. Et sane ne alia colligam quae affatim dabunt Andreas Rivinus in dissert. de serpente seductore cap. 1., et Iacobus Gussetius cum in terniona controversiarum adversus Iudaeos, tum in confutatione libri qui debetur R. Isaac Ben Abraham, inscribiturque חזוק אמונה *munimen fidei*; auctor targum hierosolymitani et Ionathan unanimes doceat, verba Geneseos explenda esse ביומי מלכא משיחא, *in diebus regis Messiae*.

2) Dolendum est Iahn *(in Append. hermen. Fasc. II. pagg. 206-231.)* interpretem alioqui sagacem et eruditum, desertis catholicis, ad rationalistas accessisse.

3) Expendit atque egregie hoc vaticinium illustrat Sherlockius in opere inscripto, *L'usage et les fins des prophéties trad. de l'anglois T. II. Supplem. a la II. Dissert.* pagg. 318. seqq. Paris. MDCCLIV.

Digitized by Google

bonum semen seminavit. *Ager autem,* inquit, *seculum est. Quum autem dormirent homines, venit inimicus, et superseminavit zizania inter frumentum et abiit.* Ex tunc enim apostata est angelus hic et inimicus, ex quo zelavit plasma Dei, et inimicum illum Deo facere aggressus est. Quapropter et Deus cum quidem qui a semetipso zizania absconse seminavit, idest transgressionem quam ipse intulit, separavit a sua conversatione: eum autem qui negligenter quidem sed male accepit inobedientiam, hominem miseratus est, et retorsit inimicitiam per quam inimicum Deo facere voluit, in ipsum inimicitiarum auctorem: auferens quidem suam, quae erat adversus hominem, inimicitiam; retorquens autem illam, et remittens illam in serpentem. Quemadmodum et Scriptura ait dixisse serpenti Deum: *et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et inter semen mulieris. Ipse tuum calcabit caput, et tu observabis calcaneum eius.* Et inimicitiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit de muliere factus homo, et calcans eius caput, quemadmodum in eo, qui ante hunc est, libro ostendimus.» Ostenderat autem pluribus libro tertio capite vicesimotertio.

888. Cum hac autem interpretatione, quam veluti certam compertamque iure nostro sumimus, ista prae aliis devincta sunt. Et principio quidem *serpentis* nomen *symbolice* adhiberi, eoque *metonymice* diabolum exprimi, qui in serpente delituerit, illumque ad Evam decipiendam [1]) ceu istrumentum omnium opportunissimum

καὶ ἐχθροποιῆσαι αὐτὸ πρὸς τὸν θεὸν ἐπεχείρησε· διὸ καὶ ὁ Θεὸς τὸν μὲν παρ' αὐτοῦ λάθρα ἐπισπείραντα τὸ ζιζάνιον, τουτέστι τὴν παράβασιν εἰσενέγκοντα, ἀφώρισε τῆς ἰδίας μετουσίας· τὸν δὲ ἀμέλως μὲν, ἀλλὰ κακῶς παραδεξάμενον τὴν παρακοὴν ἄνθρωπον ἠλέησε, καὶ ἀντέστρεψε τὴν ἔχθραν, ἣν ἐχθροποίησε, πρὸς τὸν αὐτόν· ἀπωσάμενος μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν πρὸς ἄνθρωπον ἔχθραν, ἀνακλάσας δὲ αὐτὴν, καὶ ἀντιπέμψας πρὸς τὸν ὄφιν· καθὼς ἡ γραφὴ φησιν εἰρηκέναι τῷ ὄφει τὸν Θεόν· καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σου καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν· καὶ τὴν ἔχθραν ταύτην ὁ κύριος εἰς ἑαυτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο, ἐκ γυναικὸς γενόμενος ἄνθρωπος, καὶ πατήσας αὐτοῦ τὴν κεφαλήν.

1) Huius veritatis testes sunt Barnabas in epist. n. 12, Iustinus in dial. cum Tryph. n. 124, Irenaeus adv. haeres. lib. IV. praefat. n. 4, lib. V. cap. XXIII. n. 1., et cap. XXIV. n. 3, Theophilus antiochenus ad Autolycum lib. II. nn. 28-33, Tertullianus de patientia n. 5, Origenes de principiis lib. III. cap. II. n. 1, in Ioh. T. XX. n. 21, Archelaus Chascarorum episcopus in disput. cum Manete n. 33, Gregorius nazianzenus Orat. XXXVIII. pag. 549, Gregorius nyssenus in Psalm. Tract. II. cap. XVI., Eusebius caesariensis in Praeparat. evang. lib. VII. cap. X., Basilius Hom. IX. quod Deus non est auctor malorum, n. 9., Lactantius divin. institutt. lib. II. cap. XIII., Augustinus de Civ. Dei lib. XIV. cap. XI. n. 2., et

Digitized by Google

usurparit. Ad haec, *serpentis semine* eos omnes [1]) *metaphorice* designari, qui satanam ita imitantur, ut eius lineamenta non secus ac geniti ex ipsomet filii praeseferant. Tum *mulierem* qua de agitur, esse illam ipsam [2]) quae *Virgo* κατ' ἐξοχὴν audit, et Emmanuelem conceptura praenunciatur. Denique *semen mulieris* non aliud ab eo esse [3]) de quo toties repetitum legimus, *in semine tuo* perque tuam progeniem *benedicentur universae cognationes terrae, omnesque tribus terrae* eximiis beneficiis cumulabuntur. Quod Isidorus pelusiota egregie declaravit [a]) inquiens: « Illud mulieris semen, quod Deus inimicum et infestum serpenti esse iubet, Dominus noster Iesus est. Nam ipse, mulieris semen, singulari modo ex ea ortus est, ita ut nec viri semen intercesserit, nec quidquam decesserit castitati. » Declaravit et magnus Leo [4]) his verbis: « Deus

a) Epistt. lib. I. epist. CCCCXXVI. pag. 109. Τὸ σπέρμα τῆς γυναικὸς, ὃ ἐχθραίνειν τῷ ὄφει προστάττει Θεὸς, ὁ κύριος ἡμῶν ἐστιν Ἰησοῦς· αὐτὸς γὰρ σπέρμα γυναικὸς μόνος γέγονεν ἐξ αὐτῆς, μηδὲ σπορᾶς ἀνδρὸς μεσιτευσάσης, καὶ τῆς ἁγνείας μὴ μειωθείσης.

ne plures memorem, auctor omnium vetustissimus libelli de ascensione Moysis, de quo in loco primum laudato sic habet Origenes: *in ascensione Moysi, cuius libelli meminit in epistola sua apostolus Iudas, Michael archangelus cum diabolo disputans de corpore Moysi, ait a diabolo inspiratum serpentem causam extitisse praevaricationis Adae et Evae.* Quod ipsum in Concilio lateranensi IV. anno MCCXV. his verbis in cap. I. de fide catholica pag. 981. T. XXII. publice declaratum novimus: *homo vero diaboli suggestione peccavit.* Etenim quo minus quae de protoparentum deceptore memorantur, in serpentem naturalem conveniunt, eo magis in eum quadrant, quem is qui est (Ioh. VIII. 14. coll. I. Ioh. III. 8.) ἡ ἀλήθεια *veritas*, testatur esse ἀνθρωποκτόνον ἀπ' ἀρχῆς, *homicidam ab initio*, καὶ τὸν πατέρα τοῦ ψευδοῦς *et patrem mendacii*: cuius invidia mortem in mundum invectam, pervulgatum apud Hebraeos (Sap. II. 24.) fuit: quique alibi in sacris litteris (II. Cor. XI. 3. coll. Apoc. XII. 9.) *serpens* vocatur.

1) Illustrandae significationi, qua improbi appellato *serpentis semine* intelliguntur, non minimum conferunt quae habentur Ioh. VIII. 44., Actt. XIII. 10., et I. Ioh. III. 8-10.

2) Omnino insignis est parallelismus, quo ad invicem referuntur oracula Gen. III. 15. et Is. VII. 14. Sicut enim in priore adhibetur הָאִשָּׁה, ἡ γυνή, cum articulo demonstrante, quo quum nomina instruuntur, alterutrum significant, vel totum genus, vel unum de genere certum ac definitum; ita in posteriore cum eodem articulo adhibetur הָעַלְמָה, ἡ παρθένος. Et sicuti in priore singularis certaque mulier cum suo semine certo item ac singulari penitissime coniungitur ac prope unius instar exhibetur; ita in posteriore singularis certaque virgo cum suo Emmanuele non alia ratione copulatur.

3) *Mulieris semen* esse Christum, eumque una hac formula designari, facile ostenditur. Etenim id primum pro certo habendum est, nomen זֶרַע, de cuius tam principe quam derivatis significationibus nihil attinet dicere, saepe numero (Gen. IV. 25., XV. 3, XXI. 13, II. Sam. VII. 12, I. Paralip. XVII. 11.) μονοπροσώπως, deque singulari persona efferri, eoque υἱὸν ἀνθρώπου demonstrari. Tum id est plane indubitatum, nomen *seminis* hac significatione acceptum perquam belle Christo convenire, quippe qui (Rom. I. 3.) *ex semine mulieris* κατὰ σάρκα *secundum carnem* natus, ea ratione *semen mulieris* vere audit, qui ipse cum in nostra mortalitate versaretur, sese υἱὸν ἀνθρώπου plus quam octogies appellare consuevit. Accedit, eodem *seminis* vocabulo alias quoque (Gen. XXII. 18, XXV. 4, XXVIII. 14, II. Sam. VII. 12. coll. Gal. III. 16, Actt. III. 15.) Christum designari, appellationemque *seminis mulieris* singulari ratione cadere (Gal. IV. 4.) in τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γενόμενον ἐκ γυναικός, in eum videlicet qui non ex virili semine, sed ex purissima Virgine conceptus ac natus in lucem prodiit. Quibus praestitutis, ex eo quod *mulieris semini* vindicatur, prorsus efficitur nonnisi Christum ea appellatione significari. Etenim infernalis serpentis caput conterere, unius Christi facinus est opusque divinum.

4) Serm. II. in Domini nativit. cap. I.

Digitized by Google

omnipotens et clemens statim ut nos diabolica malignitas veneno suae mortificavit invidiae, praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praesignavit: denuntians serpenti futurum semen mulieris quod noxii capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum, Deum hominemque significans, qui natus ex Virgine violatorem humanae propaginis incorrupta nativitate damnaret. » Porro Cyprianus relato [1]) Isaiae vaticinio de Christi θεανθρώπου nativitate [2]) subdit: « Hoc semen praedixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli; in Genesi: *tunc dixit ad serpentem*, et cetera. » Neque aliter Irenaeus [3]) scribens: « Quapropter *(Deus)* inimicitiam posuit inter serpentem et mulierem et semen eius, observantes invicem: illo quidem cui morderetur planta, et potente calcare caput inimici: altero vero mordente et occidente et interpediente ingressus hominis quoadusque venit semen praedestinatum calcare caput eius, quod fuit partus Mariae. »

ARTICULUS I.

De priore inciso oraculi quod habetur Gen. III. 15: huius incisi vis atque potestas ex orationis serie contextuque deducta: perpetua Virginis cum peccato et diabolo peccati auctore inimicitia: eiusdem ab originali labe plenissima immunitas.

889. Poenis quae diabolo atque serpenti indicuntur [a]) his verbis: *quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae: super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae;* alias easque acerbiores supremum Numen idemque iudex aequissimus adiicit [b]) subdens: *et inimicitiam ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.* Antequam vero haec

a) Gen. III. 14. כִּי עָשִׂיתָ זֹּאת אָרוּר אַתָּה מִכָּל־הַבְּהֵמָה וּמִכֹּל חַיַּת הַשָּׂדֶה עַל־גְּחֹנְךָ תֵלֵךְ וְעָפָר תֹּאכַל כָּל־יְמֵי חַיֶּיךָ׃

b) Gen. III. 15. וְאֵיבָה אָשִׁית בֵּינְךָ וּבֵין הָאִשָּׁה וּבֵין זַרְעֲךָ וּבֵין זַרְעָהּ׃

1) Is. VI. 10.

2) Testim. ad Quirinum lib. II. cap. IX.

3) Adver. haeres. lib. III. cap. XXIII. n. 7.

diligentius enarrem, e re esse duco nonnulla praemonere. Et initio quidem particulae *et* vim inesse continuandae augendaeque orationis, illamque apte reddi *praeterea*, ac si diceretur: *quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae, super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae; et inimicitiam* praeterea *ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*. Tum אֵיבָה pro אֵיבָה, cuius origo אָיַב *adversatus est alicui, inimice atque hostiliter aliquem persequutus est*, eiusmodi esse vocabulum quod sicuti odium dissidiumque praesefert, ita pro recepto loquendi usu de naturis dumtaxat ratione praeditis frequentatur. Unde novum prodit argumentum quo efficitur, serpentem a diabolo seiunctum spectari non posse. Ad haec, dissidii et inimicitiae auctorem non hominem sed Deum exhiberi, ipsumque duplici persona insignem, persona iudicis satanam punientis, et persona patris in homines misericordis; adeo ut nemo nostrum sit qui iterare iugiter [1]) non debeat, *perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum:* et [2]) *sufficientia nostra ex Deo est*. Postremo duo esse paria quae sibi mutuo opponuntur, *serpentem cum suo semine et mulierem cum suo semine:* videlicet satanam qui toties [3]) in Scripturis appellatione draconis et serpentis designatur, cum suo semine, iisque omnibus [4]) qui serviunt peccato et zizaniorum nomine veniunt: et

1) Oseae XIII. 9.

2) II. Cor. III. 5.

3) Non minus namque dicitur Matth. IV. 3, XIII. 35, Apoc. XII. 10. atque alibi, *ὁ ἐχθρός hostis ille*, *ὁ πειράζων tentator ille*, *ὁ κατηγόρος accusator ille*, *ὁ πονηρός malus ille*, ὁ διάβολος, ὁ σατανᾶς, ὁ ἀντίδικος, quam appelletur *draco*, *serpens* et *serpens antiquus* II. Cor. XI. 3, Apoc. XII. 4-9, XX. 2. Immo Ioh. VIII. 44. audit *homicida ab initio*, et Paulus Rom. XVI. 20. pollicetur fore ut *Deus pacis conterat* τὸν σατανᾶν *sub pedibus* fidelium.

4) Hi enim I. Ioh. III. 8. dicuntur esse ἐκ τοῦ διαβόλου *ex diabolo*, Ioh. VIII. 44. ἐκ τοῦ πονηροῦ *ex maligno illo*, et I. Ioh. III. 10-13. τέκνα τοῦ διαβόλου *filii diaboli*. Quare Paulus Act. XIII. 10. Elymam magum nuncupat υἱὸν διαβόλου, *filium diaboli;* Christus vero quemadmodum Matth. XIII. 38-39, zizania vocat υἱοὺς τοῦ πονηροῦ, *illius maligni filios*, ita Matth. III. 7, XII. 34, XXIII. 33. pharisaeos et sadducaeos ὄφεις καὶ γεννήματα ἐχιδνῶν *serpentes et progeniem viperarum*. Non satis cl. Patritio visa est arrisisse haec interpretatio, atque adeo in disquisitione de immaculata Mariae origine a Deo praedicta pag. 31. scripsit: « Mihi quidem veri multo similius esse videtur, non *homines* a Deo illa appellatione *(seminis serpentis)* fuisse significatos, sed *id monstri* quod serpens quodammodo procreaverat, hoc est *vitium* quo hominum natura auctore diabolo infecta ex illo fuit. Certe rem hanc multo aptius quam homines ea verborum immutatione enuntiari, multoque verius diaboli feturam vocari, nemo, puto, erit qui mihi non adsentiatur. » Atque ego quidem viro docto libenter adsentirer, nisi paullo audentius arbitrarer, originale vitium haud aliter spectare ac monstri instar quod serpens procrearit: nisi loquendi usu deterrerer, quo arduum esse opinor eam phraseos potestatem significationemque tueri: et nisi probe intelligerem, eadem significatione sin minus specifica saltem generica tam *semen* serpentis quam *semen* mulieris accipi oportere. Haec autem est significatio prolis. Ceterum insignem totius oraculi commentarium praebent tum Iohannes, tum Paulus: ille quidem ubi (I. Ioh. III. 8.) diabolum vocans ἀπ' ἀρχῆς ἁμαρτάνοντα, peccatique auctorem, addit, εἰς τοῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου, *ad hoc apparuit* (in carne I. Tim. III. 16.) *Filius Dei, ut dissolveret opera diaboli;* Paulus vero (Hebr. II. 14-16.) inquiens: ἐπεὶ οὖν τὰ παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν, ἵνα διὰ τοῦ θανάτου καταργήσῃ τὸν

Digitized by Google

mulierem, idest Virginem, cum suo semine, idest Christo qui propterea in hunc mundum venit ut diaboli opera dissolveret.

890. Via hoc pacto complanata, nihil esse nobis antiquius debet quam sedulo investigare, quid descripta caelestis oraculi verba cum poenis commune habeant, quibus propterea Deus satanam mulctavit quod ipse Evam seduxerit, ac per Evam tum Adamum tum universam hominum posteritatem miserrima clade perdiderit. Arduum vero nullatenus erit hunc mutuum rerum nexum invenire, si tota orationis series cura aliqua perpendatur. Itaque sermonis contextu edocemur, satanam per serpentem ad priorem mulierem Evam ita accessisse, ut non ipsi modo adularetur [1]) inquiens, *scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum;* verum etiam et se in ipsam amicum, benevolum, atque de ipsa solicitum callide simularet. Huc enim liquido pertinent [2]) verba, *cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Et [3]) *nequaquam morte moriemini.* Assentatione igitur, familiaritate ac simulata benevolentia et amicitia eo satanas pervenit, ut Evam seduceret, per ipsam Adamum vinceret, et in Adamo ac per Adamum universum hominum genus perderet, sibique, peccato atque morti infelicissima captivitate subiiceret. Sed quid propterea? Videlicet nihil poterat adhiberi sapientius, ac nihil quod satanam acrius adureret, ipsique gravius accideret quam secundam excitari mulierem, quae nullo umquam amicitiae foedere cum satana iungeretur, numquam ipsi obnoxia foret, sed contra perpetuas cum ipso inimicitias exerceret, ipsumque per suum semen funditus debellaret. Si fieri ergo non potest ut caelestis oraculi verba, *et inimicitiam ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius,* a contextu dissideant, immo si apte cum ipso conspirare debeant; hunc omnino sensum fundant necesse est: *tu ad meum opus corrumpendum, hominesque perdendos fallacem iniisti cum priori muliere amicitiam; sed ego ut meum opus refingam hominesque recuperem, ponam inter*

τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι, τὸν διάβολον· καὶ ἀπαλλάξῃ τούτους, ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας· οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. *Quandoquidem igitur pueri participes sunt carnis et sanguinis, ipse quoque* (Dei filius) *similiter eorumdem particeps est factus, ut per mortem aboleret illum qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum; hosque liberaret quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti. Nec enim omnino angelos in libertatem asseruit, sed Abrahae semen vindicavit.*

1) Gen. III. 5.

2) Gen. III. 1.

3) Gen. III. 4.

Digitized by Google

te et secundam quam excitabo mulierem, verissimam inimicitiam: tu ad priorem mulierem tamquam amicus ad amicam accessisti, illam amicitiae specie seduxisti, eiusque semen una cum illa tibi tuaeque tyrannidi subiecisti; sed ego ut tuas fraudes tuosque dolos inanes reddam, teque iisdem expugnem armis quibus plenissimum tibi triumphum pollicebaris, alteram suscitabo mulierem quae tibi sit infensissima, quaeque cum suo semine te inexplebili odio prosequatur, te debellet ac praeda qua exsultas, victrix exspoliet.

891. Quo divini oraculi commentario sicuti harmoniae contextus aptissime prospicitur, ita plenissima in luce oppositio collocatur inter invidam satanae calliditatem, qua caelestem adoptivae filiationis imaginem in homine emicantem labefactavit, et sapientissimam Dei misericordiam qua suae imagini nitorem splendoremque restituit. Et re sane vera ad invicem conferantur hinc ratio qua satanas institutum divinitus ordinem pessumdedit, inde autem ratio qua Deus subversum ordinem reparavit. Satanas hisce prope gradibus incessit: I. muliere tamquam *medio instrumentoque* abusus est, quo hominem vinceret, et in homine atque per hominem universum semen superaret: II. mendacem simulavit amicitiam, ut *hoc pacto* mulieris sibi animum conciliaret, ipsamque mulierem omnium primam in captivitatem redigeret: denique III. seducta muliere et relato per ipsam de homine triumpho, sequuturam deinde progeniem sibi suaeque tyrannidi subiecit. Sed quid contra Deus ut homicidae flagitio mederetur, eversumque ordinem restitueret? Oppositis omnino gradibus insitae pietatis consilium expedivit. Etenim I. novam secundamque mulierem delegit, ut ex ea tamquam *medio instrumentoque* novus et secundus Adam prodiret, in quo et per quem universum semen servaretur: II. inimicitiam novae mulieris cum serpente tamquam *modum* adhibuit, quo servitutis vincula primum abrumperentur: ac tandem III. praeservata nova muliere, novoque ex ea semine procreato, per ipsum universum semen in libertatem vindicavit.

892. Eiusmodi fuit oeconomia, quam misericors Dei sapientia ineundam existimavit ut perdito hominum generi auxiliaretur. En vero quae ex hac misericordis sapientiae oeconomia non minus sponte quam proxime et necessario consequuntur. Consequitur I. propositum reparantis Dei fuisse, ne nova atque secunda mulier ullo umquam amicitiae foedere cum satana copularetur. Consequitur II. pro-

Digitized by Google

positum reparantis Dei fuisse, ne nova atque secunda mulier in satanae captivitatem offenderet. Consequitur III. propositum reparantis Dei fuisse, ne ullum ex diabolica seductione detrimentum in novam atque secundam mulierem dimanaret. Consequitur IV. propositum reparantis Dei fuisse, ut auspicia profligatae tyrannidis ex praeservata nova atque secunda muliere caperentur. Consequitur V. propositum reparantis Dei fuisse, ut universalis reparationis triumphus in nova atque secunda muliere per praeservationem inchoatus, per illius semen ad universae posteritatis liberationem extenderetur. Consequitur VI. propositum reparantis Dei fuisse, ut nova mulier cum suo semine non ad ordinem ruinae, sed ad ordinem excussae tyrannidis solutaeque captivitatis pertineret. Consequitur tandem VII. nihil fingi animo, nihilque efferri verbis posse quod a proposito Dei reparantis vehementius abhorreat, quam novam mulierem intra ambitum universalis praevaricationis ac profectae exinde servitutis comprehendi.

893. Iamvero haec nova atque secunda mulier non alia est quam beatissima virgo Maria, et ipsa est Maria de qua Deus sapiens iuxta ac misericors humanae calamitatis reparator praenunciavit: *et inimicitiam ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*. Quid igitur promissum, quidve divinitus de Virgine revelatum non putabimus solum verum etiam firmissime credemus? Scilicet credemus cum revelato humanae reparationis modo proxime atque necessario coniungi Dei decretum, ut I. Virginis cum satana nullum umquam exsisteret amicitiae foedus: ut II. Virgo in satanae captivitatem numquam incideret: ut III. nullum ex originali seductione detrimentum in Virginem redundaret: ut IV. victoria contra satanam una cum Virgine inciperet: ut V. victoria cum Virgine incepta per eius semen ad omnes omnino homines porrigeretur: ut VI. nihil Virgini cum ordine praevaricationis atque lapsus commune foret: ac postremo VII. ut Virgo nonnisi ad ordinem ingenuae libertatis ac plenissimi de satana triumphi pertineret. Neminem vero reperiri posse arbitror, qui aut non videat immunitatem Virginis ab originali noxa hisce omnibus manifestissime demonstrari; aut non intelligat immaculatum conceptum inter decora Virginis sic eminere, ut privari eo nequeat quin de ipsa praenunciatum negetur, *et inimicitiam ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De eodem Geneseos inciso, deque argumentis ex textu repetitis eoque spectantibus ut Virgo ostendatur a quavis semper amicitia satanae aliena, atque in ipso sui conceptu immaculata: iis occurritur qui haec in suspicionem propterea vocant quod maiorum studia curasque praeterierint.

894. Quae de ornamento immaculati conceptus *ex serie ductuque orationis* collegimus, eadem argumentis *ex ipsomet textu* derivatis pari evidentia aut etiam splendidiori confirmantur. Ut enim a primo statim vocabulo ordiar, velim mihi perspicue explanetur, cuiusmodi censeri *inimicitia* debeat de qua legimus, *et inimicitiam* [1]) *ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*. Alterutrum omnino respondeatur oportet, eam commemorari *inimicitiam*, vel quae Virgini sit cum probis omnibus piisque communis, vel quae peculiaris illi fuerit ac privata. Sed ne illud respondeatur efflagitat I. ipse modus loquendi manifeste emphaticus et quo aliquid efferri mulieris proprium sua sponte ostenditur: efflagitat II. articulus ה, ἡ praefixus nomini אשה, quo insignis quaedam mulier designatur: efflagitat III. ceterorum omissio, cuius nulla afferri ratio posset si de inimicitia sermo foret quae ad omnes aeque pios spectaret: efflagitat IV. Dei loquentis persona, qui quum iudicis in reum animadvertentis munus expleat, non potuit quod multo acerbius erat silentio premere, et particulam dumtaxat aliquam infligendae poenae declarare: et efflagitat V. coniunctio ac prope unitas mulieris cum suo semine, quae non sinit ut quae ad ipsam pertinent, communia videantur. Reliquum est igitur ut Dei ora-

1) Gen. III. 15. ואיבה, graece, καὶ ἔχθραν, targum Onkelosi, ודבבו, et Vulgatus omissa particula copulante, *inimicitias*. Iamvero nomini איבה notio adhaeret non cuiusvis inimicitiae, sed omnino eius quae dolo et fraude plerumque exercetur, quaeque in atrocissima facta erumpit. Et quod illi notio insit odii tecti atque insidiis pleni, apparet ex Ps. XXVII. 2., ubi איבה opponitur τῷ צר. Quum enim utraque vox *inimicum* denotet, צר autem sit ἀπὸ τοῦ צור *obsedit*, innuatque inimicum manifestum atque aperta hostilitate alterum adgredientem; oppositionis ratio postulat, ut איבה occultam tectamque inimicitiam designat. Itemque apparet ex Ezech. XXXV. 5., ubi de Edomaeis dicitur quod perpetuas alant inimicitias איבתצילם, quaeque in caedes plus semel erumpant. Quod autem איבה non quamvis exprimat tectam inimicitiam, sed quae terrificos edat effectus, liquet tum ex relato Ezechielis testimonio, quo Edomaei dicuntur propter איבה efficere, ut Israelitae gladio diffluant: tum ex altero eiusdem vatis loco cap. XXV. 15., quo Philistaeorum איבה adscribitur, quod omnia perdant et depopulentur. Nec minus liquet ex Num. XXXV. 21, ubi edicitur occidendus, qui איבה percitus alterum ad mortem usque percusserit. Eo igitur nomine utitur Deus, cui complexa subest notio occultae simul atque saevissimae inimicitiae.

Digitized by Google

culum de inimicitia unius Virginis propria intelligendum statuatur. At vero cuiusmodi eam esse putabimus? Illam ne quae excussum satanae iugum comitatur? Sed haec probos omnes complectitur. Illam ne quae ex immunitate ab iis culpis oritur quae proprio atque personali actu perpetrantur? Sed inimicitia haec est quae iis saltem omnibus tribui debet, qui semel iustificati supremum antea diem obierunt, quam acceptum innocentiae candorem violarent. Illam ne quae ex sanctificatione in utero consequitur? Sed praeter Virginem non omnino defuerunt qui hoc privilegio decorarentur. Quocumque igitur te vertas, nullam reperies cum satana inimicitiam unius Virginis propriam, nisi quae sit inimicitia primordialis, inimicitia quae praecedentem non tulerit amicitiam, inimicitia tandem quae universalem illam excludat amicitiam, qua homines contracta originali noxa cum satana coniunguntur. Superest ergo ut de hac inimicitia, deque Virginis conceptu ab originali labe soluto divinum oraculum accipiatur.

895. Praesertim quum iis constet verbis, quae non aliam atque diversam sed unam eamdemque inimicitiam positam docent sive inter satanam et mulierem, sive inter semen satanae et semen mulieris. Ac verba sane nequeunt esse splendidiora: *et inimicitiam ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*. Audis? Non alia est inimicitia qua mulier cum satana non alia qua semen mulieris cum semine satanae committitur; sed una prorsus atque eadem. Iamvero inimicitia seminis mulieris cum semine satanae originalis fuit ac perpetua. De illo namque [1]) scriptum est: *quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*. Scriptum [2]) est: *talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*. Ac scriptum [3]) pariter est: *non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Perpetua igitur atque originalis censeri inimicitia debet qua Virgo a satana abhorruit. Cum inimicitia autem originali atque perpetua componi nequit originalis amicitia, qualis ea est quae consortio originalis praevaricationis contrahitur. Nihil igitur evidentius quam Virginem a consortio originalis culpae integram solutamque praenunciari.

896. Sane de hac inimicitia loquens Deus, ait [4]) אָשִׁית, θήσω,

1) Luc. I. 35.
2) Hebr. VII. 26.
3) Hebr. IV. 15.
4) Gen. III. 15. Quod Deus utatur verbo actio-

Digitized by Google

ponam. De ea igitur inimicitia sermo est, cuius *unicus* auctor Deus quemadmodum amicitiae quae Evam seduxit, auctor *unicus* fuit satanas. Porro est utique Deus auctor *princeps*, sed nullatenus auctor *unicus* illius inimicitiae quae vitatis actualibus culpis coutra satanam exercetur. Ad hanc enim spectant verba [1]) Petri: *sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide*. Quaeri igitur inimicitia debet, quae Deo ceu unico auctori merito tribuatur. Eiusmodi autem est inimicitia originalis, eaque respondens originali cum satana amicitiae, quae consortio hereditariae labis, afflatique virus participatione contrahitur. Hunc igitur significavit Deus inquiens אשית θήσω, *ponam*. Et sane si expressam voluisset inimicitiam amicitia posteriorem, dixisset *dividam inter te et inter mulierem*, quemadmodum de eo scriptum [2]) superius occurrit, *et divisit Deus inter lucem et inter tenebras*, quum antea universale chaos et turbida omnium coniunctio regnaret. Atqui non dixit, *dividam inter te et inter mulierem*, quod non modo de nobis omnibus quum primum iustificamur, sed etiam de sanctificatis in utero verissime affirmatur; sed *et inimicitiam ponam inter te et mulierem*. Hoc est perpetua atque originalis inimicitia vos ab invicem disterminabit. Rursum non dixit Deus, *inimicitia erit, fiet, excitabitur* inter te et mulierem, sed *inimicitiam ponam inter te illamque mulierem*. Hoc est, non sinam ut te inter atque illam amicitiae foedus etsi mox dirimendum vel ictu temporis ineatur; adeoque non sinam ut huiusce foederis caussa aliquando exsistat. Haec autem est ipsa labes originalis. Verbis igitur, *et inimicitiam ponam inter te et mulierem*, quemadmodum originalis labes excluditur, ita originalis inimicitia demonstratur.

897. Quid quod in oculos ex sese incurrunt hinc *antagonismus* quo in arenam aciemque descendunt mulier cum suo semine et satanas cum sua progenie, inde *arctissima societas* qua mulier cum suo semine, et satanas cum sua progenie copulantur? Reputentur

nem significante, *ego ponam*, quum futuram inimicitiam dumtaxat praenunciet, id equidem eo linguae idiotismo explicari posset, quo Gen. XXVII. 37. Isaac dixit Esau; *Dominum posui eum* (Iacobum) *super te*, idest, futurum pronunciavi: et quo Gen. XXXV. 12. de Deo legimus, *terram dedi Abraham et Isaac*, idest, me daturum praedixi. Est tamen cur propria servetur τοῦ שית potestas, siquidem ipsemet Deus daturus erat tum benedictam in mulieribus, tum benedictum fructum ventris eius, cum quibus satanas inexpiabiles inimicitias exerceret.

1) I. Petr. V. 8.

2) Gen. I. 4.

animo verba, et quod de antagonismo ac vicissim de societate dicimus, nobis ultro conceditur. Sed quid cum utroque capite nexum est? Explicabo, si potero, luculenter. Itaque cum antagonismo nexum est, tum incepisse inimicitiam mulieris in serpentem, cum inimicitia serpentis in mulierem incepit. Sed inimicitia serpentis in universam Adami posteritatem, proindeque et in eam mulierem ad quam Dei verba referuntur, ab ipsa origine ipsisque primordiis orditur. Ab ipsa namque origine ipsisque primordiis suum virus in homines serpens effundit, quo iidem vitiati germen serpentis iraeque proles evadunt. Inimicitia ergo mulieris in serpentem, eiusque a serpente divisio ac hostilis separatio cum ipsis iuncta fuit initiis, ita ut ea numquam nisi inimica serpentis exstiterit. Nexum deinde est Virginem ad serpentis semen non pertinere: ipsa namque cum suo semine serpenti eiusque semini e diametro opponitur. At vero ad semen serpentis propriissime spectant quicumque omnes obstricti originali labe concipiuntur. Huius namque labis serpens fuit parens atque auctor, utpote [1]) *homicida ab initio:* hac labe universam ipse corrupit hominum naturam, effecitque [2]) ut *mors intraret in orbem terrarum:* propter hanc labem [3]) omnes nascimur *filii irae*, a Deo avulsi et diabolicae captivitati subiecti: huic labi debetur [4]) quod ipse sit *princeps huius mundi:* et ad hanc inprimis detergendam labem is venit qui propterea apparuit ut [5]) tolleret *peccatum mundi* et *dissolveret opera diaboli.* Virgo igitur, utpote seiuncta ac divisa a semine serpentis, ipsius quoque originalis maculae exsors putari debet.

898. Eo vel magis quod quum ipsa primum in Scripturis adumbratur, non aliter spectanda exhibetur ac penitissime cum suo semine coniuncta: coniuncta nimirum cum fonte totius sanctitatis, coniuncta cum agno immaculato, coniuncta cum mediatore Dei et hominum, coniuncta cum redemptore, coniuncta cum infensissimo peccati et satanae hoste, coniuncta cum eo qui satanam expulit et peccatum suo cruore purgavit, nec quovis coniuncta modo, sed coniuncta tamquam virga cum flore, tamquam aurora cum meridie, tamquam mater cum filio, tamquam θεοτόκος cum θεανθρώπῳ, in summa

1) Hinc Christus satanam dicit Ioh. VIII. 44. ἀνθρωποκτόνον ἀπ' ἀρχῆς.

2) Sap. II. 24. coll. Rom. V. 12.

3) Ephes. II. 3. καὶ ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς, ὡς καὶ οἱ λοιποί. *Quomodo natura*, inquit Augustinus in Iohannem Tract. XLIV. n. 1, *nisi quia peccante primo homine, vitium pro natura inolevit?*

4) Ephes. II. 2, VI. 12.

5) Ioh. I. 29. coll. I. Ioh. III. 8.

coniuncta *naturaliter*, eoque coniunctionis genere *secundum carnem*, quo Pater *secundum deitatem* cum eodem Unigenito est crediturque ὁμοούσιος. Facilius vero est seiunctissima quaeque in unum coire, quam cum his peccati sordes et satanae amicitiam copulari.

899. Sed qui factum est, ut tanta huius oraculi evidentia, tantusque splendor non omnium semper oculos perculerit? Aut qui factum est, ut viri scientia atque pietate florentissimi tamdiu ancipites haeserint, haberetur nec ne in Scripturis vel unicum effatum quo immaculatus Virginis conceptus sin minus decretoria, probabili saltem ratione assereretur? Has ego similesque interrogationes possem, si vellem, silentio praeterire, aut certe illis istud unum reponere: inspiciendum sedulo esse vera ne sint ac legitima quae in medium protulimus, et siquidem vera atque legitima reperiantur, hoc unum esse reliquum, ut iisdem adquiescentes immaculatum Virginis conceptum, utpote in divinis litteris tanta perspicuitate expressum, ultro libentesque fateamur. Ne tamen severius agamus ac esse in votis non iniuria posset, pauca quaedam subnectemus, quae diligenter inspecta difficultati penitus expungendae conducant. Itaque probari ne potest, quod tamquam certum exploratumque sumitur, maioribus nostris vix quidquam eorum innotuisse quae Geneseos oraculo contenta deprompsimus? Videlicet non modo probari istud nequit, sed iis potius quae indubia sunt, accenseri debet pleraque omnia a nobis animadversa, licet neque iuncta simul, neque eodem ordine, neque eadem verborum comprehensione explicata, ad summam tamen caputque quod pertinet, in priscis commentariis legi, et patrum scriptorumque ecclesiasticorum studiis occupata reperiri. Qua de re consequentibus articulis ea dabimus, quae nihil novi, nihilque inauditi a nobis ex Scriptura erutum plane luculenterque confirment. Iacet ergo e suis avulsa radicibus si qua forte adesse poterat difficultas.

900. Quam iacentem profligatamque longe etiam plenius intelligemus, si ea animo reputabimus quae post editas a Sixto IV. ceterisque romanis Praesulibus de conceptu Virginis constitutiones, viri sapientissimi desituris numquam litteris consignarunt. In bis enim, ut ex innumeris ferme operibus pro immaculato Virginis conceptu ad nostram usque aetatem editis liquidum est, nescio [1]) an

1) Qua de re testes sunt praeter alios locupletes Dominicus Lossada in discussione theologica

Digitized by Google

non omnia alicuius momenti, quae noster commentarius exhibet, contineantur. Denique nihil impedit quominus qua decet ratione huc solemnis transferatur doctrina, quam his verbis [1]) Augustinus exponit: « Ex haereticis asserta est Catholica, et ex his qui male sentiunt, probati sunt qui bene sentiunt. Multa enim latebant in Scripturis, et cum praecisi essent haeretici, quaestionibus [2]) agitaverunt ecclesiam Dei: aperta sunt quae latebant, et intellecta est voluntas Dei. Inde dicitur [3]) in alio psalmo, *congregatio taurorum inter vaccas populorum, ut excludantur hi qui probati sunt argento.* Excludantur enim dixit, emineant, appareant. Unde dicuntur et in arte argentaria exclusores, idest, ex quadam confusione massae formae expressores. Ergo multi qui optime possent Scripturas dignoscere et pertractare, latebant in populo Dei, nec asserebant solutionem quaestionum difficilium quum calumniator nullus instaret. Numquid enim perfecte de Trinitate tractatum est antequam oblatrarent Ariani: numquid perfecte de poenitentia tractatum est antequam obsisterent Novatiani? Sic non perfecte de baptismate tractatum est antequam contradicerent foris rebaptizatores: nec de ipsa unitate Christi enucleate dicta erant quae dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa urgere coepit fratres infirmos, ut iam illi qui noverant haec tractare atque dissolvere, ne perirent infirmi sollicitati quaestionibus impiorum, sermonibus et disputationibus suis obscura legis in publicum deducerent. » Et [4]) mox: « Quaedam in Scripturis dura videbantur, quum obscura essent; exposita mollita sunt. Ecce per divisionem haereticorum multa dura mollita sunt: sermones illius [5]) duri molliti sunt super oleum, et ipsi sunt iacula. Armaverunt evangelizantes: et ipsi sermones diriguntur in pectora quorumque audientium ab instantibus opportune et importune: illis sermonibus, illis verbis tamquam sagittis, corda hominum ad amorem pacis feriuntur. Duri erant, et molles facti sunt. Molliti non virtutem amiserunt, sed in iacula conversi sunt. »

super definibilitate proxima mysterii immaculatae conceptionis, Thyrsus Gonzalez in tract. theolog. de imm. Deiparae conceptione disput. V., Iohannes Perlinus in apolog. scholast. pro imm. Deiparae concept. dist. V. cap. I. et Benedictus Plazza in causa imm. conceptionis Act. I. art. II. nn. 77. seqq.

1) In Ps. LIV. n. 22. pag. 383. D-F.

2) Quos inter Georgius Henri anglicanae factionis theologus de Constitutione loquens quam Alexander VII. edidit, ut obiectum sacri cultus in festo immaculatae conceptionis declararet, scribere non dubitavit Hist. Eccles. Period. II. art. III: «Impius ille Alexander septimus modernus Papa ex cathedra irrisorum titulo infallibilitatis confirmare ausus est immaculatum Deiparae conceptum; sed non potuit nec poterit.»

3) Ps. LXVII. 31.

4) Ibid. nn. 23-24. pag. 384. A-E.

5) Ioh. VI. 54.

Digitized by Google

901. Cum his autem conferri debent quae magnus Gregorius [1]) animadvertit inquiens: « Qua in re hoc quoque nobis sciendum est, quia et per incrementa temporum crevit scientia spiritalium patrum. Fallor si haec ipsa Scriptura [2]) non loquitur: *pertransibunt*, inquit, *plurimi, et multiplex erit scientia.* » Tum ea conferri debent quae idem de doctoribus loquens divinitus ecclesiae concessis, illosque *hyadas* dictos affirmans, his verbis [3]) exponit: « Qui itaque post orionas hyadum nomine, nisi doctores sanctae ecclesiae designantur? Qui subductis martyribus, eo iam tempore ad mundi notitiam venerunt, quo fides clarius elucet, et repressa infidelitatis hieme, altius per corda fidelium sol veritatis calet. Qui remota tempestate persequutionis, expletis noctibus longae infidelitatis, tunc sanctae ecclesiae exorti sunt, cum ei viam per credulitatis vernum lucidior annus aperitur. Nec immerito doctores sancti hyadum nuncupatione signantur. Graeco quippe eloquio ὑετός pluvia vocatur, et hyades nomen a pluviis acceperunt, quia ortae procul dubio imbres ferunt. Bene ergo hyadum appellatione expressi sunt, qui ad statum universalis ecclesiae, quasi in caeli faciem deducti, super arentem terram humani pectoris sanctae praedicationis imbres fuderunt. Si enim praedicationis sermo pluvia non esset, Moyses [4]) minime dixisset: *expectetur sicut pluvia eloquium meum.* Nequaquam [5]) per Isaiam Veritas diceret: *mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem;* atque [6]) hoc quod paulo ante protulimus: *quamobrem prohibitae sunt* [7]) *stellae pluviarum.* Dum ergo hyades cum pluviis veniunt, ad caeli spatia altiora sol ducitur: quia apparente doctorum scientia, dum mens nostra imbre praedicationis infunditur, fidei calor augetur. Et perfusa terra ad fructum proficit, cum lumen aetheris ignescit: quia uberius frugem boni operis reddimus, dum per sacrae eruditionis flammam in corde clarius ardemus. Dumque per eos diebus singulis magis magisque scientia caelestis ostenditur, quasi interni nobis

1) In Ezech. lib. II. Hom. IV. n. 12. pag. 1347. D-F. Quibus Thomas utitur dum II. II. q. 1. a. VII. hanc versat quaestionem, *utrum articuli fidei secundum successionem temporum creverint.*

2) Daniel. XII. 4.

3) Lib. IX. in cap. IX. Iob. n. 15. pag. 295. A-D.

4) Deut. XXXII. 2.

5) Is. V. 6.

6) Ierem. III. 3.

7) In subiecta adnotatione sic habent Maurini editores: « Non legitur *stellae* sed *stillae* tum in hebraico fonte, tum in vulgata translatione, aut in aliis sive versionibus sive paraphrasibus. In graeca autem interpretatione neutra vox occurrit. Manifestum tamen est Gregorium ita legisse. » Immo mihi manifestum est Gregorium legisse non *stellas* sed *stillas:* sicut enim hoc nomen cum serie orationis et metaphorae continuatione belle congruit; ita alterum ab utraque alienum est, neque aliunde quam ex incuria scribarum profectum videtur.

Digitized by Google

luminis vernum tempus aperitur: ut novus sol nostris mentibus rutilet, et eorum verbis nobis cognitus, se ipso quotidie clarior micet. Urgente etenim mundi fine, superna scientia proficit, et largius cum tempore excrescit. Hinc namque [1]) per Danielem dicitur: *pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia.* Hinc Iohanni in priori parte revelationis [2]) angelus dicit: *signa quae loquuta sunt septem tonitrua.* Cui tamen in eiusdem revelationis termino [3]) praecipit dicens: *ne signaveris verba prophetiae libri huius.* Pars quippe revelationis anterior signari praecipitur, terminus prohibetur: quia quidquid in sanctae ecclesiae initiis latuit, finis quotidie ostendit. » Neque haec praetermittenda sunt, quibus de prophetis [4]) enarrans verba [5]) Scripturae, *qui aufert stellas pluviae, et effundit imbres adinstar gurgitum,* ait: « Sed quia terra aresceret, si subductis stellis pluviae superna funditus fluenta cessarent, recte dicitur, *qui aufert stellas pluviae, et effundit imbres adinstar gurgitum.* Nam cum prophetas abstulit, eorum vice Dominus apostolos misit, qui in similitudinem gurgitum pluerent, postquam subductis antiquis patribus exteriora legis praedicamenta tacuissent. Stellas ergo pluviae abscondit, et adinstar gurgitum imbres fudit; quia dum praedicatores legis ad secreta et intima retulit, per dicta sequentium uberior vis praedicationis emanavit. » Et [6]) continuo: « Possunt quoque per stellas pluviae sancti apostoli designari, de quibus Iudaeae reprobatae per Ieremiam [7]) dicitur: *prohibitae sunt stellae pluviarum, et serotinus imber non fuit.* Stellas ergo pluviae Dominus abstraxit, atque adinstar gurgitum imbres fudit: quia cum de Iudaea praedicantes apostolos abstulit, doctrina novae gratiae mundum rigavit. Quod utrumque factum in ecclesia potest non inconvenienter intelligi: quia quum solutis corporibus ad secretos supernorum sinus apostolorum animas retulit, quasi a caeli facie stellas pluviae abscondit. Sed ablatis stellis pluviae, in morem gurgitum imbres dedit: quia etiam reductis ad superna apostolis, *per expositorum sequentium linguas, divinae fluenta scientiae diu abscondita largiori effusione patefecit. Nam quod illi sub brevitate loquuti sunt, hoc exponendo isti multipliciter auxerunt.* Unde et non immerito ipsa expositorum praedicatio gur-

1) Daniel. XII. 4.
2) Apoc. X. 4.
3) Apoc. XXII. 10.
4) Moral. lib. XXVII. cap. VIII. n. 13. pag. 856.
5) Iob. XXXVI. 27.
6) L. c. n. 14. pag. 858.
7) Ierem. III. 3.

gitibus comparatur: quia dum multorum praecedentium dicta colligunt, *profundius dilatantur. Sed nequaquam se eisdem apostolis expositores in scientia praeferunt, quum exponendo latius loquuntur. Meminisse quippe incessanter debent, per quos eiusdem scientiae inventiones acceperunt.*» Quae cum his penitissime conserta sunt quae Vincentius lirinensis [1]) habet: «O sacerdos, o tractator, o doctor, si te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente, illustrius quod antea obscurius credebatur: per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur; eadem tamen quae didicisti ita doce, ut cum dicas nove, non dicas nova.» Sequitur occupatio [2]) his verbis comprehensa: «Sed forsitan dicit aliquis: *nullus ne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur religionis?* Habeatur plane et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere *profectus* sit ille fidei, non *permutatio*. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsa unaquaeque res amplificetur: ad permutationem vero ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, aetatum ac seculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.» Haec autem ut [3]) similitudine illustravit humani corporis, quod idem numero ex parvo crescit in magnum, nova adiecta similitudine [4]) pergit: «Severunt maiores nostri antiquitus in hac ecclesiastica segete triticeae fidei semina; iniquum valde et incongruum est, ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti, subdititium zizaniae eligamus errorem. Quin potius hoc rectum et consequens est, ut primis atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeae institutionis triticei quoque dogmatis frugem demetamus: ut cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur, et nunc laetetur et excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur, addatur licet forma, species, di-

1) Comm. cap. XXVII.
2) Ibid. cap. XXVIII.
3) Ibid. cap. XXIX.
4) Ibid. cap. XXX.

Digitized by Google

stinctio: eadem tamen cuiusque generis natura permaneat. Absit enim ut rosea illa catholici sensus plantaria in carduos spinasque vertantur: absit, inquam, ut in isto spiritali paradiso de cynamomi et balsami surculis lolium repente atque aconita proveniant. Quodcumque igitur in hac ecclesiae Dei agricultura fide patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et observetur: hoc idem floreat et maturescat: hoc idem proficiat et perficiatur. *Fas est etenim, ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.* » Cuius verissimae doctrinae ii prorsus videntur immemores, quibus lux nulla arridet nisi quae iampridem in ecclesiae caelo splenduerit, quique nihil probant minus quam illud Sidonii, *antiquos cum reverentia lego, sine iniuria recentes;* vel istud Plinii, *sum ex iis qui miror antiquos, non tamen, ut quidam, nostrorum temporum ingenia* [1]) *despicio.*

ARTICULUS III.

Maiorum commentarii de oraculo divino Gen. III. 15: *et commentarius inprimis Iustini, tum Irenaei, Tertulliani deinde ac postremo Origenis et Pseudo-Origenis: his praeclare confirmantur quae superioribus articulis praestituimus, et immaculatus Deiparae conceptus luculenter ostenditur.*

902. Etsi adduci in disceptationem nequeat quod [2]) Augustinus advertit, inhaerendum esse Scripturis quum planam illae apertamque fundunt sententiam; nihilominus nativum prope Catholicis est ut neque antea conquiescant, neque antea affulgenti perspicuitati penitus fidant, quam maiores interrogaverint, illosque consonos conspirantesque repererint. Eiusmodi enim veluti charactere ab haereticis secernuntur, de quibus verba faciens [3]) Vincentius lirinensis ait: « Hic fortasse aliquis interroget, an et haeretici divinae Scripturae testimoniis utuntur? Utuntur plane et vehementer quidem. Nam videas eos volare per singula quaeque sanctae legis vo-

1) Qua de re iuverit contulisse Gersonium in tractatu de oratione et in serm. de conceptione, Canisium de Maria Deipara lib. I. cap. VII., et Ioh. Baptistam Lossada in apolog. pro conceptione cap. XXX.
2) Doctr. christ. lib. III. cap. II.
3) Comm. cap. XXXV.

Digitized by Google

lumina, per Moysis, per Regnorum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia et Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publice, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil umquam pene de suo proferunt quod non etiam Scripturae verbis adumbrare conentur. Lege Pauli samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Ioviniani, reliquarumque pestium, cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam quae non novi aut veteris testamenti sententiis fucata et colorata sit. » Quod dum agunt, illos [1]) aemulantur « quibus curae est, mala gramina et noxios succos medicaminum vocabulis praecolorare, ut nemo fere ubi supra scriptum legerit remedium, suspicetur venenum. » Quum itaque ipsis etiam haereticis commune sit ad Scripturas provocare, Scripturis insistere, effatisque ex iisdem sumptis praeceptos animo errores tueri; gravitatem Catholicam [2]) decet *interpretando canoni maiorum sententias congregare, ut quidquid vel omnes vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur.*

903. Hoc autem est quod iam adgredimur, eoque ordine adgredimur ut e maiorum choro neminem Iustino velimus praehabitum, qui sempiterna Unigeniti ex Patre descripta origine, ad temporariam progressus quam ex matre secundum carnem subiit, ita [a]) habet: « Et novimus per Virginem hominem factum esse, ut qua via initium orta a serpente inobedientia accepit, eadem via etiam dissolutionem acciperet. Eva enim quum virgo esset et [3]) incorru-

a) Dialog. cum Tryph. n. 100. pag. 343. edit. Ienae MDCCCXLVII. Καὶ (νενοήκαμεν) διὰ τῆς παρθένου ἄνθρωπον γεγονέναι, ἵνα καὶ δι' ἧς ὁδοῦ ἀπὸ τοῦ ὄφεως παρακοὴ τὴν ἀρχὴν ἔλαβε, διὰ ταύτης τῆς ὁδοῦ καὶ κατάλυσιν λάβῃ· παρθένος γὰρ οὖσα Εὔα καὶ ἄφθορος, τὸν λόγον τὸν ἀπὸ τοῦ ὄφεως συλλαβοῦσα, παρακοὴν καὶ θάνατον ἔτεκε· πίστιν δὲ καὶ χαρὰν λαβοῦσα Μαρία ἡ παρθένος, εὐαγγελιζομένου αὐτῇ Γαβριὴλ ἀγγέλου ὅτι πνεῦμα κυρίου ἐπ' αὐτὴν ἐπελεύσεται καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει αὐτὴν, διὰ καὶ τὸ γεννώμενον ἐξ αὐτῆς ἅγιόν ἐστιν υἱὸς θεοῦ, ἀπεκρίνατο· γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου· καὶ διὰ ταύτης γεγέννηται οὗτος, περὶ οὗ τὰς τοσαύτας γραφὰς ἀπεδείξαμεν εἰρῆσθαι, δι' οὗ ὁ θεὸς τόν τε ὄφιν καὶ τοὺς ὁμοιωθέντας ἀγγέλους καὶ ἀνθρώπους καταλύει, ἀπαλλαγὴν δὲ τοῦ θανάτου τοῖς μεταγινώσκουσιν ἀπὸ τῶν φαύλων καὶ πιστεύουσιν εἰς αὐτὸν ἐργάζεται.

1) Ibidem.

2) Ibidem cap. XXXIX.

3) Heic Eva ἄφθορος *incorrupta* dicitur non tam incorruptione corporis quam animi, quum de cor-

Digitized by Google

pta, sermone serpentis concepto [1]) inobedientiam et mortem peperit; Maria autem virgo quum fidem et gaudium percepisset, angelo Gabrieli laetum nuntium ei [2]) afferenti, nempe *spiritum Domini in ipsam superventurum et virtutem Altissimi ipsam obumbraturam, quapropter id quod nascetur ex ea sanctum, sit Filius Dei,* respondit: *fiat mihi secundum verbum tuum.* Et per hanc ille genitus est, de quo tot scripturas dictas esse demonstravimus, per quem Deus et serpentem et assimilatos ei angelos hominesque profligat, prave factorum autem poenitentiam agentes et in eum credentes a morte liberat. » Ex his autem non minus universim deprehendimus ad historiam et ad oraculum respici, de quibus in tertio Geneseos capite sermo est; quam nominatim intelligimus, auctore Iustino, sapiens Dei consilium fuisse ut [3]) per quos veluti gradus humana natura decidit, per eosdem ad pristinam dignitatem erigeretur.

904. Decrevit namque Deus ut Angelus angelo, Virgo virgini, fidei incredulitati, obedientia inobedientiae ac Semen semini e regione sibi responderent. Scilicet decrevit I. ut quemadmodum ruina per seductionem incoepit satanae mentientis, ita reparatio per vocem inciperet Gabrielis vera annunciantis: ut II. quemadmodum virgo Eva fuit instrumentum perditionis, ita virgo Maria instrumentum esset salutis: ut III. quemadmodum virgo Eva, concepto serpentis semine, in corruptionem offendit et incredulitatis atque inobedientiae flagitium contraxit; ita virgo Maria, concepto Archangeli semine, et incorrupta maneret et nobilissimum fidei atque obedientiae specimen ederet: tandem IV. ut quemadmodum Eva iam corrupta inobedientiam et mortem peperit, ita Maria penitus incorrupta eum gigneret, per quem Deus et serpentem et assimilatos ei angelos hominesque profligaret, prave factorum autem poenitentiam agentes et in eum credentes a morte liberaret. Prae quibus me latet an expeti quidquam possit vel ad vindicandum commentarium quem edidimus accommodatius, vel ad praerogativam immaculati conceptus tuendam validius. Sicut enim quidquid eo commentario continetur, idipsum licet brevius, splendidissime tamen ab Iustino prae-

ruptela sermo sit quae ex assensione diabolo adiuncta consequitur.

1) Conferri haec utiliter possunt cum verbis ex Iacobi epistola cap. 1. 15.

2) Luc. 1. 35-38.

3) De hac comparatione apud Patres solemni diligenter hac nostra aetate disseruerunt Semischius in op. *Iustin der Mart.* P. II. p. 461. seqq. et Theodorus Otto in libro *de Iustini Mart. scriptt. et doctr.* pagg. 155. seqq.

Digitized by Google

occupatum cernimus; ita ambigere nullatenus possumus, utrum eius conceptus fuerit [1]) immaculatus quae exsors corruptionis Evae ostenditur, et quae una cum concepto ex ipsa semine ab ordine praevaricationis ita seiungitur, ut initium atque instrumentum ordinis reparati celebretur.

905. Sequitur Irenaeus qui [2]) comprobata veritate assumptae ab Unigenito carnis, *quam* [a]) *in se recapitulatus est, suum plasma salvans,* continuo [3]) pergit: « Consequenter autem et Maria virgo [4]) obediens invenitur [5]) dicens: *ecce ancilla tua, Domine, fiat mihi secundum verbum tuum.* Eva vero inobediens: non obedivit enim, quum adhuc esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc exsistens, inobediens facta, et sibi et universo generi humano caussa facta est mortis: sic et Maria habens praedestinatum virum, et tamen virgo obediens, et sibi et universo generi humano caussa facta est salutis. Et propter hoc lex [6]) eam, quae desponsata erat viro, licet virgo sit adhuc, uxorem eius qui desponsaverat, vocat; eam quae est a Maria in Evam recirculationem significans: quia non aliter quod colligatum est solveretur, nisi ipsae compagines alligationis reflectantur retrorsus: ut primae coniunctiones solvantur per secundas, secundae rursus liberent primas. Et evenit primam quidem compaginem a secunda colligatione [7]) solvere, secundam vero colligationem primae solutionis habere locum. Et propter hoc [8]) Dominus dicebat, primos quidem novissimos futuros et novissimos primos. Et [9]) propheta autem hoc idem significat dicens:

a) Con. haeres. lib. III. cap. XXII. al. XXXII. n. 2. pag. 544. Ἦν εἰς αὐτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο, τὸ ἴδιον πλάσμα σώζων.

1) Benedictus Plazza in caussa immaculatae conceptionis Act. II. art. III. n. 226. relatis Iustini verbis, subdit: « Quemadmodum Apostolus II. Cor. X. 45-47. primo et veteri Adamo qui mortem nobis attulit, Christum contraponit secundum et novissimum Adam qui vitam nobis restituit; ita frequenter patres apud Raynaudum in Glossario Nomenclatoris Mariani pag. 443. opp. T. VII., antiquae et primae virgini Evae, quae via et instrumentum fuit nostrae perditionis, novam et secundam virginem Mariam contraponunt, quae nostrae itidem salutis via et instrumentum fuit. Primus ex hisce patribus est s. Iustinus, qui inobedientiam et mortem, quae per virginem Evam initium sumpsit, per Mariam virginem exitium coepisse dicit. Qui autem haec dicit, num credit illammet inobedientiam et mortem, quae per Evam initium, per Mariam exitium sumpsit, in ipsam Mariam ex Eva fuisse transfusam? » Non credit, eoque minus credit quo disertius Mariam a viru serpentis immunem declarat, atque ex Maria initium victoriae ac salutis repetendum esse testatur.

2) Con. haeres. lib. III. cap. XXII. al. XXXII. nn. 1-4. pagg. 541-545. edit. Lipsiae MDCCCLIII.

3) Ibid. n. 4. pagg. 545-546.

4) Al. *obaudiens.*

5) Luc. I. 28. Haec autem liberius citantur, quum constans Scripturae lectio sit: *ecce ancilla Domini* etc.

6) Gen. III. 8-17-20-21.

7) Monent Grabius et Massuetus germanam lectionem non esse *solvere* sed *solvi.*

8) Matth. XIX. 30. et XX. 16.

9) Ps. XLIV. 17.

pro patribus nati sunt tibi filii. Primogenitus [1]) enim *mortuorum* natus Dominus, et in sinum suum recipiens pristinos patres, regeneravit eos in vitam Dei, ipse initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est. Propter hoc et Lucas initium generationis a Domino inchoans, in Adam retulit, significans, quoniam non illi hunc, sed hic illos in evangelium vitae regeneravit. Sic autem et Evae inobedientiae nodus solutionem accepit [2]) per obedientiam Mariae. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc [3]) virgo Maria solvit per fidem. »

906. Pergit, [4]) Irenaeus, et pluribus discrimine explicato quo Deus et pro sua iustitia in serpentem, et pro sua pietate in protoparentes egit, ita [5]) subdit: « Quapropter inimicitiam posuit inter serpentem et mulierem et semen eius, observantes invicem: illo quidem cui [6]) morderetur planta et [7]) potente calcare caput inimici; altero vero mordente et occidente et interpediente ingressus hominis, quoadusque venit semen praedestinatum calcare caput eius, quod fuit partus Mariae, de quo ait [8]) propheta: *super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem;* significans quia illud quod erigeretur et dilataretur adversus hominem peccatum, et frigidum reddebat eum, evacuaretur cum regnante morte, et conculcaretur ab eo in novissimis temporibus insiliens humano generi leo, hoc est, antichristus; et draconem illum et serpentem vetustum alligans et subiiciens potestati hominis qui fuerat victus, ad calcandam omnem eius virtutem. Victus autem erat Adam, ablata

1) Coloss. I. 18.

2) Al. *per obaudientiam*, vel *per audientiam*.

3) De hoc Irenaei testimonio loquens Massuetus scribit: « Obscurior tota haec Irenaei argumentatio est. Mariam cum Eva confert, alterius fidem cum alterius inobedientia, alterius connubium cum alterius coniugio. Quemadmodum, inquit, Eva licet coniugata, virgo tamen, inobedientiae culpa intricatissimis veluti nodis implicuit totum genus humanum, cui caussa facta est mortis; sic et Maria desponsata viro, sed virgo, fide et obedientia nodos solvit quos Eva contexuerat, sibique et generi humano facta est caussa salutis. Et propterea licet nondum nupta sed desponsata tantum et adhuc virgo, secundum legem tamen dicitur uxor, ut quod a fideli Mariae connubio in Evae nocens coniugium veluti reflectitur, distinctius significetur. Sicut enim quae colligata sunt pluribusque constricta nodis in semetipsos implicatis, solvi nequeunt nisi ab extremis fiat initium; nec isti expediri valent nisi vinculorum extremitates reflectantur retrorsus, quo fit ut secundae coniunctiones primae omnium solvantur, nec ad primas fiat accessus, nisi secundis primum resolutis: sic et in praesenti negotio contigit. Ab Evae connubio, propter huius inobedientiam, cetera deinceps, usque ad illud Mariae, molestissimis implexa nodis. Nodum prima solvit Maria fide et obedientia, nec sibi solvit tantum, sed et solutio quae ab ea coepit initium, velut circuitu quodam in Evam reflexa est: adeo ut primum connubium a secundo solutionem acceperit, idest, huius sanctitate purgatum illud fuerit. Haec certe et quae sequuntur, paulo subtiliora. » Sed verissima tamen, quaeque Massuetus, ut deinceps constabit, nonnisi leviter attigit.

4) Con. Haeres. liber III. cap. XXIII. al. capp. XXXIII-XXXVIII. nn. 1-7. pagg. 546-550.

5) Ibid. n. 7. pagg. 550-551.

6) Al. *mordetur*.

7) Idest, *quum ille quidem cui planta morderetur, potens etiam esset calcare caput inimici*.

8) Ps. XC. 13.

Digitized by Google

ab eo omni vita; et propter hoc victo rursus inimico recepit vitam Adam; *novissima* [1]) autem *inimica evacuatur mors*, quae primum possederat hominem. Quapropter liberato homine, fiet quod [2]) scriptum est: *absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua? Ubi est mors aculeus tuus?* Quod non [3]) poterit iuste dici, si non ille [4]) liberatus fuerit, cui primum dominata est mors. Illius enim salus, evacuatio est mortis. Domino igitur vivificante hominem, idest, Adam, evacuata est mors. »

907. Alibi vero [5]) commemorata parabola hominis inimici, qui in agro patrisfamilias zizania superseminavit, ad illam explanandam accedens [a]) inquit: « Ex tunc enim apostata est [6]) angelus hic et inimicus, ex quo zelavit plasma Dei, et inimicum illum Deo facere aggressus est. Quapropter et Deus eum quidem qui a semetipso zizania absconse seminavit, idest, transgressionem [7]) quam ipse intulit, separavit a sua conversatione: eum autem qui negligenter quidem sed male accepit inobedientiam, hominem [8]) miseratus est, et retorsit inimicitiam, per quam inimicum Deo facere voluit, in ipsum inimicitiarum auctorem; auferens quidem suam, quae erat adversus hominem, inimicitiam: retorquens autem illam et remittens illam in serpentem. Quemadmodum et Scriptura [9]) ait dixisse serpenti Deum: *et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et inter semen mulieris. Ipse tuum calcabit caput, et tu observabis calcaneum eius*. Et inimicitiam hanc Dominus

a) Con. Haeres. lib. IV. cap. XL. al. LXXVIII. n. 3. pagg. 707-708. Ἐκ τότε γὰρ ἀποστάτης ὁ ἄγγελος αὐτοῦ καὶ ἐχθρὸς, ἀφ' ὅτε ἐζήλωσε τὸ πλάσμα τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐχθροποιῆσαι αὐτὸ πρὸς τὸν Θεὸν ἐπεχείρησε· διὸ καὶ ὁ Θεὸς τὸν μὲν παρ' αὐτοῦ λάθρα ἐπισπείραντα τὸ ζιζάνιον, τουτέστι τὴν παράβασιν εἰσενέγκοντα, ἀφώρισε τῆς ἰδίας μετουσίας· τὸν δὲ ἀμέλως μὲν, ἀλλὰ κακῶς παραδεξάμενον τὴν παρακοὴν ἄνθρωπον ἠλέησε, καὶ ἀντέστρεψε τὴν ἔχθραν, ἣν ἐχθροποίησε, πρὸς τὸν αὐτόν· ἀπωσάμενος μὲν ἀφ' ἑαυτοῦ τὴν πρὸς αὐτὸν ἔχθραν, ἀνακλάσας δὲ αὐτὴν, καὶ ἀντιπέμψας πρὸς τὸν ὄφιν· καθὼς ἡ γραφὴ φησιν εἰρηκέναι τῷ ὄφει τὸν Θεόν· καὶ ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σοῦ καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματός σου καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν· καὶ τὴν ἔχθραν ταύτην ὁ κύριος εἰς ἑαυτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο, ἐκ γυναικὸς γενόμενος ἄνθρωπος, καὶ πατήσας αὐτοῦ τὴν κεφαλήν.

1) I. Cor. XV. 26.
2) Ibid. vv. 54. seqq.
3) Al. *poterat*.
4) Al. *liberatus fuit*.
5) Matth. XIII.
6) Interpres legit, ἄγγελος οὗτος.
7) Graece, *qui transgressionem intulit*.
8) Quae sequuntur latina non omnino cum graecis consentiunt.
9) Gen. III. 15.

in semetipsam recapitulavit, de muliere factus homo, et calcans eius caput, quemadmodum in eo [1]) qui ante hunc est, libro ostendimus. »

908. Tandem [2]) utraque descripta Unigeniti natura, de oeconomia quam in carne explevit, sic [3]) habet: « Manifeste itaque in sua propria venientem Dominum, et sua propria eum baiulante conditione, quae baiulatur ab ipso, et recapitulationem eius quae in ligno fuit inobedientiae, per eam quae in ligno est obedientiam, facientem et seductionem illam solutam qua seducta est male illa quae iam viro destinata erat virgo Eva, per veritatem evangelizata est bene ab Angelo iam sub viro virgo Maria. Quemadmodum enim illa per Angeli sermonem seducta est ut effugeret Deum, praevaricata verbum eius; ita et haec per angelicum sermonem evangelizata est ut portaret Deum, obediens eius verbo. Et si ea inobedierat [4]) Deo, sed haec suasa est obedire Deo, ut virginis Evae virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per Virginem: aequa lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per corruptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbae simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quae alligati eramus morti. » Hinc [5]) addit: « Omnia ergo recapitulatus est, et adversus inimicum nostrum bellum provocans et elidens eum, qui in initio in Adam captivos duxerat nos, et calcans eius caput, quemadmodum habes [6]) in Genesi dixisse serpenti Deum: *et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et semen eius: ipse tuum observabit caput et tu observabis eius calcaneum.* Ex eo enim qui ex muliere virgine habebat nasci secundum similitudinem Adam, praeconabatur observans caput serpentis. Et hoc est semen, de quo ait [7]) Apostolus in epistola quae est ad Galatas: *legem factorum positam, donec veniret semen cui promissum est.* Manifestius autem adhuc [8]) in eadem ostendit epistola sic dicens: *quum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum de muliere.* Neque enim iuste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset qui vicit

1) Lib. III. cap. XXIII. 5-7.
2) Con. haeres. lib. V. cap. XVIII. n. 3. pag. 768.
3) Ibid. cap. XIX. n. 1. pagg. 769-770.
4) De hac lectione, quae unice vera est, consuli debet Massuetus.
5) Ibid. cap. XXI. n. 1. pag. 773.
6) Gen. III. 15.
7) Gal. III. 19.
8) Gal. IV. 4.

eum. Per mulierem enim homini dominatus est ab initio, semetipsum contrarium statuens homini. Propter hoc et Dominus semetipsum filium hominis confitetur, principalem hominem illum, ex quo ea quae secundum mulierem est plasmatio, facta est, in semetipsum recapitulans: uti quemadmodum per hominem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per hominem victorem ascendamus in vitam. Et quemadmodum accepit palmam mors per hominem adversus nos, sic iterum nos adversus mortem per hominem accipiamus palmam. »

909. Huc itaque redeunt quae apud Irenaeum potiora occurrunt, quaeque rite intellecta praesentem quam versamus quaestionem eximia luce perfundunt. Intelligi autem rite non possunt, nisi quaedam in antecessum explicentur vocabula quae utpote rariora et insolentiora aliquam praeferre difficultatem videntur. Sunt vero *compago, recapitulare, recirculare, reflectere et retorquere*. E quibus *compago, compaginatio, compages*, ἀλληλουχία idem valent ac connexio et colligatio rerum simul compactarum; unde usitatae Latinis [1]) formulae, *compagem efficere et compagem laxare*. De altero vocabulo in indice Latinitatis ad calcem totius operis legimus: « *Recapitulare*, ἀνακεφαλαιοῦν, instaurare, renovare, quidpiam alicui veluti capiti copulare, summatim colligere, in summam redigere. » Et in indice Graecitatis: « Ἀνακεφαλαιοῦν, *recapitulare*, instaurare, renovare, in summam redigere, summatim colligere. » Tertullianus [2]) *recapitulare* interpretatur *ad initium redigere*, vel *ab initio recensere*, hoc est, ad pristinum statum revocare. Hinc [3]) Pauli verba, ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, ita [4]) vertit: « Ad caput idest, ad initium reciprocare universa in Christo, ita ut ostenderet in se esse et initii decursum ad finem, et finis recursum ad initium. » Erit igitur *recapitulare*, ἀνακεφαλαιώσασθαι, in antiquum statum collapsa restituere. Quo respiciens vulgatus interpres reddidit *instaurare*, et Ambrosiaster *restaurare*. Ceterum, monente [5]) Petavio, verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι tripliciter a Graecis interpretibus, duce [6]) Chrysostomo, exponitur. Prima significatio est, quam proprie [7]) *recapitulandi* vox

1) Apud Curtium lib. IV. cap. XVIII., Lucretium lib. VI. v. 1069, Lucanum lib. III. v. 491, et Gellium lib. IV. cap. I.

2) Con. Marcion. lib. V. cap. XVII.

3) Ephes. I. 10.

4) De Monogam. cap. V. Augustinus de Civ. Dei lib. XX. cap. XIV. *recapitulando dicit, tamquam ad id rediens quod praeterierat.*

5) De incarnat. lib. II. cap. VII. §§. II. seqq.

6) In Ephes. I. 9. seqq. et in cap. XIII. epist. ad Rom. Hom. XXIII.

7) Etenim ἀνακεφαλαιόω, *recapitulo* proprie

Digitized by Google

exprimit, in summam et caput varia et dispersa colligere. « Nam et oratores in epilogis, *ait* [1]) *Hieronymus*, vel ante epilogos, in fine caussarum propter memoriam iudicum, et eorum quae audiere negotia recordationem, idest, ἀνακεφαλαίωσιν solent facere, ut quae prius latius disputarent, brevi postea sermone comprehendant. » Hoc modo recapitulata omnia sunt in Christo, quoniam quae hactenus figuris multis et vaticiniis in longum diducta fuerant et diffusa, in unum Christum collecta, perfecta atque expleta sunt. Ad haec Theodoritus, Cyrillus alexandrinus et cum his [2]) alii, ἀνακεφαλαίωσιν *recapitulationem* interpretantur *brevem et compendiosam rerum commutationem*, qua omnia per Christum instaurata et recuperata sunt. Illius verba [a]) sic habent: « Per dispensationem enim Christi Domini, et hominum natura resurgit et incorruptionem induit: et creatura visibilis corruptione liberata incorruptionem assequetur, et invisibilium populi perpetuo in laetitia degent, quoniam abscessit dolor, tristitia et gemitus. Hoc per haec verba [3]) docuit divinus Apostolus. » Cyrillus vero [b]) postquam Christum dixit *renovatorem eorum quae corrupta fuerant*, mox [c]) subdit: « Ad caput revocat in Christo tam quae in caelis quam quae in terra sunt Deus et Pater, et quod eo prolapsum erat quo non oportebat, pristinum ad statum [4])

a) Comm. in epist. ad Ephes. I. 10. pag. 405. Διὰ γὰρ τῆς κατὰ τὸν δεσπότην Χριστὸν οἰκονομίας, καὶ τῶν ἀνθρώπων ἡ φύσις ἀνίσταται, καὶ τὴν ἀφθαρσίαν ἐνδύεται, καὶ ἡ ὁρωμένη κτίσις τῆς φθορᾶς ἐλευθερουμένη τεύξεται τῆς ἀφθαρσίας, καὶ τῶν ἀοράτων οἱ δῆμοι ἐν εὐφροσύνῃ διατελέσουσιν, ἐπειδὴ ἀπέδρα ὀδύνη, καὶ λύπη, καὶ στεναγμός· τοῦτο διὰ τῶνδε τῶν ῥητῶν ἐδίδαξεν ὁ θεῖος ἀπόστολος.

b) Glaphyr. lib. I. pag. 13. opp. T. I. P. II. Ἀνακαινιστὴν τῶν κατεφθαρμένων.

c) Ibidem. Ἀνακεφαλαιοῦται γὰρ ἐν Χριστῷ τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ, καὶ τὸ ἐφ' ἃ μὴ προσῆκεν ὀλισθῆσαν, ἀναβιβάζεται πρὸς τὸ ἐν ἀρχαῖς.

est verbum arithmeticum, idemque notat ac *omnium capitum brevem summam ducere*, *in caput* vel *summam unam redigere*. Cf. Biblioth. Brem. Cl. V. pagg. 535. seqq.

1) Exposit. in Ephes. I. 10. Hesychius, ἀνακεφαλαιοῦται· συμπληροῦται, ἐπαναλαμβάνεται. Suidas, ἀνακεφαλαιοῦται· ἀναπληροῦται, ἀνακτίζει· καὶ ἀνακεφαλαίωσις ἡ ἐξ ἀρχῆς ἔγερσις, hoc est, repetitio summa rerum capita exhibens. Quo sensu oratoribus graecis ἀνακεφαλαίωσις erat *recapitulatio*, quo in fine orationis eius summa repetebatur. Hinc assequimur quo spectaverit Paulus Rom. XIII. 9. inquiens: καὶ εἴ τις ἑτέρα ἐντολὴ ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται, reliqua omnia praecepta divina hoc uno praecepto, veluti summa quadam comprehenduntur, nimirum ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. Quare aliis in locis ἡ ἀγάπη audit legis κεφάλαιον *summa*.

2) Cf. Suiceri Thesaur. Eccles. ad h. v.

3) Ephes. I. 10.

4) Non satis Schleusnero probatur eiusmodi interpretatio, qui de illa in Lexico novi Testamenti propterea scribit: « Plerique interpretes, Suidae auctoritate ducti, qui ἀνακτίζει *renovat* habet, ἀνακεφαλαιοῦσθαι per *revocare ad pristinam integritatem* interpretati sunt: sed locus parallelus II. 14-15. contrarium suadet. »

Digitized by Google

iterum evehit. » Tandem vulgatissima est notio, qua graecis enarratoribus idem est ἀνακεφαλαιώσασθαι ac *ad unum caput revocare, et quae soluta ac dissipata prius erant eidem principi ac dominatori subiicere.* Hanc notionem reliquis praeferunt [1]) Chrysostomus et Oecumenius: huic insistens notioni [a]) Hippolytus, *incarnationis proprium opus esse* docuit, *omnium ad seipsum recapitulationem:* et hanc notionem verbis Apostoli cumprimis accommodatam scribit [2]) Petavius continuo addens: « Christus enim ideo venit, ut ad unum dissipata et dissociata universitatis membra, et tum inter se, tum vero cum auctore ac capite suo colligeret. Quod officii genus praesertim hominibus impendit, qui ab uno veroque Deo, hoc est ab unitate ipsa seiuncti, varios in errores et multiplices inanium cultus deorum ac superstitiones vagi et incerti ferebantur: tum diversis irretiti vitiis et cupiditatibus ab nativa et ingenua simplicitate desciverant. »

910. De tertio vocabulo, quod est *recirculatio,* in indice Latinitatis dicitur: « *Recirculatio,* reflexio quae fit circuitu quodam. » Est autem *reflecto,* ἀνακάμπτω, retro flecto, inflecto; unde illud [3]) Senecae: *reflecte gressum, dum licet, teque eripe.* Consonat *retorqueo,* retro torqueo, ἀντιστρέφω, et translate, *in adversarium converto;* qua significatione apud Iustinum [4]) legimus: *hortati sunt, ut crudelitate patris provocatus, occupet insidias, et in auctorem retorqueat scelus;* itemque [5]) apud Ulpianum, *si ab eo petitus retorsit in eum crimina.* Iamvero explanatis hoc pacto vocabulis, quibus Irenaei mens ac sententia obscurari utcumque poterat; pronum nobis erit tum illam paucis luculenterque complecti, tum quid aptum ex ea sit atque nexum ad immaculatum Virginis conceptum stabiliendum in apertam lucem proferre.

911. Auctor itaque est Irenaeus, hanc Deum induisse voluntatem, ut *invidiae* qua satanas hominem perdidit, suam opponeret

a) Ex fragmento secundo contra Beronem in Anastasii collectaneis: Τῆς αὐτοῦ σωματώσεως, ἧς ἔργον ἡ τῶν ὅλων ἐστὶν εἰς αὐτὸν ἀνακεφαλαίωσις.

1) In comm. ad Ephes. I. 10. ubi ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, non videtur reddi aptius posse quam omnes omnino homines, iudaeos et gentiles diversis studiis distractos in unum corpus redigere, et ad unum caput Christum revocare. Quod in epist. ad Coloss. I. 20. dicitur, ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτόν. Scite Chrysostomus, μίαν κεφαλὴν ἅπασιν ἐπέθηκε, *unum caput omnibus imposuit,* omnesque unius imperio ac voluntati subiecit.

2) De Incarnat. lib. II. cap. VII. §. V.

3) Thyest. V. 428.

4) Hist. lib. XXXIV. 4.

5) Dig. XXXVIII. 2. 14.

Digitized by Google

pietatem qua illi opitularetur; *calliditati* vero qua satanas mulierem, et per mulierem hominem primum, atque in primo homine universum genus seduxit, suam opponeret [1]) *sapientiam*, qua telam veluti retexens, iisdem mediis quibus pernicies contigit, salutem conciliaret. Porro sicuti ad perniciem creandam suo quique modo satanas, Eva atque Adamus suam operam contulerant; ita decrevit Deus ut ad reparationem conficiendam Gabriel, Maria et natum ex Maria semen, Christus Iesus non dissimili ratione conspirarent. Quam doctrinam Irenaeus insigni quadam propositionum serie exponit atque confirmat. Huc enim omnino spectant quae ex eo deprompta subiicimus: I. *hominum cum Deo inimicitiam retortam ab ipso esse in ipsum inimicitiae auctorem satanam, ablata ea quae adversus homines erat inimicitia, illaque in serpentem remissa:* II. *positam a Deo inimicitiam inter serpentem ac mulierem et semen eius, quod fuit partus Mariae ad calcandum serpentis caput praedestinatus:* III. *virginis Evae quae aures satanae praebuit et Deo non obedivit, factam esse advocatam virginem Mariam quae fidem angelo adiungens Deo obedivit:* IV. *sicuti Eva quae habens quidem virum, sed adhuc virgo, inobediens facta, et sibi et universo generi humano caussa exstitit mortis; ita Maria habens praedestinatum virum, et tamen virgo, obediens et sibi et universo generi humano caussa facta est salutis:* V. *nodum inobedientiae quo se Eva obstrinxit, per Mariae obedientiam esse solutum*: VI. *quod virgo Eva colligavit per incredulitatem, idipsum a virgine Maria solutum esse per fidem:* VII. *seductionem Evae per satanam solutam esse nuncio, quo Angelus Mariam salutavit:* VIII. *primam compaginem ex Adamo et Eva solvi debuisse per secundam compaginem ex Christo et Maria:* IX. *qua ratione per virginem adstrictum est morti genus humanum, eadem per virginem salvari:* X. *Christum factum esse initium viventium, quoniam Adam fuit initium morientium:* XI. *sicuti per hominem victum in mortem descendit genus nostrum; ita necesse esse ut per hominem victorem ascendamus in vitam:* denique XII. *a Christo profectam esse recapitulationem eius inobedientiae quae in ligno fuit, per eam obedientiam quae in ligno est;* adeo ut qui in ligno vincebat, ipse vicissim per lignum vinceretur.

1) Dei sapientiam in praefiniendo exequendoque humanae reparationis opere, pluribus extollunt patres apud Petavium de Incarnat. lib. II. cap. V., omnium vero splendidissime in oratione catechetica Gregorius nyssenus.

912. Ex hac autem [1]) universa Irenaei doctrina ne unum quidem assignare caput licet, quo a puritate Virginis noxa originalis delicti non longissime arceatur. Longissime namque I. eo capite arcetur, quo ordo restitutionis cum ordine ruinae *inverso similitudinis habitu* comparatur. Neque enim eiusmodi habitus maneret incolumis, si Virgo ruinae ordine comprehenderetur. Longissime II. eo capite arcetur, quo prima compago ex Adamo et Eva per secundam compaginem ex Christo et Maria solvenda perhibetur. Neque enim secunda compago ad Mariam quod attinet priori opponeretur, si et illa in noxam primae compaginis incidisset. Longissime III. eo capite arcetur, quo Virgo a seductione serpentis et Evae inobedientia immunis celebratur. Seducta enim fuisset cum Eva, et illius inobedientiae consors effecta, si in Adamo peccavisset. Longissime IV. eo capite arcetur, quo Maria dicitur Evae advocata, illique defertur quod nodum inobedientia et incredulitate ab Eva colligatum, ipsa fidelis atque obediens expedierit. Advocata namque et ipsa indigeret, si originali praevaricatione fuisset infecta, et expediendo nodo fuisset impar, quo ipsa quoque irretiretur. Longissime V. eo capite arcetur, quo sicuti virgini Evae vitio vertitur quod genus humanum morti addixerit, ita laudibus virginis Mariae connumeratur quod per ipsam hominum genus salutem receperit. Aut enim hisce nullus subest sensus, aut hoc profecto significatur, virginem Mariam ad massam damnati hominum generis numquam pertinuisse. Longissime tandem VI. eo capite arcetur, quo Maria cum Christo, Mater cum Filio et θεοτόκος cum θεανθρώπῳ ita coniungitur, ut una cum ipso, licet post ipsum, sit initium viventium, recapitulatio eius inobedientiae qua Eva morem gessit satanae, per eam obedientiam qua ipsa angelo fidem adhibuit, et aurora victoriae qua per mulierem victricem genus hominum in vitam adscenderit, quemadmodum per mulierem victam descenderat in mortem. Quapropter hoc unum reliquum est, ut immaculatum Virginis conceptum ea ipsa maiorum

1) Benedictus Plazza in caussa imm. concept. Act II. art. III. n. 227. ad Irenaei testimonia respiciens ait: « Duplex utrobique contrapositum eleganter describitur: unum Adami mortificantis cum Christo vivificante, alterum Evae alligantis cum Maria solvente. Sicut ergo primum contrapositum non patitur quod Christus eidem morti obnoxius fuerit, a qua erat alios revocaturus; ita nec secundum pati videtur quod Maria eidem nodo fuerit adstricta, qui ab ipsa solvendus erat. De Christo loquens Cassiodorus (de anima cap. XIV. pag. 1261. T. XI. Biblioth. PP.), recte sic arguebat: *absque peccato sine dubio venit, qui erat omnium peccata soluturus.* Cur et nos huic Irenaei sententiae inhaerentes non possumus similiter arguere: absque nodo culpae originalis sine dubio venit, quae nodum istum erat in aliis solutura? » Sic ille, tenuiter admodum, neque pro ea ratione quam explorata Irenaei doctrina flagitabat.

traditione revelatum existimemus, qua iidem ordinem humanae reparationis divinitus praefinitum et Scripturis consignatum patefaciunt.

913. Neque aliter Tertullianus, qui [1]) ex modo conditi primi Adami de modo disserens quo secundus idemque novissimus Adam ex Virgine proditurus erat, post alia [2]) scribit: « Et tamen ne mihi vacet incursus [3]) nominis Adae, unde Christus Adam ab Apostolo dictus est, si terreni non fuit census homo eius? Sed et hic ratio defendit, quod Deus imaginem et similitudinem suam a diabolo captam aemula operatione recuperavit. In [4]) virginem enim adhuc Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis. In virginem aeque introducendum erat verbum exstructorium vitae, ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eumdem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti: credidit Maria Gabrieli; quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit. Sed Eva nihil tunc concepit in utero ex diaboli verbo. Immo concepit. Nam exinde ut abiecta pareret, et in doloribus pareret, verbum diaboli semen illi fuit: enixa est denique diabolum fratricidam. Contra Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Israel, interemptorem suum, salvum quandoque praestaret. In vulvam ergo Deus verbum suum detulit, bonum fratrem, ut memoriam mali fratris eraderet. Inde prodeundum fuit Christo ad salutem hominis, quo homo iam damnatus intraverat. » Ubi vero eximiam commendat bonitatem, qua Deus hominem condidit, inter cetera [5]) ait: « Eadem bonitas et adiutorium prospexit, ne quid non boni: *non est enim*, inquit [6]), *bonum solum esse hominem*. Sciebat [7]) illi sexum Mariae, et deinceps Ecclesiae profuturum. »

914. Si ergo de ratione quaeratur, qua Deus universali hominum excidio prospectum voluit, docente Tertulliano, respondendum est: eo ipsum spectasse *ut imaginem et similitudinem suam a diabolo captam aemula operatione recuperaret*. Characteres vero aemulae operationis ad hanc facile summam revocari: I. *ut per se-*

1) De carne Christi cap. XVII. pag. 326. D. edit. Rigaltii MDCLXIV.

2) Ibid. cap. XVII. pag. 321. A-B.

3) *Incursum* dicit argumentationis impetum, quasi scripsisset: et ne elabi sinam occasionem argumentandi ex nomine Adae.

4) » Hae antitheses, *inquit in subiectis adnotationibus Philippus Priorius*, non insolentes sunt patribus. Evam in Mariam transfusam dixit Bernardus, Sergius hieropolita de natali Virginis dixit, illam esse ἀνάκλησιν τῆς Εὔας, reparationem Evae. »

5) Con. Marcion. lib. II. cap. IV. pag. 383. B-C.

6) Gen. II. 18.

7) « Noverat Dei bonitas, *sunt verba Priorii*, quanto hominum damno prima mulierum peccaret; at noverat pariter qua felicitate iisdem Mariae soboles ventura erat. Ea enim ratione factum, ut qui sexus malis nostris originem dedit, summum quoque nobis remedium pepererit. Non secus ac heros ille, cuius arma illatum a se vulnus curabant. »

Digitized by Google

xum e quo malum dimanarat, per eumdem reparatio obtineretur: II. *ut Maria Adamo primum ac deinde prodesset Ecclesiae, sicut Eva Adamo primum atque omnibus deinde hominibus perniciem struxerat:* III. *ut Maria crederet Gabrieli vera nuncianti, sicut Eva satanae crediderat mentienti:* IV. *ut Maria fidem adhibens Gabrieli illud deleret, quod Eva satanae credens induxerat:* V. *ut in virginem Mariam introduceretur verbum exstructorium vitae, sicut in virginem Evam irrepserat verbum aedificatorium mortis:* et *ut* VI. *Maria insons atque pura in lucem eum ederet qui omnes servaret, sicut Eva ex diaboli verbo conceperat in utero aerumnas omnes omnesque miserias, et diabolum fratricidam* [1]) *pepererat.* Quare ea credi Maria debet, quae Evae funditus opponatur: quae non solum non perierit, sed instrumentum fuerit salutis: quae non solum in Adamo non peccaverit, sed tam Adamo quam posteritati universae profuerit: quae non solum Evae damnum non persenserit, sed illud contra deleverit: quae non solum obnoxia non fuerit seductioni satanae, sed illam potius obliterarit: quae non solum non receperit verbum aedificatorium mortis, sed contra verbum aedificatorium vitae ad communem reparationem conceperit: quae tandem censeri peccato originis obstricta nequeat, quin ordo humanae reparationis divinitus praestitutus labefactetur.

915. Cui deductioni roborandae mirifice conferunt quae germanus quaeque nothus Origenes litteris consignarunt. Prior enim sic [2]) habet: « Ante Iohannem prophetat Elisabeth, ante ortum Domini Salvatoris prophetat Maria. Et [3]) quomodo peccatum coepit a muliere, et deinceps ad virum usque pervenit; sic et principium salutis a mulieribus habuit exordium, ut ceterae quoque mulieres, sexus fragilitate deposita, imitarentur vitam conversationemque sanctarum earum, quae vel maxime nunc in Evangelio describuntur. » Alibi vero [a]) commemoratis [4]) Ieremiae verbis, *praevaricationem et*

a) In Ieremiam Hom. XIX. n. 7. pagg. 271. E-F. et 272. A. opp. T. III. Ἔμελλεν

1) Quo nomine appellatur Cain, quod in se lineamenta diaboli veluti genitoris expresserit.

2) In Lucam Hom. VIII. de eo quod scriptum est, *magnificat anima mea Dominum*, usque ad illum locum ubi ait, *timentibus effecit virtutem*, pagg. 940. col. 2. F. et 941. col. 1. A. opp. T. III.

3) In schedis Grabii et Combefisii haec ita graece efferuntur: Ὥσπερ ἤρξατο ἡ ἁμαρτία ἀπὸ τῆς γυναικός, καὶ μετὰ τοῦτο ἔφθασεν εἰς τὸν ἄνδρα· οὕτω καὶ τὰ ἀγαθὰ ἀπὸ τῶν γυναικῶν ἤρξατο, ἵνα προτραπῶσιν αἱ γυναῖκες τὴν ἀσθένειαν καὶ τὰ γυναικεῖα ἀποθέμεναι, ζηλῶσαι τοὺς βίους τῶν μακαρίων τούτων. *Sicut a muliere peccatum coepit, et postea ad virum pervenit; ita etiam bona ex mulieribus exorta sunt, ut mulieres deposita sua imbecillitate rebusque muliebribus, incitentur ad beatarum harum vitas imitandas.*

4) Ierem. XX. 8.

Digitized by Google

miseriam invocabo, subdit: « Violatura erat Iudith pactum cum Holopherne et dixit, *praevaricationem invocabo;* et sane praevaricationem invocavit. Utinam is et ego fiam qui dicam, *praevaricationem invocabo,* et invocem praevaricationem pacti cum serpente, pacti cum diabolo. Pactum olim iniit serpens cum Eva. Illi haec erat amica, et amicus serpens mulieri. Sed Deus utpote bonus pacta haec dissolvi, et amicitiam hanc pravam deleri curavit, et uti bonus Deus [1]) dicit: *inimicitiam ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius.* Pie igitur audiamus quo pacto Deus inimicitiam inter hanc et illam ponat, ut amicitiam inter illam et Christum conciliet. Fieri enim nequit ut quis contrariorum simul amicus sit. Et sicut nemo [2]) potest duobus dominis servire, ita nemo potest amicus esse Deo et mammonae, amicus Christo et serpenti, sed necesse est ut amicitia Christi inimicitias generet cum serpente, et amicitia serpentis inimicitias pariat cum Christo. »

916. Sepono quae hisce similia Origenes [3]) tradit ubi Matthaeum enarrat, et ad Pseudo-Origenem venio, qui [4]) Archangeli verbis, *Ioseph fili David ne timueris accipere Mariam coniugem tuam,* hunc subiicit [5]) commentarium: « Accipe eam sicut commodatum caelestem thesaurum, deitatis divitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam. Accipe eam sicut Unigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut creatoris omnium

ἀθετεῖν τὰς πρὸς Ὀλοφέρνην συνθήκας ἡ Ἰουδὴθ· εἶπεν, ἀθεσίαν ἐπικαλέσομαι, καὶ ἐπεκαλέσατό γε τὴν ἀθεσίαν· ὄφελον κἀγὼ τοιοῦτος γένωμαι, ἵνα εἴπω, ἀθεσίαν ἐπικαλέσομαι, καὶ ἐπικαλέσομαι τὴν ἀθεσίαν τὴν πρὸς τὸν ὄφιν, τὴν πρὸς τὸν διάβολον· συνθήκας ποτὲ ὁ ὄφις πρὸς τὴν Εὔαν ἐποιήσατο, καὶ ἦν αὐτῷ φίλη, καὶ ὁ ὄφις τῇ γυναικί· ἀλλ᾽ ὁ θεὸς ἐπραγματεύσατο, ὡς ἀγαθὸς, τὰς συνθήκας ταύτας λυθῆναι, καὶ τὴν φιλίαν ταύτην τὴν κακὴν διασκεδάσαι, καὶ ὡς ἀγαθὸς θεὸς λέγει· ἔχθραν θήσω ἀναμέσον σου, καὶ ἀναμέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀναμέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀναμέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· εὐγνωμόνως οὖν ἀκούοιμεν, πῶς ὁ θεὸς ἔχθραν ποιεῖ τὴν πρὸς τόνδε, ἵνα φιλίαν ποιήσῃ τὴν πρὸς τὸν Χριστόν· ἀδύνατον γὰρ ἅμα εἶναι φίλον τῶν ἐναντίων. καὶ ὥσπερ οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν, οὕτως οὐδεὶς δύναται εἶναι φίλος καὶ θεῷ καὶ μαμωνᾷ, φίλος καὶ Χριστῷ καὶ ὄφει· ἀλλὰ ἀνάγκη καὶ τὴν φιλίαν τὴν πρὸς Χριστὸν ἔχθραν ποιῆσαι πρὸς τὸν ὄφιν, καὶ τὴν φιλίαν τὴν πρὸς τὸν ὄφιν ἔχθραν γεννῆσαι τὴν πρὸς τὸν Χριστόν.

1) Gen. III. 15.
2) Matth. VI. 24.
3) In Matthaeum T. XIV. n. 10. pag. 643. A. opp. T. III.
4) Matth. I. 20.
5) Hom. 1. ex decem in diversos Matthaei et Iohannis locos, pag. 275. col. 1. B-C. inter opp. Orig. edit. Paris. MDCIV. De his homiliis consulendus est Fabricius in Biblioth. Graec. lib. V. cap. 1. pag. 233, T. VII.

Digitized by Google

propria, sicut regis caelestis sponsi domum immaculatam. » Et [1]) mox: « Patris etenim unigenitus Filius ex Virgine generatus est, ut illam virginem priorem Evam quae ceciderat iterum renovaret atque erigeret; et qui per pravam voluntatem filii effecti fuerant diaboli, per adoptionem gratiae filios efficeret Dei. » Quae multo etiam enarrat [2]) uberius, quum expendens [3]) verba, *ecce Virgo in utero accipiet,* ait: « Audite quod Virgo in utero accipiet, non ex desiderio partum concipiens, quae neque persuasione serpentis decepta est, neque eius afflatibus venenosis infecta. Virgo in utero accipiet, ut Deum [4]) dignanter incarnatum ad mundi pariat salutem, ad colligandum fortem armatum, ad conculcandum serpentis impii caput, ad conterendas vires eius. Pariet filium ad denuo reparandum Adam, ad inobedientiam Evae per Mariae obedientiam excludendam, ad erigendum iacentium genus, quod per mulieris temerariam credulitatem fuerat ante deiectum. »

917. Placuit itaque Deo non alium reparandi hominis ordinem seligere, quam quo detrimenta quaecumque omnia per virginem Evam illata, per virginem Mariam plenissime compensarentur. *Ab Eva prodit peccatum, per Mariam exstitit salutis initium. Eva amicitiam cum satana inivit, Deus Mariam inter atque satanam inimicitiam posuit. Fuit Eva Deo inobediens, at Deus illius inobedientiam per Mariae obedientiam exclusit. Eva aures satanae praebuit, eiusque viru corrupta fuit, sed Maria neque seductionem passa est, neque venenosis satanae afflatibus infecta. Cecidit Eva et innocentiae splendorem amisit, sed illam erexit ac renovavit Maria.* Denique *hominum genus per temerariam Evae credulitatem deiectum, per prudentem Mariae fidem fuit sublevatum.* Huc redit reparationis ordo quem Deus praeelegit, atque huc oeconomia redit qua Deus satanam, peccatum, et omnia quae peccatum consequuta sunt mala, sapientissime profligavit. Constare autem eiusmodi ordo sibi non potest, neque haec oeconomia sarta tectaque manere, nisi Virgo ab universali praevaricatione immunis credatur, eaque non aliter celebretur ac ut *caelestis thesaurus, perfecta iustitia, plenissima sanctitas, creatoris omnium propria, atque caelestis sponsi domus immaculata.*

1) Ibid. pag. 275. col. 1. D.
2) Ibid. pag. 275. col. 2. A-C.
3) Matth. I. 23.
4) *Animo* scilicet *benigno*, qua significatione hoc adverbio utuntur Vopiscus in Tacito, Sidonius lib. IV. epist. VII., lib. VII. epist. XVI., Symmachus lib. V. epist. LXV., et alii e recentioribus.

ARTICULUS IV.

De testimoniis commentariisque in eamdem sententiam conspirantibus quae inter ceteros ediderunt Cyprianus, vulgatus Gregorius neocaesariensis, Zeno veronensis, Ambrosius, Cyrillus hierosolymitanus, Epiphanius, Sophronius senior, Amphilochius, sincerus et subditicius Chrysostomus, Severianus, Proclus, Augustinus et Pseudo-Augustinus, Maximus taurinensis, Petrus Chrysologus, Theodotus ancyranus, Pseudo-Athanasius, Hesychius et Chrysippus hierosolymitani, Anastasius antiochenus, Basilius seleuciensis, Procopius gazaeus, auctores tractatuum adversus quinque haereses et de viro perfecto, Andreas cretensis, Iohannes euboeensis, Sedulius et Iohannes Geometra: superiorum confirmatio qua immaculatus Virginis conceptus pleniori luce collustratur.

918. Quod de modo atque oeconomia humanae reparationis ab antiquissimis patribus Iustino, Irenaeo, Tertulliano et Origene accepimus, quodque traditum ab iisdem novimus de virgine Maria, deque partibus quas ipsa tamquam nova ac multo felicior Eva esset expletura; iis doctrinae capitibus iure accensetur quae universali omnium professione continentur. Qua de re nullus omnino supererit ambigendi locus, si maiorum testimonia quae subiicimus, insignesque eorumdem enarrationes cura aliqua expendantur. Itaque [1]) martyr beatissimus Cyprianus ut contra Iudaeos ostendat, *signum nativitatis Christi futurum, ut de Virgine nasceretur homo et Deus, hominis et Dei filius,* ait: « Et [2]) adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: pete tibi signum a Domino Deo tuo in altitudinem sursum, et in altitudinem deorsum. Et dixit Achaz, non petam, et non tentabo Dominum Deum meum. Et dixit: audite itaque domus David, non pusillum vobis certamen cum hominibus, quoniam [3]) Deus praestat agonem. Propter hoc dabit Deus ipse vobis signum: ecce Virgo in utero accipiet et pariet filium, et vocabitis nomen eius Emmanuel. Hoc semen [4]) praedixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli, in Genesi. Tunc dixit Deus ad

1) Testim. con. Iudaeos lib. II. §. IX. pag. 28. edit. Felli.

2) Is. VII. 10.

3) In exemplaribus alexandrinis passim et penes Iustinum legitur, κυρίῳ παρέχετε ἀγῶνα: sed non defuisse exemplaria quae haberent, κύριος παρέχει ἀγῶνα, tum Cyprianus, tum allegationes apud Irenaeum et Tertullianum persuadent.

4) Gen. III. 14-15.

serpentem: quia tu hoc fecisti, maledictus tu ab omni genere bestiarum terrae. Pectore tuo et ventre repes, et erit tibi terra cibus in omnibus diebus vitae tuae. Et ponam inimicitiam inter te et mulierem et inter semen eius: ipse [1]) tuum observabit caput, et tu observabis calcaneum eius. »

919. Luculentiora sunt quae [a]) vulgatus neocaesariensis Gregorius de Virgine scribit: « Convenienter igitur sanctam Mariam ex omnibus generationibus solam gratia elegit. Nam prudens revera ac sapiens in cunctis erat; nec similis ei ex universis generationibus ulla umquam est reperta. Non sicut [2]) antea virgo Eva sola in paradiso chorum agens, relaxata mente per incuriam ab auctore omnis mali serpente verbum suscepit, et sic [3]) sensu mentis corrupta est, ac per ipsam fraudulentus venenum effundens mortemque admiscens, in omnem mundum introduxit; verum in sola sancta Virgine eius lapsus reparatus est. Neque prius sancta Virgo [4]) donum admisit, quam quis illud mitteret, et quodnam donum esset ac quis ferret addidicisset. » Tum Deum [b]) exhibet qui Gabrielem his verbis compellat: « Tu illud, *ave gratia plena*, ad Mariam dicito, ut ego aerumnosae atque afflictae miserear Evae. » Quibus auditis, ita secum loquentem Archangelum [c]) inducit: « Nova et inaudita haec

a) Orat. I. in Deiparae annunciat. pagg. 10. D. et 11. A-B. Πρεπόντως ἄρα τὴν ἁγίαν Μαριὰμ ἐκ πασῶν γενεῶν μόνην ἡ χάρις ἐκλέλεκται· σοφὴ γὰρ ὄντως κατὰ πάντα ἐτύγχανεν· οὐχ ὁμοία αὐτῇ ἐκ πασῶν γενεῶν τὶς γέγονεν πώποτε· οὐχ ὡς ἡ πρώην παρθένος Εὔα μόνη ἐν παραδείσῳ χορεύουσα, χαύνῃ τῇ διανοίᾳ, ἀπεριέργως παρὰ τοῦ ἀρχεκάκου ὄφεως τὸν λόγον ἐδέξατο, καὶ οὕτως ἐφθάρη τὸ τῆς διανοίας φρόνημα· καὶ δι' αὐτῆς ὁ δόλιος τὸν ἰὸν ἐκχέας, καὶ τὸν θάνατον συγκεράσας, εἰς πάντα τὸν κόσμον εἰσήγαγεν· ἀλλ' ἐν μόνῃ τῇ ἁγίᾳ παρθένῳ τὸ ἐκείνης πταῖσμα ἀνασέσωσται· καὶ οὐ πρότερον ἡ ἁγία τὸ δῶρον ἐκαρτέρησεν ὑποδέξασθαι, πρὶν ἂν μάθῃ τὶς ὁ πέμπων, καὶ τί τὸ δῶρον, καὶ τὶς ὁ φέρων.

b) Orat. III. in Deiparae annunciat. pag. 27. D. Σὺ εἰπὲ τῇ Μαριὰμ τὸ, χαῖρε κεχαριτωμένη· ἵν' ἐγὼ ἐλεήσω Εὔαν τὴν κεκακωμένην.

c) Ibid. pag. 28. A. Ξένον τὸ πρᾶγμα τοῦτο· ὑπερβαῖνον ἔννοιαν τὸ λαλούμενον· ὁ πάσαις ταῖς οὐρανίαις δυνάμεσιν ἀκατανόητος, ἰδικὴν συντυχίαν ἐπαγγέλλεται κόρῃ· αὐτοπρόσωπον παρουσίαν μηνύει, μᾶλλον δὲ εἴσοδον δι' ἀκοῆς ὑπισχνεῖται· καὶ ὁ τὴν Εὔαν καταδικάσας, τὴν αὐτῆς θυγατέρα τοσοῦτον δοξάζει ἐπείγεται;

1) « Vulgata lectio, *inquit Fellus*, quae *ipsam* retinet, nullos haberet fautores in erudito hoc seculo, si non plus valeret partium quam veritatis utcumque manifestae studium. Certe Irenaeus ter locum eo prorsus modo quo auctor noster citat. Observandum vero in graecis exemplaribus olim lectum fuisse, αὐτός σου τηρήσει, licet ipsos scripsisse τηρήσει minime sit dubium. » Verum de his opportune inferius.

2) Al. ἡ πρώτη παρθένος, *prima virgo*.

3) Al. τῷ τῆς καρδίας φρονήματι, *mente cordis*.

4) Donum intelligit divinae maternitatis, quod illi Archangelus obtulit.

res est. Intelligentiam superant quae dicuntur. Quem cunctae Virtutes caelestes comprehendere intellectu non valent, is suum promittit puellae congressum, suaeque ipsius personae adventum denunciat, imo vero ingressum per auditum pollicetur. Et qui Evam condemnavit, eius filiam tantopere glorificare contendit?» Ita plane [a]), siquidem « Angelus Dei iussa in se recipiens et exsequi volens, Virginem adiit et clara eam voce compellavit dicens: ave gratia plena, Dominus tecum. Non amplius diabolus erit contra te: nam ubi antea hostis ille vulnus infligit, illic primum nunc medicus salutis medicamentum adhibet. Unde mors prodiit, inde vita sibi ingressum paravit. Per mulierem mala fluxerunt, et per mulierem bona emanant. Ave gratia plena. Ne quod mulier caussa damnationis exstiterit, erubescas: iudicis enim et redemptoris tu mater eris. Ave immaculata, viduati orbis sponsa simul et mater. Ave quae in tuo utero matris Evae mortem demersisti. »

920. Cui praeclarissimae doctrinae suffragatur Zeno veronensis ubi caritatis laudes [1]) celebrans exclamat: « O caritas, quam pia et quam opulenta! o quam potens! nihil habet qui te non habet. Tu Deum in hominem [2]) demutare valuisti. Tu eum [3]) breviatum paulisper ab maiestatis suae immensitate peregrinari fecisti. Tu virginali carceri novem mensibus religasti. Tu Evam in Mariam redintegrasti. Tu Adam in Christo renovasti. Tu sacram crucem in salutem perdito iam mundo providisti. Tu mortem Deum mori docendo vacuasti. » Consentit plus semel Ambrosius. Is enim [4]) est qui ad haec [5]) Lucae verba, *dixit autem Maria ad angelum, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognovi,* ait: « Videtur heic non credidisse Ma-

a) Ibid. pag. 29. B-D. Ὁ ἄγγελος ἐξεπλήρου τὸ προσταχθὲν, καὶ πρὸς τὸν παρθένον εἰσελθὼν, ἐβόησεν πρὸς αὐτὴν, λέγων· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· οὐκέτι ὁ διάβολος κατὰ σοῦ· ὅπου γὰρ τὸ πρότερον ἔτρωσεν ὁ πολέμιος, ἐκεῖ πρῶτον νῦν ὁ ἰατρὸς τῆς σωτηρίας τὴν ἔμπλαστρον ἐπιτίθησιν· ὅθεν ἐξῆλθεν ὁ θάνατος, ἐκεῖθεν ἡ ζωὴ τὴν εἴσοδον ἐκτήσατο· διὰ γυναικὸς ἐρρύει τὰ φαῦλα, καὶ διὰ γυναικὸς πηγάζει τὰ κρείττονα· χαῖρε κεχαριτωμένη· μὴ, ὡς αἰτία καταδίκης, αἰσχύνου· μήτηρ γὰρ τοῦ καταδικάσαντος καὶ λυτρώσαντος γίνῃ· χαῖρε, τοῦ χηρεύοντος κόσμου νυμφοτόκε ἀμίαντε· χαῖρε, ἡ ἐν μήτρᾳ τὸν μητρὸς βυθίσασα θάνατον.

1) Lib. I. Tract. II. de Fide, Spe et Caritate, §. IX. pagg. 24-25. edit. Veronae MDCCXXXIX.

2) Ita maiores nostri ante abortas haereses paullo licentius verbis abutebantur.

3) Verbum *breviare* non apud Lactantium modo in epitome cap. VIII., et Sidonium lib. II. epist. II., verum etiam apud Quintilianum lib. I. cap. IX. et Manilium lib. III. v. 461. reperitur.

4) Exposit. Evang. sec. Lucam Lib. II. n. 14. pagg. 1286. F. et 1287. A-C. opp. T. I.

5) Luc. I. 34.

ria, nisi diligenter advertas; neque enim fas est ut electa ad generandum unigenitum Dei Filium, fuisse videatur incredula. Quo autem modo fieri posset (licet salva praerogativa sit matris, cui profecto fuit amplius deferendum: sed ut praerogativa maior, maior etiam fides ei debuit reservari) quo ergo modo fieri posset, ut Zacharias qui non crediderat, silentio condemnaretur; Maria autem si non credidisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur? Sed neque non credere Maria, neque tam temere debuit usurpare: non credere angelo, usurpare divina. Neque enim facile erat scire mysterium absconditum a seculis in Deo, quod nec superiores potestates scire potuerunt. Et tamen non fidem renuit, non officium refutavit: sed accommodavit affectum, spopondit obsequium. Etenim quum dicit, *quomodo fiet istud,* non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quaesivit effectus. » Is est qui [1]) subdit: « Liquet enim quia faciendum esse crediderat, quae quomodo fieret, interrogavit. Unde et meruit [2]) audire, *beata quae credidisti.* Et vere beata, quae [3]) sacerdote praestantior; quum sacerdos negasset, Virgo correxit errorem. Nec mirum si Dominus redempturus [4]) mundum, operationem suam inchoavit a Maria; ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. » Atque is est [5]) qui commemorato Elizabeth vaticinio, pergit: « Sequitur Mariae, quo persona melior, eo prophetia plenior. Nec otiosum videtur quod et ante Iohannem Elizabeth prophetat, et Maria ante Domini generationem; serpunt enim iam tentamenta salutis humanae. Nam sicut peccatum a mulieribus coepit, ita etiam bona a mulieribus inchoantur; ut feminae quoque muliebria opera deponentes, infirmitati renuntient; et anima quae non habet sexum, ut Maria quae [6]) nescit errorem, religioso imitetur studio castitatem. »

1) Ibid. n. 17. pag. 1288. B-D.

2) Luc. I. 45.

3) Zacharia nimirum qui non credidit.

4) « Ex hoc loco, *notant Maurini editores*, manifestum est non minus Christum quum peccata ne fiant, gratiae praesidio impedit, quam quum dimittit perpetrata, redemptorem esse. Namque a matre dicitur inchoasse redemptionem, quoniam ne incredula esset angeli verbis, ipse prohibuit. Quo quidem uno eorum qui immaculatam Deiparae conceptionem impugnant, nodosissimum, ut ipsi putant, argumentum facili negotio distringitur atque disiicitur. » At I. si de gratia sermo est qua lapsus praeoccupatur, cur Virgo dicitur *prima*? Profecto eiusmodi non dicitur *tempore*; restat ergo ut *prima* dicatur *ordine* et *praestantia* redemptionis. Verum II. si Virgini defertur quod prima sit ordine et praestantia redemptionis, quid in eo maxime notatu dignum, quod ipsam Deus ab hac una incredulitatis culpa praeservarit? Patent ergo latius Ambrosii verba, et eam *per quam salus omnibus parabatur*, a communi reliquorum conditione perspicue eximunt.

5) Loc. cit. n. 28. pag. 1290. F.

6) Atqui de reliquis vulgo hominibus scriptum est Rom. III. 12. coll. Ps. XIII. 3. *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.*

Digitized by Google

921. Sed audiendus est Epiphanius qui antidicomarianitas refellens principio de Virgine [a]) scribit: « Haec est, quam adumbravit [1]) Eva, quae viventium mater quodam aenigmatis involucro nuncupatur. Siquidem Eva tum viventium est appellata mater, quum iam illud [2]) audisset, *terra es et in terram reverteris*, post admissum videlicet peccatum. Quod quidem admiratione dignum est, post illam offensionem tam praeclarum ei cognomen attributum. Ac si exteriora dumtaxat et sensibus obvia consideres, ab eadem hac Eva totius est in terris humani generis origo deducta. Revera tamen a Maria virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut et viventem pariat, et viventium Maria sit mater. Quocirca viventium mater adumbrata similitudine Maria dicitur. » Alias deinde Evae ac Mariae in opposito plane ordine similitudines [b]) recensens subdit: « Nam de duabus feminis [3]) dictum illud est: *quis dedit mulieri sapientiam, aut variegandi scientiam?* Etenim Eva illa prior sapiens mulier Adamo quem ipsa nudaverat, aspectabilia quaedam vestimenta contexuit: quippe eiusmodi est labore damnata. Quod enim nuditas illius opera reperta fuerat, hoc eidem datum negotium est, ut ad externam nuditatem tegendam corpus istud, quod sensibus expositum est, veste contegeret. At Mariae divinitus illud obtigit, ut agnum nobis atque ovem pareret, cuius ex splendore et gloria,

a) Adver. Haeres. Lib. III. T. II. Haeres. LVIII. col. LXXVIII. §. XVIII. pag. 1050. A-C. opp. T. I. Αὐτή ἐστιν ἡ παρὰ μὲν τῇ Εὔᾳ σημαινομένη, δι' αἰνίγματος λαβοῦσα τὸ καλεῖσθαι μήτηρ ζώντων· ἐκεῖ μὲν γὰρ μήτηρ ζώντων κέκληται, καὶ μετὰ τὸ ἀκοῦσαι, γῆ εἶ, καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ, μετὰ τὴν παράβασιν· καὶ ἦν θαῦμα, ὅτι μετὰ τὴν παράβασιν ταύτην τὴν μεγάλην ἔσχεν ἐπωνυμίαν· καὶ κατὰ μὲν τὸ αἰσθητὸν, ἀπ' ἐκείνης τῆς Εὔας πᾶσα τῶν ἀνθρώπων ἡ γέννησις ἐπὶ γῆς γεγέννηται· ὧδε δὲ ἀληθῶς ἀπὸ Μαρίας αὐτὴ ἡ ζωὴ τῷ κόσμῳ γεγέννηται· ἵνα ζῶντα γεννήσῃ, καὶ γένηται ἡ Μαρία μήτηρ ζώντων· δι' αἰνίγματος οὖν ἡ Μαρία μήτηρ ζώντων κέκληται.

b) Ibid. §. XVIII. pag. 1050. B-D. Περὶ γὰρ τῶν δύο γυναικῶν ἐλέχθη, τίς δέδωκε γυναικὶ σοφίαν, ἢ ποικιλτικὴν ἐπιστήμην; ἐπειδὴ γὰρ ἡ πρώτη σοφὴ Εὔα ὑφαίνουσα ἱμάτια τὰ αἰσθητὰ διὰ τὸν Ἀδὰμ, ὅνπερ ἐγύμνωσεν, αὐτῇ γὰρ ἐδόθη οὗτος ὁ κάματος· ἐπειδὴ γὰρ δι' αὐτῆς ἡ γύμνωσις εὕρηται, αὐτῇ δέδοται ἀμφιεννύειν τὸ σῶμα τὸ αἰσθητὸν διὰ τὴν γύμνωσιν τὴν αἰσθητήν· τῇ δὲ Μαρίᾳ δέδοται ὑπὸ θεοῦ, ὅπως τεκῇ ἡμῖν ἀρνίον καὶ πρόβατον, καὶ ἐκ τῆς δόξης αὐτοῦ τοῦ ἀρνίου καὶ προβάτου γένηται ἡμῖν, ὡς ἀπὸ πόκου ἐν σοφίᾳ, δι' ἀρετῆς αὐτοῦ ἔνδυμα ἀφθαρσίας.

1) Ratione ab ea non dissimili, qua prae Christo Rom. V. 14. Adamus audit *forma futuri*, ipsa quoque Eva Mariae typus et umbra nuncupatur.

2) Gen. III. 20.

3) Iob. XVIII. 36.

tamquam e vellere per eiusdem virtutem immortalitatis nobis vestis sapienter est confecta. » Hanc elegantem omnino antithesim secunda excipit quam Epiphanius [a]) proponit inquiens: « Aliud vero praeterea in utraque, Eva scilicet et Maria, considerari potest, et quidem admiratione dignum. Siquidem Eva generi humano caussam mortis attulit, per quam mors est in orbem terrarum invecta: Maria vitae caussam praebuit, per quam vita est nobis ipsa producta. Ob id Filius Dei in hunc mundum advenit, et [1]) *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*. Unde mors accidit, vita illuc accessit: ut in mortis locum vita succederet, et illatam a muliere mortem ille ipse qui e muliere natus erat, vita ut esset nostra, excluderet. » Et [b]) continuo: « Quoniam vero quum adhuc virgo in hortis Eva degeret, per contumaciam apud Deum offenderat, ideo gratiae propria ab Virgine manavit obedientia, postquam circumfusi corpore Verbi, sempiternaeque vitae de caelo est nuntiatus adventus. Nam illic ita serpentem Deus [2]) alloquitur: *inimicitiam ponam inter te et inter illam, inter semen tuum et semen illius*. Atqui nusquam eiusmodi semen mulieris inveniri potest. Unde non aliter quam per adumbrationem ac similitudinem ad Evam hostiles illae inimicitiae referuntur, quas cum huius stirpe serpens ille, et qui in serpente inerat invidia flagrans diabolus exercet. « Ecquodnam igitur putabimus sive huius umbrae corpus, sive huius simi-

a) Ibid. §. XVIII. pag. 1050. C-D. Ἀλλὰ καὶ ἕτερον περὶ τούτων διανοεῖσθαί ἐστι θαυμαστὸν, περί τε τῆς Εὔας καὶ τῆς Μαρίας· καὶ μὲν γὰρ Εὔα πρόφασις γεγένηται θανάτου τοῖς ἀνθρώποις· δι᾽ αὐτῆς γὰρ εἰσῆλθεν ὁ θάνατος εἰς τὸν κόσμον· ἡ δὲ Μαρία πρόφασις ζωῆς, δι᾽ ἧς ἐγεννήθη ἡμῖν ζωή· καὶ διὰ τοῦτο ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ παρεγένετο εἰς τὸν κόσμον· καὶ οὗ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις· καὶ ὅθεν γέγονε θάνατος, ἐκεῖ προέλαβεν ἡ ζωὴ, ἵνα ζωὴ ἀντὶ θανάτου γένηται, ἐκκλείσασα τὸν θάνατον τὸν ἐκ γυναικὸς, πάλιν ὁ διὰ γυναικὸς ἡμῖν ζωὴ γεγεννημένος.

b) Ibid. §. XVIII. pagg. 1050. D. et 1051. A. Καὶ ἐπειδὴ ἐκεῖ μὲν ἔτι οὖσα παρθένος ἡ Εὔα ἐν παρεκβάσει παρακοῆς γέγονε, πάλιν διὰ τῆς παρθένου γέγονεν ἡ ὑπακοὴ τῆς χάριτος, εὐαγγελισθείσης τῆς ἀπ᾽ οὐρανοῦ καθόδου ἐνσάρκου παρουσίας, καὶ ζωῆς αἰωνίου· ἐκεῖ γάρ φησι πρὸς τὸν ὄφιν, καὶ ἔχθραν θήσω ἀναμέσον σου, καὶ ἀναμέσον αὐτῆς, καὶ ἀναμέσον τοῦ σπέρματός σου, καὶ ἀναμέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς. οὐδαμοῦ δὲ σπέρμα εὑρίσκεται γυναικός· ἀλλ᾽ ἢ κατὰ τὸ αἴνιγμα ἐπὶ τῆς Εὔας λαμβάνεται ἡ ἔχθρα πρὸς ὑπ᾽ αὐτῆς γεννώμενα, τοῦ τε ὄφεως, καὶ τοῦ ἐν τῷ ὄφει γενομένου διαβόλου καὶ φθόνου.

1) Rom. V. 20.

2) Gen. III. 15.

Digitized by Google

litudinis exemplar? Aperit [a]) e vestigio Epiphanius his verbis: « Plane quidem ac perfecte accommodari ad illam (Evam) universa [1]) nequeunt; sed in sanctissima, eximia ac singulari stirpe, quae ab sola virgine Maria sine ulla viri consuetudine propagata est, reipsa ac penitus impletur. Hic enim illius Filius ad extinguendam serpentis vim et potentiam ad haec infima descendit. Propterea unicus e muliere Dei Filius processit, ut serpentem everteret. »

922. Ab his autem quae certissimum habent auctorem Epiphanium, ea plane seiuncta nolim quae Epiphanio tribuuntur, et quibus Maria primum [b]) celebratur veluti *sponsa caelestis, caelum, templum, thronus divinitatis et inexplicabile paradisi monile;* tum de eadem [c]) subditur: « Angeli accusabant Evam, nunc vero Mariam gloria prosequuntur, quae mulierum infirmitatem vere gloriosam reddidit, quae lapsam Evam erexit, et Adamum e paradiso deiectum in caelos misit: quae paradisum clausum aperuit, et per latronem rursum Adamum complantavit. Per te enim, o sancta Virgo, medius obstructionis paries inimicitias dissolvit: per te pax caelestis donata est mundo: per te homines facti sunt angeli: per te homines appellati sunt amici, servi et filii Dei: per te homines me-

a) Ibid. §. XIX. pag. 1051. A-B. Ἀλλ' οὐν γε κατὰ τὸ τελειότατον οὐ δύναται ἐν αὐτῇ τὸ πᾶν πληρωθῆναι· πληρωθήσεται δὲ ὡς ἀληθῶς ἐν τῷ σπέρματι τῷ ἁγίῳ, τῷ ἐξαιρέτῳ, τῷ μονωτάτῳ, τῷ ἀπὸ Μαρίας μόνον εὑρεθέντι, καὶ οὐκ ἀπὸ συζυγίας ἀνδρός· οὗτος γὰρ ἦλθεν ἀνελεῖν τὴν δύναμιν τοῦ δράκοντος· διὰ τοῦτο παρεγένετο ἐκ γυναικὸς ὁ μονογενὴς εἰς ἀναίρεσιν τοῦ ὄφεως.

b) Orat. de Virginis laudibus, pag. 300. A-B. inter opp. Epiphanii T. II. Οὐράνιος νύμφη Μαρία, ὁ οὐρανὸς καὶ ναὸς καὶ θρόνος τῆς θεότητος, τὸ ἀνεκλάλητον τοῦ παραδείσου κειμήλιον.

c) Ibid. pag. 300. B-D. Ἄγγελοι τὴν Εὔαν ἐμέμφοντο· νυνὶ δὲ τὴν Μαρίαν δοξάζουσιν, ἡ τὸ ἀσθενὲς τῶν γυναικῶν κυρίως δοξάσασα, ἡ τὴν πεσοῦσαν Εὔαν ἀναστήσασα, καὶ τὸν ἐκβληθέντα τοῦ παραδείσου Ἀδὰμ εἰς οὐρανοὺς ἀποστείλασα, ἡ τὸν κλεισθέντα παράδεισον ἀνοίξασα, καὶ διὰ λῃστοῦ πάλιν τὸν Ἀδὰμ καταφυτεύσασα· διὰ σοῦ γὰρ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ τὴν ἔχθραν κατέλυσεν, ὦ ἁγία παρθένε· διὰ σοῦ ἡ οὐράνιος εἰρήνη τῷ κόσμῳ ἐδωρήθη· διὰ σοῦ τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης ἐφωτίσθη· διὰ σοῦ ἄνθρωποι ἄγγελοι γεγόνασι· διὰ σοῦ φίλοι καὶ δοῦλοι καὶ τέκνα Θεοῦ ἄνθρωποι ἐκλήθησαν, καὶ διὰ σοῦ σύνδουλοι ἀγγέλων καὶ συνόμιλοι ἄνθρωποι ἠξιώθησαν γενέσθαι· διὰ σοῦ γνῶσις οὐράνιος καὶ δοξολογία ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναπέμπεται· διὰ σοῦ παῤῥησίαν ἄνθρωποι ἐν οὐρανῷ πρὸς τὸν ὕψιστον ἔχουσι· διὰ σοῦ σταυρὸς ἔλλαμψε κατὰ πάσης τῆς οἰκουμένης· διὰ σοῦ θάνατος πατεῖται, καὶ ᾅδης σκυλεύεται.

1) Quae in oraculo Gen. III. 15. continentur.

Digitized by Google

ruerunt esse conservi angelorum et cum eis familiariter conversari: per te notitia caelestis a terra transmittitur in caelos: per te homines fiduciam habent in caelo erga Altissimum: per te crux resplenduit per universam terram: per te mors conculcatur et spoliatur infernus. »

923. Expendit caussas incarnationis hierosolymitanus Cyrillus, atque hanc priore loco commemorat, ut Dei imago in homine expressa et diaboli fraude dehonestata ad pristinum decus revocaretur. « Lignea, *inquit* [a]), terreni regis imago honoratur, quanto magis rationabilis [1]) imago Dei? At maximum hoc opificiorum Dei in paradiso choros agens, inde [2]) diaboli eiecit invidia. Plaudebat sibi inimicus prostrato eo cui inviderat: an tu gaudentem voluisses inimicum permanere? Iste ad virum accedere propter firmitatem non ausus, ad mulierem uti ad imbecilliorem accessit, quum adhuc virgo esset: nam post suum e paradiso casum tunc [3]) cognovit Adam Evam uxorem suam.» Ubi vero de modo agit exsequendae incarnationis et reparationis perficiendae, inter cetera [b]) scribit: « Per virginem Evam subiit mors; oportebat per virginem seu potius de virgine prodire vitam: ut sicut illam decepit serpens, ita et huic Gabriel bonum nuncium adferret. »

924. De quo nuncio verba faciens [4]) Sophronius senior inquit: « Siquidem venerationis fuit delatio, oblatio muneris, famulatus obsequii. Quia etsi in sanctis patribus et prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena. In Mariam vero totius gratiae quae in Christo est plenitudo venit, quamquam aliter. Et ideo, inquit, *be-*

a) Catech. XII. §. V. pag. 165. D-E. Εἰκὼν ξυλίνη ἐπιγείου βασιλέως τιμᾶται· πόσῳ γε μᾶλλον εἰκὼν λογικὴ θεοῦ; ἀλλὰ τοῦτο τὸ μέγιστον τῶν δημιουργημάτων, ἐν παραδείσῳ χορεῦον, φθόνος ἐξέβαλε διαβολικός· ἐπέχαιρεν ὁ ἐχθρὸς πεπτωκότι τῷ φθονηθέντι· ἆρα ἐβούλου μένειν χαίροντα τὸν ἐχθρόν; οὗτος μὴ τολμήσας διὰ τὸ ἰσχυρὸν προσελθεῖν τῷ ἀνδρὶ, προσῆλθεν ὡς ἀσθενεστέρᾳ, τῇ γυναικὶ ἔτι παρθένῳ οὔσῃ· μετὰ γὰρ τὴν ἀπόπτωσιν ἐκ παραδείσου, τότε ἔγνω Ἀδὰμ Εὔαν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ.

b) Ibid. §. XV. pag. 169. E. Διὰ παρθένου τῆς Εὔας ἦλθεν ὁ θάνατος, ἔδει διὰ παρθένου, μᾶλλον δὲ ἐκ παρθένου, φανῆναι τὴν ζωήν· ἵνα ὥσπερ ἐκείνην ὄφις ἠπάτησεν, οὕτω καὶ ταύτην Γαβριὴλ εὐαγγελίσηται.

1) Gen. I. 26. De imagine autem Dei in homine, eiusdemque discrimine a similitudine disserit praeclare Cyrillus tum catech. IV. n. 18., tum catech. XIV. n. 10.

2) Sap. XI. 24.

3) Gen. IV. 1.

4) Ad Paulam et Eustochium de Virginis assumpt. cap. V. pag. 96. E-F. inter opp. Hieronymi T. XI.

Digitized by Google

nedicta tu in mulieribus, idest plus benedicta quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariae. » Quod verissimum esse insigniter confirmat Amphilochius iconiensis antistes, qui memorato [1]) Virginis partu [a]) exclamat: « Quae nova haec et mirabilis [2]) doctrina? Quae omnipotens et faciens mortalem divinae providentiae benevolentia? Quod grande astutissimumque stratagema adversus diabolum? Mundus assertus est in libertatem per Virginem, qui per virginem olim sub peccatum corruerat. Virginali partu tot tantaeque invisibilium daemonum copiae in tartarum praecipites datae sunt. Ubi vero nunc infensus ille et imperculsus: ille exitiosus, prorsusque exsecrabilis draco, qui edixerat [3]) fore ut thronum suum in sublime extolleret? »

925. Porro Iohannes Chrysostomus explanata [4]) priore oraculi parte qua serpenti poenae indicuntur, ad alteram progressus [b]) subdit: « Sed [5]) *et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, inter semen tuum et semen eius.* Neque hoc contentus ero quod super terram reptes, sed et inimicam foederisque nesciam faciam tibi mulierem: neque eam solam, sed et semen eius semini tuo hostem perpetuum faciam. » Idem ubi triumphum [6]) exaltat Christi resurgentis, post alia [c]) scribit: « Omnes proinde gaudeamus, exsultemus et laete-

a) Orat. in Christi natalem. §. IV. pagg. 465. C-D. et 466. A. apud Gallandium T. VI. *Τίς ἡ καινὴ καὶ παράδοξος αὕτη μυσταγωγία; τίς ἡ παντοδύναμος καὶ φθαρτοποιὸς τῆς θείας προνοίας εὐμένεια; τί τὸ δεινὸν καὶ πάνσοφον κατὰ τοῦ διαβόλου στρατήγημα; ἠλευθέρωται κόσμος διὰ παρθένου, ὁ διὰ ταύτης τὸ πρὶν ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν πεσών· διὰ παρθενικοῦ τοκετοῦ τεταρτάρωται δαιμόνων ἀοράτων τὰ τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα συστήματα· ἀλλὰ ποῦ νῦν ὁ δυσμενὴς καὶ ἀβρόντητος, ὁ ἀλάστωρ καὶ παμμίαρος δράκων, ὁ μετεωρίζειν εἰς ὕψος τὸν ἑαυτοῦ θρόνον ἐπαγγειλάμενος;*

b) In cap. III. Genes. Hom. XVIII. n. 7. pag. 143. C. opp. T. IV. *Ἀλλὰ καὶ ἔχθραν θήσω ἀναμέσον σου καὶ ἀναμέσον τῆς γυναικὸς, καὶ ἀναμέσον τοῦ σπέρματός σου καὶ ἀναμέσον τοῦ σπέρματος αὐτῆς· καὶ οὐδὲ τούτῳ ἀρκεσθήσομαι, τῷ ἐπὶ τῆς γῆς σύρεσθαί σε, ἀλλὰ καὶ ἔχθραν ἄσπονδον σοὶ καταστήσω τὴν γυναῖκα, οὐκ αὐτὴν μόνην, ἀλλὰ καὶ τὸ σπέρμα αὐτῆς τῷ σπέρματί σου πολέμιον διηνεκῆ ἐργάσομαι.*

c) Hom. in sanctum pascha n. 2. pag. 752. A-D. opp. T. III. *Πάντες τοίνυν χαίρω-*

1) Luc. II. 6-7.

2) Nuspiam sane divina potentia plenius eluxit, etsi immortalem mortalitate induere impotentis esse videatur. Hinc illud Deiparae: *fecit potentiam in brachio suo.*

3) Is. XIV. 13.

4) Gen. III. 14.

5) Gen. III. 15.

6) De hac homilia post Tillemontium et Savilium sic habet in praefixo eidem monito Montfauconius: *non dubito certe hanc homiliam a Chrysostomo vere habitam dictamque fuisse.*

mur. Nam etsi Dominus is sit qui vicit et tropaeum erexit, communis tamen laetitia, commune gaudium est .Nam propter nostram salutem omnia fecit: et per quae diabolus nos expugnavit, per ea ipsa Christus eum superavit. En ipsa arma accepit, ac per eadem ipsum prostravit. Quomodo autem, audi. Virgo, lignum et mors nostrae cladis symbola erant. Etenim virgo erat Eva, nondum enim virum noverat quando seducta est: lignum erat arbor: mors supplicium de Adamo sumtum. Viden' quomodo virgo, lignum et mors cladis nobis symbola fuerint? Iam vide quomodo eadem ipsa nobis victoriae caussa sint. Pro Eva Maria; pro ligno scientiae boni et mali, lignum crucis; pro morte Adami, mors Domini. Viden' eum iisdem armis vicisse, et iisdem profligatum esse? »

926. Eadem qua Chrysostomus aetate auctor ab alexandrino Cyrillo [1]) laudatus, laetitia gestiens propter natalem Christi diem [a]) petit: « Quare vero ex Virgine nascitur et virginitatem illibatam servat? Quia quondam virginem Evam decepit diabolus, idcirco ad Mariam, quae virgo erat, felicem nuncium Gabriel detulit. Sed decepta quidem Eva peperit verbum quod mortem intulit; at felicem nuncium accipiens Maria Verbum in carne genuit, quod vitam nobis

μεν, σκιρτῶμεν, ἀγαλλώμεθα· εἰ γὰρ καὶ ὁ δεσπότης ἡμῶν ἐνίκησε, καὶ τὸ τρόπαιον ἔστησεν, ἀλλὰ κοινὴ καὶ ἡμῶν ἡ εὐφροσύνη καὶ ἡ χαρά· διὰ γὰρ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν πάντα εἰργάσατο, καὶ δι' ὧν ἡμᾶς κατεπάλαισεν ὁ διάβολος, διὰ τούτων αὐτοῦ περιεγένετο ὁ Χριστός· αὐτὰ τὰ ὅπλα ἔλαβε, καὶ τούτοις αὐτὸν κατηγωνίσατο· καὶ πῶς, ἄκουε· παρθένος καὶ ξύλον καὶ θάνατος τῆς ἡμετέρας ἥττης γέγονε τὰ σύμβολα· καὶ γὰρ παρθένος ἦν ἡ Εὔα· οὐδέπω γὰρ ἄνδρα ἐγίνωσκεν, ὅτε τὴν ἀπάτην ὑπέμεινε· ξύλον ἦν τὸ δένδρον· θάνατος τὸ ἐπιθίμιον τὸ κατὰ τοῦ Ἀδάμ· εἶδες πῶς παρθένος καὶ ξύλον καὶ θάνατος γέγονεν ἡμῖν τῆς ἥττης τὰ σύμβολα; ὅρα τοίνυν πῶς καὶ τῆς νίκης αὐτὰ πάλιν γέγονε παραίτια· ἀντὶ τῆς Εὔας ἡ Μαρία· ἀντὶ τοῦ ξύλου τοῦ εἰδέναι γνωστὸν καλοῦ κατὰ πονηροῦ, τὸ ξύλον τοῦ σταυροῦ· ἀντὶ τοῦ θανάτου τοῦ Ἀδὰμ, ὁ δεσποτικὸς θάνατος· εἶδες δι' ὧν ἐνίκησε, διὰ τούτων αὐτὸν ἡττωμένον;

a) Hom. in Christi natal. diem, pag. 390. C-E. inter opp. Chrysost. T. VI. Διὰ τί δὲ ἐκ παρθένου τίκτεται, καὶ τὴν παρθενίαν ἀζήμιον τηρεῖ; ὅτι πάλαι παρθένον οὖσαν τὴν Εὔαν ἠπάτησεν ὁ διάβολος, διὰ τοῦτο παρθένον οὖσαν τὴν Μαριὰμ ὁ Γαβριὴλ εὐηγγελίσατο· ἀλλ' ἀπατηθεῖσα μὲν ἡ Εὔα ῥῆμα ἔτεκε θανάτου αἴτιον· εὐαγγελισθεῖσα δὲ ἡ Μαρία λόγον ἐν σαρκὶ ἐγέννησε, ζωῆς αἰωνίου ἡμῖν πρόξενον· τὸ ῥῆμα τῆς Εὔας ξύλον ἔδειξε, δι' οὗ τὸν Ἀδὰμ ἐκ τοῦ παραδείσου ἐξώσεν· ὁ λόγος δὲ ὁ ἐκ τῆς παρθένου τὸν σταυρὸν ἔδειξε, δι' οὗ τὸν λῃστὴν εἰς πρόσωπον τοῦ Ἀδὰμ, εἰς τὸν παράδεισον εἰσήγαγεν.

1) In libro ad Reginas, uti videre licet in monito apud Montfauconium, qui de hac homilia scribit, illam *aevo certissime Chrysostomi fuisse emissam.*

aeternam conciliat. Verbum Evae lignum indicavit, per quod lignum e paradiso Adamum expulit: Verbum autem quod ex Virgine prodiit, crucem exhibuit per quam latronem vice Adami in paradisum introduxit. » Hinc subditicius Chrysostomus Deo Gabrielem alloquenti haec tribuit [a]) verba: « Ego enim faber universae creaturae hanc Virginem ad salutem hominum desponsavi. Volo enim in virgineo utero hominum genus renovare: volo, attemperando me, iterum conflare imaginem quam formavi: volo nova formatione veterem formationem reparare. Ex terra virgine veterem hominem formavi, quem arreptum diabolus ut inimicum detraxit ac deiecit, meaeque delapsae imagini illusit. Volo nunc ego ex virgine terra mihi effingere novum Adamum, ut et natura pro se congruentem defensionem paret, et iure coronetur ab eo qui deiecit eam, inimicusque ignominia afficiatur. » Ipsum vero Gabrielem [b]) inducit Mariam [1]) ita salutantem: « Ave gratia plena. Prisca illa mater tua Eva legem transgressa, sententiam accepit ut in dolore pareret filios: tibi vero competit illud *ave*. Illa Cainum peperit et hac prole invidiam et caedem: tu vero paries filium vitam et incorruptionem afferentem. »

927. Divelli a Chrysostomo non debet Severianus Gabalorum episcopus, qui illius eloquentiam non aemulari dumtaxat verum etiam superare acriter contendit. Is ergo divinis verbis, *et inimicitiam ponam inter te et mulierem*, hunc adiecit [c]) commentarium:

a) Hom. in Deiparae annunciat. pag. 839. B-D. inter opp. Chrysost. T. XI. Ἐγὼ γὰρ ὁ τέκτων τῆς ὅλης κτίσεως, τὴν παρθένον ταύτην ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν ἀνθρώπων μεμνήστευμαι· θέλω γὰρ ἐν τῇ παρθενικῇ τῶν ἀνθρώπων ἀνανεῶσαι τὸ γένος· θέλω συγκαταβατικῶς ἀναχωνεῦσαι ἣν ἔπλασα, εἰκόνα· θέλω καινῇ πλάσει θεραπεῦσαι τὴν ἀρχαίαν διάπλασιν· ἐκ παρθένου γῆς ἔπλασα τὸν πρωτόπλαστον ἄνθρωπον· ἐκεῖνον δὲ λαβὼν ὁ διάβολος ὡς ἐχθρὸν περιέσυρε καὶ κατέβαλε, καὶ τῆς ἐμῆς εἰκόνος πεσούσης κατέπαιξε· βούλομαι νῦν ἐγὼ ἐκ τῆς παρθένου γῆς ἐμαυτῷ περιπῆξαι νέον Ἀδάμ, ἵνα καὶ ἡ φύσις ὑπὲρ ἑαυτῆς εὐπροσώπως ἀπολογήσηται, καὶ νομίμως στεφανωθῇ κατὰ τοῦ καταβάλλοντος αὐτήν, καὶ ὁ πολέμιος εὐλόγως καταισχυνθῇ.

b) Ibid. pag. 839. D. Χαῖρε κεχαριτωμένη· ἡ σὴ πρόγονος Εὔα παραβᾶσα τὸν νόμον, ἀπόφασιν ἔλαβεν ἐν λύπαις τέξειν τέκνα· σοὶ δὲ πρέπει τοῦ χαίρειν ἡ πρόσρησις· ἐκείνη τὸν Καῒν ἔτεκε, φθόνον καὶ φόνον γεννήσασα· σὺ δὲ γεννήσεις υἱὸν ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν παρέχοντα πᾶσι.

c) De mundi creat. Orat. VI. pag. 506. D. inter opp. Chrysost. T. VI. Ἐπεὶ ὡς φίλον ἠπάτησας, ὡς ἐχθρὸς ἐκβάλλῃ.

1) Similia conferantur in altera de annunciatione homilia, quae occurrit inter opera Chrysostomi T. II. pagg. 797. A., et 799 B-C.

Digitized by Google

« Quia simulata amicitia seduxisti, tamquam inimicus eiiceris. » Tum commemorata poena [1]) mulieri indicta, pergit [a]): « Quid igitur? Damnationi obnoxius est muliebris sexus, manetque in doloribus, nec vinculum solvitur? Venit Christus qui vinculum solvit: occurrit ea quae Dominum peperit, sexui patrocinans, sancta Virgo pro virgine; nam virgo erat Eva quum peccavit; damnatae dolorem solvit atque gemitum. Sicut enim si quis in regiam vocetur, suos honoribus augere studet, ac si in angustia fuerint liberare; sic sancta Virgo in regiam vocata ut divinae generationi ministraret; insolito donata partu, hanc primam gratiam petit imo accipit. Quia non decebat culpae obnoxiam feminam innoxium gignere, venit is qui primo Evae tristitiam per gaudium solvit. »

928. Confert Proclus constantinopolitanus episcopus Adamum cum Christo, ceterisque comparationis capitibus [b]) et hoc addit: « Ille mulierem habuit insidiatricem, hic Virginem habuit in thalamum. » Alibi vero [c]) exclamat: « Agite, spiritalem adspectemus [2]) serpentem, qui cum Evae filia sermones miscet et inobedientiae libellum abrogat. » Tum [d]) pergit: « Accurrant mulieres, quod mulier non mortis arborem ostendat, sed pariat fructum vitae. Accurrant matres eo quod Virgo mater inobedientiae arborem vitae ar-

a) Ibid. pagg. 508. E. et 509. A. Τί οὖν; ὑποβέβληται τῇ καταδίκῃ τὸ τῶν γυναικῶν γένος, καὶ μένει ἐν λύπαις, καὶ οὐ λύεται ὁ δεσμός; ἦλθεν ὁ Χριστὸς ὁ λύων τὸν δεσμόν, ἀπήντησεν ἡ κυριοτόκος ὑπὲρ τοῦ γένους ἀπολογουμένη, ἡ ἁγία παρθένος ἀντὶ τῆς παρθένου· παρθένος γὰρ ἦν καὶ ἡ Εὔα ὅτε ἥμαρτεν· ἔλυσε τὴν λύπην καὶ τὸν στεναγμὸν τῆς καταδεδικασμένης· ὥσπερ γὰρ ἐάν τις κληθῇ εἰς τὰ βασίλεια, σπουδάζει τοὺς ἰδίους τιμῆσαι, κἂν ὦσιν ἐν ἀνάγκῃ, ἀπολῦσαι· οὕτω κληθεῖσα ἡ ἁγία παρθένος εἰς τὰ βασίλεια ὑπηρετήσασθαι τῇ θείᾳ γεννήσει, ἐλθοῦσα εἰς ξένας ὠδῖνας ταύτην πρώτην, αἰτεῖ χάριν, μᾶλλον δὲ λαμβάνει· ἐπειδὴ οὐκ ἔπρεπε τὴν κατάδικον γυναῖκα γεννῆσαι τὸν ἀνεύθυνον, ἔρχεται ὁ λύων πρῶτον τῆς Εὔας τὴν λύπην διὰ χαρᾶς.

b) Orat. II. de Incarnat. Domini, §. III. pag. 621. B. apud Gallandium T. IX. Ἐκεῖνος γυναῖκα ἔσχεν ἐπίβουλον· οὗτος παρθένον ἔσχε θάλαμον.

c) Orat. IV. in natal. Domini, §. I. pag. 627. B. Δεῦτε ἴδωμεν τὸν νοητὸν ὄφιν, τὸν τῇ θυγατρὶ τῆς Εὔας προσομιλοῦντα, καὶ τὸ γραμμάτιον τῆς παρακοῆς ἀκυροῦντα.

d) Ibid. §. II. pag. 627. B-D. Γυναῖκες τρεχέτωσαν, ὅτι γυνὴ οὐ θανάτου δεικνύει φυτὸν, ἀλλὰ ζωῆς τίκτει καρπόν· μητέρες τρεχέτωσαν, ὅτι μήτηρ παρθένος τὸ ξύλον τῆς παρακοῆς διὰ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς διωρθώσατο· θυγατέρες συντρεχέτωσαν, ὅτι μητρικῆς παρακοῆς ὕβριν, θυγατρὸς ὑπακοὴ ἐξεδίκησε.

1) Gen. III. 16

2) Qua metaphorica *spiritalis serpentis* locutione Proclus Christum designat.

Digitized by Google

bore emendavit. Concurrant filiae, quod inobedientiae maternae iniuriam filiae obedientia vindicavit. » Qua satanas vehementissime perculsus, ita Proclo [a]) auctore, conquerebatur: « Eversum est mortis imperium, ut virginalis genuerit uterus. Ut incorrupta natura conceperit, periit daemonum natura. » Sed mox [b]) animos veluti resumens, semetipsum atque socios his verbis inflammavit: « Quid ergo? Ab struendis insidiis destiterimus, quod ea (Maria) magna vigilique custodia servetur? A naturali in eam affectionum contrarietate recesserimus, quod caeleste eam praesidium tutetur? Num enim nescio tunc summo cum discrimine armari fortem, quum thesaurus tuto vigilique praesidio servatur? Frustra latronem insidias struere, quum paterfamilias non dormierit? » Neque his contentus [c]) subiecit: « Enimvero iterum ne cum secunda Eva nobis instat certamen? Instruenda ne acies adversus impollutam mulierem? Rursum ne cogimur adorare secundum Adam? Iterum ne post nos formato iubemur parere? Rursum ne praecipitur regiam imaginem procumbentes adorare? At certe mulier illa [1]) terreni oculorum spectaculo [2]) capta levi manu prostrata iacuit; haec autem in manibus

a) Orat. VI. de Virginis laudibus, §. XV. pag. 643. B. Ἀνετράπη ἡ θανατικὴ βασιλεία, ἐὰν ἡ παρθενικὴ γεννήσῃ κοιλία· ἐὰν ἄφθορος συλλάβῃ φύσις, τέθνηκε τῶν δαιμόνων ἡ φύσις.

b) Ibid. §. XVI. pag. 643. E. Τί οὖν; ἀποστῶμεν τῆς ἐπιβουλῆς, ὅτι μεγάλης ἠξίωται αὐτὴ φυλακῆς; ἀναχωρήσωμεν τῆς ἀντιπαθείας, ὅτι ὑπὸ τῆς ἄνω σκέπεται συμμαχίας; μὴ γὰρ οὐ γινώσκω κἀγὼ, ὅτι ἐπισφαλῶς ὁπλίζεται ὁ ἰσχυρὸς, ὅτε ἀσφαλῶς φυλάττεται ὁ θησαυρός; εἰς μάτην ὁ κλέπτης ἐφεδρεύει, ὅτε ὁ οἰκοδεσπότης μὴ καθεύδῃ;

c) Ibid. §. XVI. pag. 644. A-B. Ἀλλὰ πάλιν ἡμῖν ἐστι πρὸς δευτέραν ὁ πόλεμος; πρὸς ἄφθορον γυναῖκα ἡ παράταξις; πάλιν τὸν δεύτερον ἀναγκαζόμεθα προσκυνεῖν Ἀδάμ; πάλιν ὑπὸ τοῦ μεθ' ἡμᾶς πλαττομένου ἄρχεσθαι κελευόμεθα; πάλιν τῇ βασιλικῇ προσταττόμεθα εἰκόνι ἐγκύπτειν; ἀλλ' ἐκείνη μὲν ἡ γυνὴ τοῦ χοϊκοῦ, ὑπὸ τῶν ὀφθαλμῶν εὐχέρως καταβέβληται· αὕτη δὲ ὑπὸ τῶν χειρῶν παρειλημμένη τοῦ ἐπουρανίου, ἰσχυρῶς τετείχισται· ἐκείνη τοῦ ξύλου ἐμφορηθῆναι ἐπεθύμησε· αὕτη τούτου οὐδὲν ἐνθυμηθῆναι ἐπένευσεν· ἐκείνη τὴν συμβουλίαν ἡδέως ἐδέξατο· αὕτη καὶ τὴν ἀκοὴν ταχέως ἠσφαλίσατο· ἐκείνη τὴν πεῦσιν περιεπτύξατο· αὕτη καὶ τὴν διήγησιν ἐβδελύσατο· ἐκείνη τῆς βρώσεως τοῦ δένδρου ἐρασθεῖσα, θεοποιΐαν ἐφαντάζετο· αὕτη τῆς ἑνώσεως τοῦ δεσπότου ἀξιωθεῖσα, εἰς δοξολογίαν ηὐτρεπίζετο· ἐκείνη τῆς φθορᾶς μεταλαβοῦσα, τῆς ὑπερκειμένης ἀξίας λαβέσθαι διενοεῖτο· αὕτη τῆς θείας χαρᾶς ἐντὸς γενηθεῖσα, τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθενείας οὐκ ἐπιλανθάνεται.

1) Respicit ad verba Pauli I. Cor. XV. 47. seq., et sicut τοῦ χοϊκοῦ *terreni* nomine Adamum, ita τοῦ ἐπουρανίου *caelestis* appellatione Christum designat.

2) Gen. III. 6.

Digitized by Google

caelestis suscepta, ceu forti vallo munita consistit. Illa in ligni cupiditatem exarsit; huic ne quid eiusmodi etiam in mentem venit. Illa consilium facillime probavit; ista aures etiam quam cito obseravit. Illa sciscitantis eloquia est amplexa; ista narrationis quoque verba [1]) abhorruit. Illa fructus arboris amore capta, deam se fore comminiscebatur; ista Domini unione dignata ad Dei se laudes componebat. Illa quum [2]) corruptionem adiret, eminentem se dignitatem capessere cogitabat; in divinum haec [3]) gaudium intrans, humanae non obliviscitur imbecillitatis. »

929. Quae quidem etsi deterrere satanam possent ac deberent, haud tamen effecerunt ut ipse omnino conquiesceret. Quare apud Proclum [a]) ita pergit: « Ergo ne satanicus cuneus virginalem hunc non subvertet murum? Num spe frustrabimur, si a laboris mole nequaquam desistamus? Numquid ab exspectatione decidemus, si a vincendi contentione pertinacique studio non recesserimus? Ceterum quum neque virginali officinae insidiari licuerit, nec mentis agrum valuerimus obturbare, ac neque proli quae utero gestatur, potuerimus resistere, tunc illibatam Virginis conceptionem calumniae iaculis impetemus. Obtrectemus mysterio, quo in iudicium traxerimus: proscindamus conviciis pudicitiam, quo ei supplicium inferamus, incusemus arcanum uteri partum, quo ad iudaicum deferamus severum tribunal. » Finem vero debacchandi [b]) facit inquiens: « Deleatur ac pereat immaculatum ostreum, ne pretiosum in eo exsistens

a) Ibid. §. XVI. pag. 644. B-C. Ἆρα τὸ σατανικὸν στῖφος οὐ κατασείσει τὸ παρθενικὸν τεῖχος; ἆρα τῶν ἐλπίδων ἀποτυγχάνωμεν, ἐὰν τῶν πόνων μὴ κατολιγορήσωμεν; ἆρα τῆς προσδοκίας διαμαρτάνωμεν, ἐὰν τῆς φιλονεικίας μὴ ἀναχωρίσωμεν; ὅτε δὲ καὶ τῷ ἐργαστηρίῳ τῆς παρθενίας μὴ δυνηθῶμεν ἐπιβουλεῦσαι, καὶ τῷ χωρίῳ τῆς διανοίας μὴ ἰσχύσωμεν παρενοχλῆσαι, καὶ τῷ ἐμβρύῳ τῆς κοιλίας μὴ δυνηθῶμεν ἀντοφθαλμῆσαι· τότε τοῖς συκοφαντικοῖς πλήξομεν βέλεσι τὴν ἄφθορον τῆς παρθένου σύλληψιν· διαβάλλωμεν τὸ μυστήριον, ἵνα ἑλκύσωμεν εἰς κριτήριον· λοιδορήσωμεν τὴν ἁγνείαν, ἵνα ἐπάγωμεν τιμωρίαν· διασύρωμεν τὴν μυστικὴν κυοφορίαν, ἵνα προσενέγκωμεν εἰς ἰουδαϊκὴν ἀποτομίαν.

b) Ibid. §. XVI. pag. 645. A. Τὸ ἄσπιλον ὄστρειον ἀφανισθῇ, ἵνα μὴ ὁ πολυτίμιος ἐν αὐτῷ μαργαρίτης τελεσφορηθῇ· εἰ δὲ καὶ τὸ δόρυ τῆς ἡμετέρας πονηρίας μὴ τρώσῃ τῆς παρθένου τὴν σύλληψιν, ἀλλὰ τὸ τοῦ Ἡρώδου τῆς βασκανίας ξίφος τοῦ τικτομένου βρέφους πλήξει τὴν γέννησιν· αὐτὸς γὰρ ὑπὲρ ἡμῶν τὸν καθ' ἡμῶν πολεμήσει Χριστόν.

1) Scilicet tamdiu repudiavit Virgo angelicam salutationem, et tamdiu priscas verita insidias ab ea abhorruit, quamdiu non probe novit caelestem esse nuntium qui illam compellabat.

2) Cum fructum ederet interdicti ligni, et in mortem corruptionemque laberetur.

3) Matth. XXV. 21-23.

margaritum perfectum prodeat. Sin autem nostrae nequitiae hasta virginalem conceptionem vulnerare nequiverit; at certe herodiani livoris gladius infantis partu editi nativitatem feriet. Ipse namque pro nobis adversus hostem nostrum Christum bellabit. »

930. Hisce ex Proclo desumptis ea accedunt quae in certis iuxta dubiisque Augustini operibus obvia sunt. In illis namque [1]) invenimus: « Iisdem gradibus, quibus perierat humana natura, a Domino Iesu Christo reparata est. Adam superbus, humilis Christus: per feminam mors, per feminam vita: per Evam interitus, per Mariam salus. Illa corrupta [2]) sequuta est seductorem, haec integra peperit Salvatorem. Illa poculum a serpente propinatum libenter accepit et viro tradidit, ex quo simul mererentur occidi: haec gratia caelesti desuper infusa vitam protulit, per quam caro mortua possit resuscitari. Quis est qui haec operatus est, nisi Virginis Filius, et virginum sponsus? Qui adtulit matri fecunditatem, sed non abstulit integritatem. Quod contulit matri suae, hoc donavit et sponsae suae. Denique sancta Ecclesia quae illi integro integra coniuncta est, quotidie parit membra eius et virgo est. » In iisdem [3]) haec invenimus quibus Christi corpus de femina formatum suadet inquiens: « Huc accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors acciderat, vita nobis per feminam nasceretur: ut de utraque natura, idest feminina et masculina, victus diabolus cruciaretur, quoniam de ambarum subversione laetabatur; cui parum fuerat ad poenam si ambae naturae in nobis liberarentur, nisi etiam per ambas liberaremur. » Quibus omnino respondent quae tum [4]) habet, quum ad vivum depicta protoparentum ruina pergit: « Quid est enim femina, fratres, agnoscite. Muscipulum est animae, latrocinium vitae, suavis mors, blanda percussio, interfectio lenis, pernicies delicata, malum libens, sapida iugulatio: omnium enim calamitas [5]) rerum, mulier. Quando non deceperit [6]) mundum, quae peccare fecit et caelum? O mulier ista exsecranda, dum decepit! o iterum

1) De symb. ad catechumenos lib. III. cap. IV. n. 4. pag. 420. E-F. opp. T. VI.

2) Non alia heic intelligi *corruptio* potest, nisi quae ex peccato profecta animum inficit. Quum igitur Virgo dicatur *integra*, oppositionis ratio exigit ut ea integritas significata existimetur, quae nullum peccati detrimentum subierit.

3) De agone christiano, cap. XXII. n. 24. pag. 187. B. opp. T. VI.

4) Serm. I. de Adam et Eva et sancta Maria, n. 3. pag. 2. apud Mai in nova pp. biblioth. T. I.

5) Hanc invectionem in mulierem aliis verbis Augustinus repetit in Serm. de nuptiis Mill. T. I. col. 813.

6) Al. *deciperet*.

beata colenda, dum salvat! Plus enim contulit gratiae quam doloris. Licet ipsa docuerit mortem, ipsa tamen genuit Dominum Salvatorem. Inventa est ergo mors per mulierem, vita per Virginem: uterque [1]) tamen ex virgine, et sine virilis coitus permixtione. » Hinc primi cum altero Adamo multiplici comparatione instituta [2]) subdit: « Ergo malum per feminam, imo et per feminam bonum: quia si per Evam cecidimus, magis stamus per Mariam: per Evam sumus servituti addicti, effecti per Mariam liberi: Eva nobis sustulit diuturnitatem, aeternitatem nobis Maria condonavit: Eva nos damnari fecit per arboris pomum, absolvit Maria per arboris sacramentum, quia et Christus in ligno pependit ut fructus. » Ubi vero satanae tentationem describit, his utitur [3]) verbis: « Paciscitur de interitu viri cum femina, subarrat inferos, seponit mortem. Tale praemium dederat coniugi, unde et maritus posset occidi. O summum malum atque acutissimum diaboli telum, mulier! Femina munerat inferos, et spoliat caelum. Quanta calamitas rerum! Viscarium serpentis est femina; inde diabolus aucupatur. Exsecranda est mulier ista, dum decipit. O iterum recolenda dum salvat! Plus enim dedit gratiae quam doloris. Quod enim ipsa vulneraverat, ipsa iterum sanat. Licet Eva genuit mortem, sed tamen Maria peperit Salvatorem. » Denique respiciens [4]) ad effatum psalmi, *accingere gladium tuum* [5]) *circa femur tuum, potentissime,* postquam [6]) monuit, *gladium bis acutum esse Verbum et carnem,* illico [7]) addit: « Intendite, dilectissimi, istum gladium bis acutum, ex una parte artem exercere medicinae, ex alia ultioni servire iustissimae poenae. Gladium bis acutum: signum crucis pereuntibus stultitia est, iis autem qui salvi fiunt, virtus Dei est. Accingere ergo gladium tuum circa femur, potentissime; ut ex femore tuo nostra resurgat redemptio, quia ex femore Adae nostra processit maligna perditio. In ipso enim nostra proles est damnata, quando eius castam mulierem serpentinis fraudibus cognoscimus vitiatam. A muliere enim initium factum est peccati, et propter hanc omnes morimur. Quia ergo mors regnavit per mulierem, redeat ad nos vita per Virginem. »

1) Cf. quae prostant in biblioth. concionat. apud Combefisium T. II. pag. 143.

2) Serm. LI. n. 3. *Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam; reparando homini propinatur salus per feminam.*

3) Serm. LXXII. de Adam et Eva, n. 2. p. 142.

4) Ps. XLIV. 3.

5) Ita constanter casu quarto.

6) Serm. CXIX. de accedentibus ad gratiam, n. 18. pag. 263.

7) Ibidem pagg. 263-264.

Digitized by Google

931. Ab his porro quae ex indubitatis Augustini operibus hausimus, ea nullatenus abludunt quae dubiis illius operibus continentur. Atque ea imprimis nullatenus abludunt, quibus [1]) de vaticinio [2]) loquens, *femina circumdabit virum*, scribit: « Advertite, fratres, et me potius vestro intellectu praecedite: *femina,* inquit, *circumdabit virum.* O femina super feminas benedicta, quae et virum non cognovit, et virum in utero circumdedit. Circumdat Maria virum angelo fidem dando, quia Eva perdidit virum serpenti consentiendo. » Ea deinde nullatenus abludunt quibus [3]) de natali Domini ait: « Sed tanti huius conceptus et partus caussam et miraculum pertractemus. Ut igitur vitiorum sordibus obsoletus horribiliter squalesceret mundus ab origine iam in paradiso captivus, femina caussa fuit. Sic enim [4]) scriptum est: *a muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.* Et [5]) apostolus Paulus, *vir,* inquit, *seductus non est, mulier autem seducta in praevaricatione facta est.* Per hanc ergo mundus aerumnabili servitute depressus, sub iugo diaboli anxia colla submiserat: a quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. Cum per has igitur temporum gyrantium rotas mundiale curriculum volveretur, neque quispiam mederetur; et ingravescentibus culpis, ruinae praecipitis ictu et fremitu totius orbis membra pulvescerent et nemo succurreret: ad feminam caussa revertitur, et origo per originem detruncatur. Origo peccati per genitricem Christi extincta est, prosapies impietatis per prosapiem pietatis ablata est, stirps mortis per stirpem vitae. » Neque haec [6]) abludunt: « *Benedicta* [7]) *tu inter mulieres,* quae vitam et viris et mulieribus peperisti. Ede inculpabilis femina inviolabilem virum, et sic et feminam salvabis et virum. Mater generis nostri poenam intulit mundo, genitrix Domini nostri salutem et feminae peperit et viro. Auctrix illa peccati [8]) maledicta: sic enim in eam sententia decreti principalis invehitur, maledicta tu inter mulieres. Auctrix ergo haec meriti benedicta; ita enim ad eam caelestis nuntius infert: benedicta tu inter mulieres. Illa occidendo obfuit, ista vivificando profuit: percussit illa, ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commuta-

1) Serm. CXIX. in nat. Domini III. n. 3. pag. 152. F. inter opp. August. T. V. in appendice.
2) Ierem. XXXI. 22.
3) Serm. CXX. in nat. Domini IV. n. 2. pag. 153. E-F.
4) Eccli. XXV. 33.
5) II. Tim. II. 14
6) Serm. CXX. in nat. Domini IV. n. 4. pag. 154. B-C.
7) Luc. I. 28.
8) Gen. III. 16.

tur, et fides pro perfidia compensatur. » Consonant [1]) quae addimus: « Quoniam diabolus per serpentem Evae loquutus, per Evae aures mundo intulit mortem; Deus per angelum ad Mariam protulit verbum, et cunctis seculis vitam effudit, angelus sermonem eiecit, et Christum Virgo concepit. » Et [2]) mox: « Facta est Maria restauratio feminarum, quia per ipsam a ruina primae maledictionis probantur esse subtractae. Tria denique mala Evae a tribus bonis Mariae probantur exclusa. Nam Evae [3]) dictum est: *in doloribus et in tristitia paries, et ad virum conversio tua, et ipse dominabitur tui.* Tribus ergo his malis se subiugant feminae quae Mariam non sequuntur, dolori, tristitiae, servituti. Maria autem e contrario quam praeclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta, salutationis angelicae, benedictionis divinae et plenitudinis gratiae. Sic enim eam legitur angelus [4]) salutasse: *ave Maria, gratia plena, benedicta tu inter mulieres.* Cum dixisset *ave,* salutationem illi caelestem exhibuit: cum dixit, *gratia plena,* ostendit ex integro iram exclusam primae sententiae, et plenam benedictionis gratiam restitutam: cum dixit, *benedicta tu inter mulieres,* virginitatis eius benedictum fructum expressit. Benedicta tu inter mulieres: maledicta enim Eva fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionis gloriam remeasse. » Reliqua [5]) tacitus praetereo, atque his [6]) absolvo: « Sed quare Deus noster nascendo per Virginem, nos sic voluit reformare ad vitam? Ut quia per mulierem in hunc mundum mors intravit, salus per Virginem redderetur. »

932. Eadem est doctrina quam [7]) Maximus taurinensis profitetur inquiens: « Nascitur Christus ex femina, ut sicut Adam decipientem per Evam diabolum non potuit praecavere, ita diabolus adventantem per Mariam Deum [8]) non deprehenderet esse praesentem. Parturit ergo femina salutem mundi, ut quae extiterat fomes iniquitatis, fieret ministra iustitiae, et per quam mors sibi in hunc mundum aditum patefecit, per eam ad nos vita haberet ingressum. » Neque alia est quae in sermone Maximi nomen [9]) praeferente continetur: « Quod per protoplasti negligentiam primae matris con-

1) Serm. CXXIII. in nat. Domini VII. n. 1. pag. 157. C.
2) Ibid. n. 2. pag. 157. E-F.
3) Gen. III. 16.
4) Luc. I. 28.
5) Loc. cit. n. 3. pag. 158. A., et Serm. CXXV. in nat. Domini IX. n. 2. pag. 159. A.
6) Ibid. n. 3. pag. 159. B.
7) Hom. Hiemal. XV. de nat. Domini X. pag. 42. A-B.
8) Al. *Dominum.*
9) Serm. de Sanctis, Serm. XI. de Virginis

Digitized by Google

tumax tam arrogantia quam gula perdiderat, huius sacrae Virginis partus non solum restauravit diruta, sed etiam tribuit aeterna. Et idcirco cunctis praeconiis veneremur auctricem, quae dum auctorem suum concepit e caelo, nobis redemptorem genuit in seculo. »

933. Suffragatur [1]) Petrus chrysologus his verbis: « *Benedicta tu in mulieribus*. Quia in quibus Eva maledicta puniebat viscera tunc, in illis gaudet, honoratur, suscipitur Maria benedicta. Et facta est vere nunc mater viventium per gratiam, quae mater extitit morientium per naturam. » Suffragatur [2]) quum scribit: « Audistis hodie Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, ut homo cursibus eisdem quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva angelus egerat de ruina. » Itemque [3]) suffragatur quum felicissima protoparentum conditione depicta, subdit: « Sed omnia haec ne haberet homo, angelus qui inter primos habebatur invidit, maluitque in diabolum commutari, ne [4]) hominem plenum gloria sic videret. Denique hoc livore succensus aggreditur dolis feminam, virginemque ut vetitum degustaret pomum inducit: inducta virgo inducit virginem mox maritum, ac deiecit vitae statum mortis cibum, peccati pabulum dum ministrat; et ipsa fit totius materia ruinae, quae facta fuerat ad solatium singulare. Hinc peccatum primum, hinc origo mortis, hinc labor, hinc dolor, hinc gemitus, hinc amara propagata est nostrae conditio servitutis. Hinc est, fratres, hinc est quod Christi talis est ordo nascentis: ad virginem diabolus venerat, venit angelus ad Mariam, ut quod malus deiecerat angelus, bonus angelus allevaret. Perfidiam suasit ille, hic fidem: suasori credidit illa, ista credit auctori. Nascitur Christus, ut nascendo corruptam redintegret naturam: portat hominem, ne iam cadere homo possit: quem terrenum fecerat, fecit esse caelestem: animatum humano spiritu, spiritum vivificat in divinum, et sic

assumpt. pag. 43. A-B. Inter opp. Maximi in app. De hoc sermone ita censet eruditus editor: « Combefisius in sua biblioth. pp. T. VIII. pag. 45. primus edidit sub nomine s. Maximi sermonem hunc depromptum ex cod. ms. s. Germani prateosis, quem deinde Andreas Gallandius T. IX. pag. 394. recudit. Cum nobis deficiant testimonia aliorum tum codicum, tum collectorum, nullum maius veritatis argumentum afferre possumus. Suppositum autem fuisse Maximo, dictionis dissimilitudo palam facit. Inscribi oportere *de annuntiatione* non vero *de assumptione*, quisque eumdem legens plana cognoscit. »

1) Serm. CXL. de Virginis annuntiat. pag. 201. col. 1. A.

2) Serm. CXLII. de Virginis annuntiat. pag. 202. col. 1. C.

3) Serm. CXLVIII. de Incarnat. sacramento, pag. 211. col. 2. B-E.

4) Al. *quam hominem sic videre*.

eum totum tollit in Deum, ut in eo quod peccati, quod mortis, quod laboris, quod doloris, quod terrae est, nil relinquat. »

934. Insistit [1]) non semel eidem comparationi Theodotus ancyranus, aliisque de Virgine praeclarissime dictis haec etiam [2]) addit: « Hanc nobis conditore dignam donavit divina providentia bonorum conciliatricem, non quae ad inobedientiam incitet, sed quae ad obsequendum ductrix exsistat; non quae fructum letiferum porrigat, sed quae panem vitalem praebeat; non quae animo facile lasciviat, sed quae robusto sensu exsistat; non mollem cogitatione, sed mente firma; archangelo magnifice colloquentem et quae mali confuderit auctorem; ad angeli quidem adspectum mirantem, velut neptem Adamo dissimilem; quae tamen his quae nuntius afferret, animo prudens cautaque attenderet, ne forte iterum falso benevolus in templo ageutem, ut in paradiso inviseret; ne rursus iniurius violator in Dei aedem, ut in Eden temerarius insiliat; ne fausta annuntiatio, deceptio exsistat. » Tum [3]) Virginem compellans ait: « Propter te enim cessaverunt Evae tristia, per te perierunt mala, per te abscessit error, per te maledictio abolita, Eva per te redempta. » Quare penes vulgatum Athanasium ea dicitur nova Eva. Sic enim ille [a]) habet: « Ex carnibus et ossibus eius, quasi ex veteri Adamo, novus Adam incarnationem sibi quasi costam efformavit, gestatque illam in perpetuum. Atque hinc est quod nova Eva, mater vitae nuncupata, manet circumamicta et circumdata varietate, ad primitias vitae immortalis omnium viventium. »

935. At vero hierosolymitanus Chrysippus [b]) scribit: « Quae-

a) Orat. in Deiparae annuntiat. n. 14. pag. 400. F. inter opp. Athanasii T. II. Ἐκ τῶν σαρκῶν αὐτῆς καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτῆς, ὡς ἐκ τοῦ πάλαι Ἀδάμ, ὁ νέος Ἀδάμ, κατ' ἀντιπρόσωπον πλάσας ἑαυτῷ τὴν ὡς πλευρὰν σάρκωσιν, φέρει αὐτὴν εἰς τὸ διηνεκές· καὶ ἐντεῦθεν ἡ νέα Εὔα, μήτηρ τῆς ζωῆς ὀνομαζομένη, μένει περιβεβλημένη, πεποικιλμένη, εἰς ἀπαρχὴν ζωῆς ἀθανάτου πάντων τῶν ζώντων.

b) Orat. de Virginis laudibus pag. 418. A-C. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II. Ποῖα οὖν εἰκὸς, ποῖα καὶ λέγειν πρὸς ἑαυτὸν τοῦ ἀνθρωπίνου γένους πολέμιον, διὰ γυναικὸς νῦν ὁρῶντα πρὸς τὴν υἱοθεσίαν ἡμᾶς ἀνακληθέντας τὴν ἐξ ἀρχῆς; ἆρα οὐ τοιαῦτα ἀεὶ καὶ λέγει καὶ θρηνῳδεῖ; πόθεν τὸ σκεῦος τὸ ἐξ ἀρχῆς συνεργόν μοι γεγονὸς, νῦν μοι πολέμιον; γυνὴ πρὸς τὴν τοῦ γένους μοι τυραννίδα συνέπραξε, καὶ γυνὴ μετὰ τῆς τυραννίδος ἐκβέβληκεν·

1) Serm. in Deiparam et Symeonem, §. V. pag. 461. D. apud Gallandium T. IX.

2) Orat. in Dei genitricem, §. XII. pagg. 475. E. et 476. A.

3) Ibid. §. XII. pag. 476. B-C.

nam igitur, quaenam verisimile est hostem humani generis secum loqui, dum videt nos per mulierem revocatos ad filiorum adoptionem quam initio habebamus? Nonne haec dicit et queritur? Qui fit ut instrumentum quod in principio cooperabatur mihi, nunc mihi adversetur? Mulier mecum effecit ut in genus humanum tyrannidem occuparem, et mulier me e tyrannide deturbavit. Antiqua Eva me erexit in altum, et nova deiecit. Ipsa est etiam Eva secundum naturam, licet non Eva secundum generandi rationem. » Tum [a]) descripta clade, quam Christus satanae intulit, eumdem satanam ita lamentantem exhibet: « Horum igitur omnium quae mihi caussa est? Quae alia praeter eam quae genuit eiusmodi miraculorum opificem? Profecto praestabat mihi ut Evam illam antiquam non inducerem in dolum: satius erat mihi etiam per serpentem illam non decipere. » Cum quibus conferenda sunt quae [b]) Hesychius et ipse hierosolymitanus post celebratas Deiparae laudes continuo subdit: « Ecce Virgo, quaenam? Mulierum egregia, e virginibus electa, praeclarum naturae nostrae ornamentum, gloria luti nostri, quae Evam pudore, et Adamum comminatione liberavit, audaciam draconis abscidit: quam concupiscentiae fumus non attigit, neque vermis voluptatis eam laesit. » Agit de sacramento annuntiatae Virginis Anastasius antiochenus, deque eo [c]) scribit: « Quocirca [1]) mis-

ἡ Εὔα ἡ πάλαι με ἀνύψωσε, καὶ ἡ νέα κατέβαλεν. Εὔα γὰρ καὶ ἡ νῦν αὐτὴ κατὰ τὴν φύσιν, εἰ καὶ οὐκ Εὔα κατὰ τὴν γέννησιν.

a) Ibid. pagg. 428. E. et 429. A. Πάντων οὖν τούτων μοι τίς αἰτία; τίς ἄλλη εἰ μὴ τὸν θαυματουργὸν τῶν τοιούτων γεννήσασα; βέλτιον ἦν μοι ἄρα μηδὲ τῇ Εὔᾳ τῇ παλαιᾷ τὸν δόλον προσάγειν· βέλτιον ἦν μοι μηδ' ἐκείνην ἐξαπατῆσαι διὰ τοῦ ὄφεως.

b) Orat. de Virginis laudibus, pag. 423. C-D. in biblioth. pp. graeco-lat. Tom. II. Ἰδοὺ ἡ παρθένος· ποία; ἡ τῶν γυναικῶν ἔγκριτος, ἡ τῶν παρθένων ἐξαίρετος, τὸ σεμνὸν τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐγκαλλώπισμα, τὸ τοῦ πηλοῦ ἡμετέρου καύχημα, ἡ τῆς αἰσχύνης τὴν Εὔαν, καὶ τῆς ἀπειλῆς τὸν Ἀδὰμ ἀπαλλάξασα, ἡ τὴν παῤῥησίαν ἀποτεμοῦσα τοῦ δράκοντος· ἧς καπνὸς ἐπιθυμίας οὐχ ἥψατο, οὐδὲ σκώληξ αὐτὴν ἡδυπαθείας ἔβλαψεν.

c) Orat. de Virginis annuntiat. §. VIII. pag. 261. C. apud Gallandium T. XII. Διὸ ἀπεστάλη ὁ Γαβριὴλ εὐαγγελιζόμενος τῇ παρθένῳ τὴν ἄφθορον γέννησιν, καὶ τὴν ἐσομένην τοῖς ἔθνεσι δι' αὐτῆς σωτηρίαν προκαταγγέλλων αὐτῇ· ἅμα τε τῷ ἀσπασμῷ, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἀναπλάττων τὸ πλάσμα, ὃ ἔφθειρεν ἡ ἁμαρτία, τοῖς τοῦ πονηροῦ ὄφεως λόγοις συνεισελθοῦσα· καὶ ὥσπερ διὰ γυναικὸς ἐνηργήθη ὁ θάνατος, οὕτω διὰ γυναικὸς οἰκονομηθῆναι ἔδει τὴν σωτηρίαν· δι' ἐκείνην ἡδονῇ κλαπεῖσαν ἀπεθάνομεν πάντες· διὰ ταύτην ἐζωοποιήθημεν.

1) Luc. I. 26.

sus est Gabriel fauste Virgini incorruptam nativitatem annuntians, eique futuram eius ope gentibus salutem praenuntians: dumque interim ille salutat, Verbum [1]) caro factum est, figmentum reformans, quod una cum maligni serpentis sermonibus ingressum peccatum corruptioni obnoxium fecerat: et sicuti per feminam mors producta est, sic oportuit dispensari salutem per feminam. Per illam deceptam voluptate, omnes [2]) mortui sumus; per hanc [3]) vivificati sumus. » Gemina tradit [4]) Basilius seleuciensis, gemina et [5]) Procopius gazaeus inquiens: « Quapropter mulier secundum sententiam Dei addicta est doloribus, luctui et gemitibus, immo et exsecrationi quam tamen benignus Christus natus ex muliere sustulit. Cum peccatis impedita nequivisset parere inculpatum, angelus praecurrens et gaudio exsultans laetum nuncium obiicit sic orationis exordium faciens: *ave*. Hinc caussam laetitiae subdit: *Dominus tecum*. Maria enim typus Evae fuit. Utraque siquidem virginitate vigebat. Verum Eva in virginitate exsistens, deliquit; proinde dolores et tristitiam a serpente traxit, quam deinde in omnes mulieres peccatrices transfudit. Sed Maria gaudium et laetitiam toti mortalium generi annuntiavit, humanique generis maledictionem in quam devenerat, fugavit. Ideo Evam omnes culpant et incusant, Mariam omnes laudant et beatam proclamant: quae quasi personam Evae gerens inquit: *ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. »

936. Vetustus auctor tractatus contra quinque hostium genera, contra paganos, iudaeos, manichaeos, sabellianos et arianos ita Christum sistit [6]) manichaeos alloquentem: « Quid est quod te permovet in mea nativitate? Non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem, a qua nascerer, feci: ego viam meo itineri praeparavi atque mundavi. Hanc quam despicis, manichaee, mater est mea, sed manu fabricata est mea. Si potui inquinari cum eam facerem, potui inquinari cum ex ea nascerer. Eva inobediens meruit poenam, Maria obediendo consequuta est gratiam: illa gustando prohibitum maledicta, haec credendo angelo est benedicta; illa nobis mortem contulit, haec vitam nobis peperit. » Plenius haec ipsa edisserit [7]) auctor epistolae *de viro perfecto*, qui commemorata mulieris sedu-

1) Ioh. I. 14.
2) I. Cor. XV. 22.
3) I. Cor. XV. 21.
4) Orat. in Deiparam, pag. 591. A. apud Combefisium Auctar. T. I.
5) Comm. in Gen. III. 16. pag. 72. C-D. edit. Gesneri.
6) Tract. con. quinque haereses, cap. V. pag. 6. B-D. inter opp. Augustini in app. T. VIII.
7) De auctore huius epistolae sic habet in ad-

ctione et universali ex protoparentibus profecta ruina continuo [1]) pergit: « Deus autem noster contra omnem spem, contra omnem pene fidem, ex divitiis misericordiae suae in malo bonum nactus, in iracundia generans confirmansque pietatem, peccandi semen in fructum voluit evadere miserendi: et qui nos propter transgressionem perdere debuisset, propter suam misericordiam reperaturum se esse promisit. Et illo tempore quo supplicia merebamur, argumentum salvationis ostendit: ut intelligere possemus, quantum valeret praestare non laesus, qui tantum donaret iratus. In primo ergo homine statim nobis iudiciarium spopondit auxilium, statim de bono thesauro bona produxit, statim ignotum ipsis angelis sacramentum, quod implendum esset in novissimo tempore, publicavit, et terreno Adae Adam promisit e caelo. » Quod illico enarrans [2]) pergit: « Nam quum serpentem pro merito suo [3]) fulminaret, iubet eum terram pro cibo habere, supra ventrem repere; et quoniam mortem illam ipse fecisset, addidit [4]) dicens: *et ponam inimicitias inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen mulieris: ipsa calcabit caput tuum, et tu eius observabis calcaneum.* Nonne consideras, nonne conspicis, quod eidem tunc minabatur in Christo? Aliud enim semen mulieris nullum prorsus accipio, nisi illud quod Apostolus [5]) ait *factum ex muliere, factum ex carne.* Illud quod ut Evangelista [6]) ait, *Ioseph filius putabatur esse,* sed non erat: illud [7]) utique quod *Verbum caro factum est.* Nam si generandi publicam istam et naturalem circumspicimus rationem, semina non habent mulieres: denique nulla concipit sine viro, ac per hoc quoniam iam tunc in Adam semen humanae generationis esset transgressione vitiatum, semen caeleste promittitur, ut Apostolus sentit, non ex corruptione viri, sed ex Deo: quod quum caro fieret in muliere, etiam elementa illa corporeae substantiae, idest humoris et sanguinis, in ipso sibi vasculo in quo ipsa elementa sita sunt, naturaliter aptaret. »

monitione Vallarsius inter opp. Hieronymi T. XI. pag. 51. A-C. « Haec s. Maximi taurinensis est, nemine iam diffitente, quamquam s. Agobardus noni seculi scriptor libr. con. Felicem cap. XX. laciniam quam suis infra locis notabimus, ex ea describens, Hieronymi esse non dubitet. Erasmus e contrario, eloquentis quidem, inquit, et eruditi hominis fuit haec epistola ac diligenter elaborata, sed ita discrepans a phrasi hieronymiana, ut nec hic illius dictionem potuerit imitari, si voluisset, nec huius ille. In plerisque codicibus nullum praeferebat nomen, in quibusdam Ctesiphontis erat additum. Nec in ipsa epistola fit ulla mentio eius ad quem scripta est. Mentio autem fit s. Ambrosii, atque inventionis corporum ss. Gervasii et Protasii. »

1) De viro perfecto, cap. VI. pag. 58. A-C.
2) Ibid. cap. VI. pag. 58. B-D.
3) Gen. III. 14.
4) Gen. III. 15.
5) Gal. IV. 4.
6) Luc. III. 23.
7) Ioh. I. 14.

Digitized by Google

His de semine constitutis, ad mulierem veniens [1]) ait: « Mater itaque Domini nostri Iesu Christi iu illa iam tuuc muliere promissa est. Haec inimicitiis opposita est serpentis: *ponam*, inquit, *inimicitias inter te et mulierem:* non certe *pono* dicit, ne ad Evam hoc pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura. *Ponam*, inquit, *inimicitias inter te et mulierem*. Illam utique mulierem quae Salvatorem parturiat, non quae generet fratricidam. *Ponam*, inquit, *inimicitias inter te et mulierem:* idest suscitabo mulierem, quae repudiata facilitate credendi, non solum te non audiat, si aut suavitatem pomorum pro adapertione monstraveris oculorum, aut diis similem esse promiseris: sed etiam ipso Gabriele deferente verbum, rationem de promissionis exigat novitate.»

937. Hac imbutus doctrina Andreas cretensis, ubi natalem celebrat Virginis diem, his verbis [a]) exclamat: « Omnia igitur exsultent hodie, saliatque natura, quoniam misertus est Dominus populi sui erecto nobis cornu salutis in domo David pueri sui, immaculatissima et viri nescia Virgine hac, ex qua [2]) gentium salus et exspectatio. Ducat nunc choreas grata omnis et benevola anima, et natura ad suipsius renovationis reformationisque laetitiam creaturam convocet. Plaudant mulieres, mulier enim quae olim ansam peccati inconsultius praebuit, salutis nunc primitias intulit, quaeque aliquando rea fuit, nunc ostensa est divino probata iudicio, mater viri nescia, fictori electa, et restauratio generis. » Cuius miserabilem casum mox describit, eoque descripto [b]) pergit: « Quo igitur

a) Orat. in Deiparae nativit. pag. 94. D-E. apud Gallandium T. XIII. Οὐκοῦν ἀγαλλιάσθω τὰ σύμπαντα σήμερον, καὶ ἡ φύσις σκιρτάτω· ὅτι ἠλέησε κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ, ἐγείρας κέρας σωτηρίας ἡμῖν ἐν οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ, τὴν ὑπεράμωμον ταύτην παρθένον καὶ ἄνανδρον, ἐξ ἧς ὁ Χριστὸς, ἡ σωτηρία τῶν ἐθνῶν καὶ ἡ προσδοκία· χορευέτω πᾶσα νῦν εὐγνώμων ψυχὴ, καὶ συγκαλείτω τὴν κτίσιν ἡ φύσις πρὸς καινισμὸν ἑαυτῆς καὶ ἀνάπλασιν· γυναῖκες κροτείτωσαν· γυνὴ γὰρ ἡ πάλαι τῆς ἁμαρτίας τὴν ἀφορμὴν σχεδιάσασα, τῆς σωτηρίας ἄρτι τὴν ἀπαρχὴν εἰσκεκόμικε· καὶ ἡ πάλαι κατάκριτος ἐδείχθη θεόκριτος· μήτηρ ἄνανδρος, ἐκλελεγμένη τῷ πλάσαντι, καὶ τοῦ γένους ἀνόρθωσις.

b) Ibid. pagg. 95. E. et 96. A-B. Πῶς οὖν ἔδει ταύτην εἰς ἡμᾶς προελθεῖν τὴν εὐεργεσίαν, μεγάλην τε οὖσαν καὶ παραδοξοτάτην, καὶ νόμοις θείοις ἐμπρέπουσαν; ἢ οὐχὶ θεοῦ διὰ σαρκὸς ἡμῖν ἐπιφανέντος; τίνα δὲ τρόπον τοῦτο εἰς πέρας ἄγοιτο ἂν, ἢ παρθένου καθαρᾶς καὶ ἀνεπάφου διακονουμένης τῷ μυστηρίῳ πρότερον, εἶτα κυοφορούσης τὸν ὑπερού-

1) L. c. cap. VI. pag. 58. D-F.

2) Omittitur in versione ὁ Χριστὸς, germanusque sensus pervertitur.

Digitized by Google

modo par erat, ut magnum illud et maxime novum ac mirabile Deique legibus congruentissimum beneficium in nos procederet, nisi Deo nobis per carnem apparente? Quei vero ea res ad finem deduceretur, nisi prius munda intactaque Virgo ministraret mysterio, tumque lege supra naturae leges eum, qui substantia superior est, in utero gestaret? Quaenam autem alia Virgo heic possit intelligi, nisi quam ante omnes generationes naturae totius creator elegit? Haec porro Maria Dei genitrix est, illud a Deo vocatum nomen, ex cuius processit utero divinissimus ille indutus carnem, quam sibi ipse in templum novum admirabili plane modo compegit. Siquidem statim muliebris sexus maledictionem primam corrigit, salutis inde ducto initio, unde initium fuerat peccati. »

938. Quae quum [a]) Iohannes euboeensis probe teneret, idcirco de conceptu Virginis verba faciens scripsit: « Itaque per Mariam Dei matrem laetare, o Adam, quia per mulierem a serpente deceptus, etiam per mulierem ipsum conculcas. Tempus enim advenit quo unde sibi hostis clypeum condidit, ex eadem natura suppeditata sunt tela a potente coniecta. Nam lignum et mulier caussa fuerunt tui a paradiso exilii; nunc vero mulier et lignum tibi caussa sunt quamobrem revoceris. Mulier quidem Dei manu aedificata te decepit; mulier vero ex Ioachimo et Anna procreata generabit sine semine domitorem et interfectorem mortis quae nos catenis alligavit. Lignum porro ad gustum suave, et oculis iucundum et animo ve-

σιον, νόμῳ τοὺς νόμους ὑπερνικῶντι τῆς φύσεως; αὕτη δὲ τὶς ἂν νοοῖτο, πλὴν μόνης ἐκείνης, τῆς πρὸ πασῶν γενεῶν ἐκλελεγμένης τῷ παγγεννέτῃ τῆς φύσεως; αὕτη ἐστὶν ἡ Θεοτόκος Μαρία, τὸ θεόκλητον ὄνομα, ἧς ἐκ νηδύος μετὰ σαρκὸς ὁ ὑπέρθεος προελήλυθεν, ἣν αὐτὸς ἑαυτῷ ναοποιήσας ὑπερουσίως ἐπήξατο· τῆς γέ τοι πρώτης ἐκείνης ἀρᾶς, εὐθὺς ἡ γυναικεία φύσις τὴν διόρθωσιν δέχεται, ὥσπερ ἐνήρξατο τῆς ἁμαρτίας, ἀπαρξαμένη τῆς σωτηρίας.

a) Orat. de Virginis concept. Διὰ οὖν τὴν Θεομήτορα Μαριὰμ εὐφράνθητι Ἀδάμ· ὅτι διὰ γυναικὸς ἠπατήθης ὑπὸ τοῦ ὄφεως, καὶ διὰ γυναικὸς πατεῖς αὐτόν· ἧκεν γὰρ ὁ καιρὸς, ἵνα ὅθεν τὸ ὅπλον ἐκτίσατο ὁ ἐχθρὸς, ἐξ αὐτῆς τῆς φύσεως τὰ βέλη τὰ ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ ἠκοντισμένα ἔλθῃ. ξύλον γὰρ καὶ γυνὴ ἐγένοντο ἀφορμὴ τῆς ἐξορίας σου ἐκ τοῦ παραδείσου· νυνὶ δὲ γυνὴ καὶ ξύλον γίνονταί σοι ἀνάκλησις· γυνὴ μὲν χειρὶ Θεοῦ οἰκοδομηθεῖσα ἠπάτησεν· γυνὴ δὲ ἐξ ὀσφύος Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης κυοφορηθεῖσα ἄνευ σπορᾶς γεννήσει τὸν νικητὴν τοῦ θανάτου, καὶ καθαιρέτην τούτου ἡμᾶς αἰχμαλωτήσαντος· καὶ ξύλον μὲν καλὸν εἰς βρῶσιν καὶ ἄριστον τοῖς ὀφθαλμοῖς καὶ ὡραῖον τοῦ κατανοῆσαι θάνατον ἡμῖν ἐπήγαγεν· ξύλον δὲ ξηρὸν καὶ ἄκαρπον τὸν μὲν δράκοντα ἀνεῖλε, πᾶσι δὲ τοῖς γηγενέσιν πρόξενον ζωῆς αἰωνίου γίνεται· ἀγάλλου καὶ σὺ μῆτερ μητέρων Εὔα, ὅτι τὰ τέκνα σου οὐκέτι εἰς φθορὰν, ἀλλ' ἐν ἀφθαρσίᾳ ἔσονται.

Digitized by Google

nustum mortem nobis intulit; lignum autem aridum et infructuosum serpentem occidit, et omnibus hominibus vitam aeternam conciliat. Exsulta etiam tu mater matrum Eva, quod filii tui non amplius ad corruptionem nascentur, sed in incorruptione erunt. » Sedulius vero conclamatam penitus hominum caussam fuisse [1]) docet, nisi Deus suis semper placatus donasset, ut unde

» Culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem:
» Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,
» Nil quod laedat habens, matremque obscurat honore;
» Sic Eva de stirpe sacra veniente Maria,
» Virginis antiquae facinus nova Virgo piaret;
» Ut quoniam natura prior vitiata iacebat
» Sub ditione necis, Christo nascente renasci
» Posset homo, et veteris maculam deponere carnis.

Quae commentario [2]) explanans ait: « Nisi pius ille rerum creator, cui proprium est veniam delictis infundere quam poenaliter imminere, fabricam sui operis ab ipso debilem fundamento, firmius per eumdem lapidem rursus dignaretur erigere. Ne videlicet imago quae ad similitudinem Dei facta fuerat vivens, dissimilis haberetur ex morte, munusque venialis indulgentiae largiretur, ac poma quae patres acerba voraverunt, filiorum obstupuere dentes, arceret, donaretque mitissimus ac placatus, ut unde mortem peccata contraxerant, inde vitae pietas enutriret immensa. Et velut rosa suavis atque mollissima de spinoso caespite nascitur nil laesura matrem, quam gratia iucunditatis obscurat; ita de stirpe nocentis Evae Maria sacro veniente cum lumine, primae virginis luem sequens Virgo dilueret, ut quae prior natura vitiis inquinata durae necis fuerat conditioni subiecta, nascente Christo per hominem, homo quoque posset renasci per Christum, originalis maculae foeditatem vetustati corporis innovatione positurus. » Quare rem acu tetigit et brevissime expressit Iohannes Geometra, quum Virginem prae Eva [a]) nuncupavit χαρᾶς ἀρχὴν καὶ τέλος κατάρας, *laetitiae exordium, finemque maledicti.*

a) Hymn. III. in Deiparam v. 2. pag. 446. D. in app. ad biblioth. pp. graeco-lat. T. III. Χαῖρε χαρᾶς ἀρχὴ, χαῖρε τέλος κατάρας.

1) Carm. pasch. lib. II. sive de N. T. lib. II. vv. 28-35. pag. 543. A. apud Gallandium T. IX.

2) Op. pasch. lib. II. cap. I. pag. 574

939. Iamvero quum plurima sint quae adductis testimoniis continentur, vel sponte ex iis atque necessario dimanant, non alia nos in summam colligemus nisi quae quum prae ceteris exstent, ad quaestionem quam versamus propius referuntur. Itaque una est vox patrum, maiorumque suffragatio, *divinam pietatem eximio quodam stratagemate usam, ut homines a misera in quam offenderant servitute eximerentur*. Quum autem iidem veniunt ad enarrandum supernum eiusmodi consilium divinumque stratagema, concordes docent: *iisdem gradibus quibus hominum genus perierat, fuisse restitutum: cursibus iisdem quibus homo ad mortem dilapsus fuerat, ad vitam ipsum remeasse: originem fuisse per originem detruncatam: armis quibus satanas humanam familiam deiecerat, eum fuisse expugnatum: et caussam tandem ad feminam reverti*. Haec vero adumbrata confirmant tam iis quae tertio Geneseos capiti consignata leguntur, quam iis quae primo Lucae capite historice commemorantur. His namque mutuo solerterque collatis ea deprehenduntur quae ad commendandum caeleste stratagema mirifice conferunt. Deprehenditur enim quod sicuti ruina suum ex mendacibus satanae verbis initium duxit, ita salus ex veraci archangeli sermone originem habuit. Deprehenditur deinde quod sicuti conspiratio et amicitia mulieris cum satana fuit primus excidii gradus, ita conspiratio et amicitia alterius mulieris cum Gabriele, et illius a satana dissidium prima iecit restitutionis fundamenta. Tum deprehenditur, quod sicuti pernicies ex inobedientia et incredulitate mulieris progressa est, ita reparatio ex obedientia et fide alterius mulieris profecit. Deprehenditur tandem, quod sicuti in Adamo quem seducta mulier inescavit, suum pernicies nacta est fastigium; ita in secundo Adamo, quem altera atque innoxia mulier concepit, suam salus absolutionem obtinuit.

940. At vero quid ex hisce dependet, aut quid cum hisce consertum est? Videlicet unanimis est patrum testificatio I. non aliter spectandam esse *Mariam uti novam et secundam Evam, ac Christus uti novus atque secundus Adam consideretur:* neque aliter spectandam esse *Evam tamquam Mariae typum, ac Adam Christi typus censeatur*. Ad haec II. *inimicitiam secundae Evae cum serpente* illi fuisse simillimam *quam cum eodem secundus Adam exercuit*, proindeque *inimicitiam fuisse perpetuam, foederis insciam, quae satanam praevaricationis architectum rubore suffuderit, quae*

illum in desperationem coniecerit, effeceritque ut mulierem instrumentum sibi capitaliter infensum experiretur, ipsumque priscae fraudis inflictique vulneris poeniteret. Praeterea III. non minus luculentas et multiplices esse antitheses inter primam et alteram Evam, ac luculenti sint et multiplices similitudinis respectus, quibus secunda Eva cum secundo Adamo devincitur. Complectar haec sive oppositionis sive similitudinis capita quam potero brevissime, neque aliis ea quam conceptis maiorum formulis exponam. Illi igitur sic habent: *in sola sancta Virgine primae virginis lapsus reparatus est: prudentia, obedientia atque fide Virginis imprudentiae, inobedientiae et incredulitati Evae prospectum fuit: malum quod per Evae auditum sibi viam aperuit, Mariae obsequens auditus exclusit: Deus qui Evam condemnavit, Mariam gloria coronat: sicuti mors ex prima Eva, ita ex altera vita defluxit: sicuti mala omnia per primam mulierem, ita bona omnia per secundam incoeperunt: sicuti Adam renovatus fuit in Christo, ita Eva redintegrata in Maria: per Mariam omnibus salus atque vita adest, quemadmodum per Evam omnes in ruinam mortemque inciderunt: nonnisi propter Mariam Eva est diciturque viventium mater: per contumaciam Evae orta est pernicies, per obedientiam Mariae restitutio: Maria Evam erexit, Adamum restituit, exspoliavit infernum et paradisum reseravit: infusam Evae culpa maledictionem Mariae innocentia propulsavit: ipsa est Maria quae pro muliebri sexu patrocinatur: ipsa est quae fidem pro perfidia, et obedientiam pro inobedientia exhibuit: sicuti per feminam ac virum mortui sumus, ita per ambas naturas maris atque feminae liberamur: fuit Eva fomes iniquitatis, Maria iustitiae ministra: illa malorum, haec bonorum conciliatrix: illa maledicta, haec inductam maledictionem abolevit et est omnino benedicta: non aliter salus dispensata est per Mariam, ac peccatum per Evam stragem ediderit: uti omnes mortui sumus per Evam, ita omnes per Mariam vivificamur, filiorum adoptionem assequimur, et ad pristinam dignitatem redimus: quemadmodum Eva serpenti se subiecit atque illius captiva evasit, ita Maria deturbavit satanam et draconis audaciam abscidit: nova virgo facinus antiquae piavit, et grassantem huius culpa luem compescuit: quare sicuti omnes Evam culpant, ita omnes vicissim Mariam laudibus efferunt.*

941. Porro IV. tot tamque insignia oppositionis capita Evam inter ac Mariam effecerunt, *ut haec neptis Adamo dissimilis* vo-

Digitized by Google

caretur, et e poenis illi inflictis integra foret atque soluta. De illa namque [1]) scriptum est, *quod eius oculi aperti fuerint, quodque se nudam cognoverit*. Atqui *nullus umquam concupiscentiae ardor intaminatum Mariae corpus adussit, et nullus umquam concupiscentiae fumus immaculatam Mariae mentem infecit*. De illa scriptum [2]) est, *in dolore paries filios*. Atqui *Maria unigenitum et primogenitum suum, eumdemque unigenitum Patris et primogenitum omnis creaturae in laetitia concepit atque edidit*. Et de illa scriptum est [3]), *sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui*. Atqui *Maria desponsata a Deo fuit ad universorum hominum salutem*. Vicissim V. tot tamque insignia similitudinis capita inter novum Adamum et novam Evam, inter Christum et Mariam, inter θεάνθρωπον ac θεοτόκον effecerunt, ut haec totius christianae antiquitatis consensione salutaretur *aucta praerogativis divinae maternitatis, singulariter procreata ut esset mater redemptoris, munda et intacta ut incarnationis sacramento famularetur, inculpata ut concipere et parere posset inculpatum, quique ex ipsa natus est ut mundi peccatum tolleret, gloria luti nostri, naturae ornamentum, inexplicabile paradisi monile, digna conditore, immaculata, non corrupta sensu mentis, inscia erroris, omnium generationum praestantissima, prae omnibus omnino mulieribus benedicta, ex integro immunis ab ira primae sententiae, consors primae benedictionis, et prae universa hominum familia haud secus spectanda ac rosa medias inter spinas erumpens*.

942. Nihil vero ex hisce omnibus est, quod aut Virginem ab universali praevaricatione non eximat, aut illius conceptum non demonstret a satanae captivitate liberum, et eiusdem veneno neque afflatum neque corruptum. Hoc enim demonstrat *oeconomia* humanae reparationis divinitus praefinita, eoque spectans ut par pari opponeretur, ut primae Evae primoque Adamo altera Eva atque alter Adamus e regione responderent, atque ut secundus Adamus cum secunda Eva culmen et fastigium in ordine vitae ac salutis occuparent, sicuti primus Adamus cum prima Eva culmen et fastigium in ordine mortis perditionisque occuparunt. Hoc demonstrat excitata divinitus inimicitia inter novam Evam atque serpentem, utpote quae inimicitia fuerit non qualibet, sed perpetua, sed foederis ne-

1) Gen. III. 7.
2) Gen. III. 16.
3) Ibidem.

scia, sed quae nullam illabendi rimam serpenti permiserit, illumque contra in desperationem coniecerit. Hoc demonstrant tot oppositionis capita inter utramque Evam, quemadmodum illa animo recolentibus nequit non esse exploratissimum. Hoc demonstrant tot similitudinis capita quae novam Evam cum novo Adamo coniungunt, quaeque sponte sua quamvis culpae labem a nova Eva repellunt. Atque hoc demonstrant eximiae praerogativae eo inprimis nomine maiorum suffragio Virgini tributae, quod selecta ipsa fuerit ut partes secundae Evae expleret, illatumque per priorem Evam damnum repararet. Considerari enim eiusmodi praerogativae non possunt, quin Virgini puritas cuiusvis semper naevi exsors adscripta videatur.

ARTICULUS V.

Scriptorum mediae aetatis commentarii atque sententiae quae ad idem Geneseos oraculum referuntur: commentarii nominatim atque sententiae Iohannis damasceni, Tarasii et Germani praesulum byzantinorum, Leonis Augusti, Georgii nicomediensis, venerabilis Bedae, Walafridi Strabonis, Ionae aurelianensis, Anselmi cantuariensis, Petri Damiani, Fulberti carnotensis, Bernardi clarae-vallis, Petri cellensis, Hugonis rotomagensis, anonymi qui eodem seculo claruit, Amedei lausannensis, Ruperti tuitiensis, Andronici constantinopolitani et Isidori thessalonicensis: corollaria quae ex his dependent, atque illud maxime quo Virginis conceptus labis expers continetur.

943. Quod de oeconomia humanae reparationis, de inimicitia inter secundam Evam et serpentem, deque partibus illi divinitus attributis tanta maiorum consensione proclamatum novimus, id ad scriptores etiam insequentis mediaeque aetatis sincerum defluxit, a quibus et similibus repetitum fuit sententiis, et similibus commentariis expolitum. Ut enim ex testibus ferme innumeris qui facile in medium proferri possent, clariores dumtaxat nobilioresque commemorem, Iohannes damascenus [a]) ubi natalem celebrat Virgi-

a) Orat. I. in Deiparae nativit. §. VII. pag. 846. A-C. Ὦ θυγάτριον Ἰωακείμ τε καὶ Ἄννης τὸ ἱερώτατον, τὸ λαθὸν τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, καὶ τὰ πεπυρωμένα βέλη τοῦ πονηροῦ· τὸ ἐν θαλάμῳ τοῦ πνεύματος πολιτευσάμενον, καὶ τηρηθὲν ἄμωμον εἰς νύμφην θεοῦ, καὶ μητέρα φύσει τοῦ θεοῦ· ὢ θυγάτριον ἱερώτατον, τὸ ἐπὶ μητρικαῖς φαινόμενον,

Digitized by Google

nis diem, his omnino verbis utitur: « O Ioachimi et Annae filia sacratissima, quae principatibus et potestatibus, ignitisque maligni telis latuisti: quae in spiritus thalamo versata es et sine macula custodita, ut sponsa Dei et natura Dei mater esses. O sacratissima filia quae in maternis ulnis cerneris, et apostaticis virtutibus es formidabilis. O digna Deo filia, humanae venustas naturae, primigeniae parentis Evae emendatio. Tuo namque partu quae ceciderat, erecta est. O sacrosancta filia, feminarum gloria: quamvis enim prima Eva praevaricationis rea exstiterit, et per eam, dum illa serpenti adversus primum parentem inserviret, ingressa sit mors; attamen Maria divinae obsequens voluntati, deceptorem anguem ipsa decepit, et mundo immortalitatem invexit. » Postquam autem [a]) Ioachimi et Annae fusas retulit ad Deum preces, quibus uterque initi connubii fructum postulabat, pergit: « Exaudivit itaque eos Dominus, donans eam quae propriae Mariae nomen gerit, in splendidum et magnificum pro Eva pretium. Matris medicamentum filia effecta est: divinae reformationis [1]) nova conspersio: sanctissimae generis [2]) primitiae: rami divino ore prolati radix: primi parentis exsultatio. » Et iure, commemorata namque Archangeli [3]) salutatione, de Virgine [b]) subdit: « Quid ad haec verae sapientiae the-

καὶ φοβερὸν ταῖς ἀποστατικοῖς δυνάμεσιν· ὦ θυγάτριον ἀξιόθεον, τὸ κάλλος τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, τῆς προμήτορος Εὔας ἡ ἐπανόρθωσις· διὰ γὰρ τῆς σῆς τεκνογονίας ἡ πεσοῦσα ἀνώρθωται· ὦ θυγάτριον ἱερώτατον, γυναικῶν τὸ ἀγλάϊσμα, εἰ γὰρ καὶ ἡ πρώτη Εὔα ἐν παραβάσει γέγονε, καὶ δι' αὐτῆς εἰσῆλθεν ὁ θάνατος διακονησαμένης τῷ ὄφει πρὸς τὸν προπάτορα, ἀλλ' ἡ Μαρία ἐξυπηρετησαμένη τῷ θείῳ βουλήματι, τὸν ἀπατήσαντα ὄφιν ἠπάτησεν, καὶ τῷ κόσμῳ τὴν ἀφθαρσίαν εἰσηνέγκατο.

a) Orat. II. in Deiparae nativit. §. V. pag. 852. D-E. Καί γε ὁ κύριος εἰσήκουσεν αὐτῶν, δοὺς τὴν κυριώνυμον Μαρίαν λύτρον οὕτως ἀγλαὸν καὶ μεγαλοφυὲς ἀντὶ τῆς Εὔας· θυγάτηρ ἴαμα μητρικὸν γεγένηται· τὸ νέον φύραμα τῆς θείας ἀναπλάσεως, ἡ παναγία ἀπαρχὴ τοῦ γένους, ἡ ῥίζα τοῦ θεοφράστου κλάδου, τὸ τοῦ προπάτορος ἀγαλλίαμα.

b) Orat. I. in Deiparae dormit. §. VII. pagg. 862. E. et 863. A. Τί πρὸς ταῦτα τῆς ἀληθοῦς σοφίας ὁ θησαυρός; τὴν μὲν Εὔαν οὐ μιμεῖται τὴν προμήτορα, ἐπανηρθοῦται δὲ μᾶλλον τὸ ταύτης ἀφύλακτον, καὶ συνήγορον τὴν φύσιν προβάλλεται, ᾧδέ πως τῷ

1) Quod Virgo dicatur, τὸ νέον φύραμα τῆς θείας ἀναπλάσεως, *divinae reformationis nova conspersio* atque massa, hoc unum significare potest, ipsam numquam spectasse ad veterem massam, ad massam peccato corruptam et gratia expurgandam.

2) Incisum quo Virgo appellatur ἡ παναγία ἀπαρχὴ τοῦ γένους, quemadmodum cum his apte confertur Rom. XVI. 5. ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀσίας, 1. Cor. XVI. 15. ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας, et 1. Cor. XV. 20-23. ἡ ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων: ita perspicue denotat, Virginem prae universo hominum genere ita sanctitate excellere, ut ipsa sibi primatum vindicet, et omnium sanctissima iure merito celebretur.

3) Luc. 1. 28. seqq.

Digitized by Google

saurus? Evam quidem primam parentem non imitatur, sed incautam potius eius simplicitatem emendat, seque naturae patrocinio munit angeli verbis reponens: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Impossibilia narras, inquit. Nam sermo tuus naturae leges frangit, quas summus opifex sancit. Secunda Eva [1]) dici non patior, neque conditoris mei voluntatem pessumdare. Quod si Deo adversa non loqueris, conceptionis modum expone, dubitationem meam solve. Ad quam [2]) veritatis angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod nunc agitur, naturae legibus non subest. Naturae siquidem artifex et Dominus arbitratu suo immutat naturae leges. Haec itaque nomen illud quod omni affectu et honore semper colebat, sacra quadam reverentia audiens, obedientiae vocem timore et gaudio plenam [3]) emisit: *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* »

944. Eamdem antithesim proponit, uberiusque Damascenus [a]) enarrat, quum de morte Virginis sermonem habens ait: « Olim quidem Deus primos mortalis generis satores, quum ipsi se inobedientiae mero ingurgitassent, et per transgressionis temulentiam dormitante mentis oculo, peccati crapula sic affecti essent, ut oppressis

τοῦ ἀγγέλου ἀντιδρητορεύουσα ῥήματι· πῶς ἔσται μοι τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω; ἀδύνατα φθέγγῃ, φησίν· ὅ γε σὸς λόγος τοὺς ὅρους λύει τῆς φύσεως, οὓς ὁ πλαστουργήσας ἐπήξατο· οὐκ ἀνέχομαι Εὔα χρηματίσαι δευτέρα, καὶ τὸ τοῦ ποιήσαντος παρακρούσασθαι βούλημα· εἰ δὲ μὴ λέγεις ἀντίθεα, τὸν τρόπον εἰπὼν τῆς συλλήψεως, λῦσον τὴν ἀπορίαν· πρὸς ἣν ὁ τῆς ἀληθείας ἄγγελος· πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι· διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεται υἱὸς θεοῦ· οὐ δουλεύει φύσεως νόμοις τὸ τελούμενον· ὁ γὰρ δημιουργὸς καὶ δεσπότης τῆς φύσεως, κατ' ἐξουσίαν τοὺς ὅρους ἀμείβει τῆς φύσεως· ἡ δὲ, τὸ ἀεὶ ποθούμενον καὶ τιμώμενον ὄνομα, μεθ' ἱερᾶς εὐλαβείας ἀκούσασα, τῆς ὑπακοῆς ἐπηφίει φόβου καὶ χαρᾶς γέμοντα ῥήματα· ἰδοὺ ἡ δούλη κυρίου, γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου.

a) Orat. II. in Deiparae dormit. §. III. pag. 870. C-E. Πάλαι μὲν κύριος ὁ θεὸς τοὺς τοῦ βροτείου γένους κατάρξαντας, καὶ τῆς παρακοῆς ἐμφορηθέντας τὸ ἄκρατον, καὶ τῇ μέθῃ τῆς παραβάσεως τὸν ὀφθαλμὸν τῆς καρδίας ἀπονυστάξαντας, καὶ τῇ κραιπάλῃ τῆς ἁμαρτίας τῆς διανοίας βαρηθέντας τὰ ὄμματα, καὶ κοιμηθέντας ὕπνον εἰς θάνατον, ἐξορίστους τοῦ παραδείσου τῆς Ἐδὲμ ἐξεπόρευσε· νῦν δὲ ταύτην τὴν πάθους παντὸς ἐκτιναξαμένην τὴν προσβολὴν, καὶ τῆς τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ὑπακοῆς προάγουσαν τὸ βλάστημα, καὶ τῆς ζωῆς παντὶ τῷ γένει κατάρξασαν, οὐ παράδεισος ὑποδέξεται; οὐκ οὐρανὸς χαίρων ἀναπετάσει τὰς πύλας;

1) Scilicet *imitatione*, quum secunda esset Eva, sed *emendatione*.

2) Luc. I. 35.

3) Luc. I. 38.

Digitized by Google

animi luminibus mortifero somno tenerentur, e paradiso Eden exterminavit: nunc vero illam [1]) quae vitii omnis impetum excussit, Deique et Patris obedientiae germen produxit, et universo mortalium generi vitam inchoavit, paradisus non exceperit? Annon caelum fores suas reserabit?» Et [a]) continuo: «Eva siquidem quae serpentis nuntio aures praebuit, hostisque suggestionem auscultavit, sensu suo per falsae ac fallacis voluptatis assultum delinito, maeroris et tristitiae [2]) sententiam retulit, ut dolores partus sustineret, et una cum Adamo [3]) morte condemnata in imis inferni recessibus collocatur: hanc autem vere beatissimam quae Dei verbo aures submisit, et Spiritus sancti operatione impleta est, atque Archangelo sequestro, de complacito Patris praegnans effecta, quaeque sine voluptate et viri congressu Dei Verbi personam, cuius omnia plena sunt, concepit, ac pro eo ut decebat, sine doloribus peperit, quaeque totam se cum Deo copulavit, quomodo mors devoraret? quomodo inferi susciperent? quomodo corruptio corpus illud invaderet, a quo vita suscepta est? Abhorrent haec alienaque omnino sunt a deifera illa anima et carne. Ipsius enim adspectum mors quoque pertimuit, quippe quae quum ipsius Filium adorta esset, ex his quae pertulit erudita, periculo suo prudentior evaserat.» Hinc progenitores de Virginis triumpho his loquentes verbis [b]) in-

a) Ibid. §. III. pag. 870. D-E. Εὔα μὲν γὰρ τὴν ἀκοὴν ὑποθεῖσα τῇ ἀγγελίᾳ τοῦ ὄφεως, ἀκουτισθεῖσα δὲ τοῦ δυσμενοῦς τὴν παραίνεσιν, καὶ τῆς ψευδοῦς τε καὶ ἀπατηλῆς ἡδονῆς τῇ προσβολῇ θελχθεῖσα τὴν αἴσθησιν, λύπης καὶ ἀνίας ἀπόφασιν ἀποφόρεται, καὶ τόκων ὠδῖνας ὑφίσταται, καὶ σὺν τῷ Ἀδὰμ θάνατον κατακρίνεται, καὶ ἐν ᾅδου μύχοις κατοικίζεται· ταύτην δὲ τὴν ἀληθῶς παμμακάριστον, τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ τὴν ἀκοὴν ὑπακλίνασαν, καὶ τῆς ἐνεργείας πλησθεῖσαν τοῦ πνεύματος, καὶ δι' ἀρχαγγέλου τὴν πατρικὴν εὐδοκίαν ἐγκυμονήσασαν, καὶ ἡδονῆς παρὲξ καὶ συναφείας συνειληφυῖαν τοῦ θεοῦ λόγου τὴν πάντα πληροῦσαν ὑπόστασιν, καὶ προσφυῶν ὠδίνων ἄνευ γεννήσασαν, καὶ ὅλην θεῷ ἑνωθεῖσαν, πῶς καταπίῃ ὁ θάνατος; πῶς ὁ ᾅδης εἰσδέξεται; πῶς διαφθορὰ τοῦ ζωοδόχου κατατολμήσειε σώματος; ἀλλότρια ταῦτα, καὶ πάντη ξένα τῆς θεοφόρου ψυχῆς καὶ σώματος· ταύτῃ καὶ προσβλέπων ὁ θάνατος δέδοικε· τῷ γὰρ αὐτῆς υἱῷ προσβαλὼν, ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε, καὶ πείρᾳ μαθὼν, σεσωφρόνισται.

b) Ibid. §. VIII. pag. 873. D-E. Τότε δὴ τότε Ἀδὰμ καὶ Εὔα, οἱ τοῦ γένους προπάτορες, ἀγαλλομένοις τοῖς χείλεσι διαπρυσίως ἀνακεκράγασι· σὺ μακαρία θύγατερ, τῆς παραβάσεως ἡμῖν τὰ ἐπιτίμια λέλυκας· σὺ φθαρτὸν ἐξ ἡμῶν σῶμα κληρονομήσασα,

1) Ubi incisum, νῦν δὲ ταύτην τὴν πάθους παντὸς ἐκτιναξαμένην τὴν προσβολὴν, pressius ita redditur: *nunc autem hanc quae cuiusque vitii contagium expulit*, quaeque adeo neque originali contagio infecta fuit.

2) Gen. III. 16.

3) Gen. III. 19.

ducit: « Tum quidem tum Adam et Eva nostri generis auctores exsultantibus labiis alte exclamarunt: beata tu Filia quae violati mandati poenas nobis sustulisti. Tu mortale corpus a nobis sortita, immortalitatis indumentum nobis peperisti. Tu quum a lumbis nostris ortum accepisses, nobis ut bene essemus rependisti. Dolores solvisti, mortis fascias rupisti, ad veterem sedem nos postliminio revocasti. Nos paradisum clausimus, tu ligni vitae iter patefecisti. Per nos ex laetis tristia venerunt, ex tristibus contra laetiora per te redierunt. »

945. A quibus ne minimum quidem abscedunt quae Tarasius de Virgine in templo degente affirmat [a]) inquiens: « Quid enim agebat Virgo versans in sanctissimis templi adytis? Angelorum cibum ab angelo accipiebat, et immaculatae columbae similis virginitatem servans templi et caeli terraeque opifici cum gratiarum actione et effusissimo animi affectu ita supplicabat: laudabo te omnipotens altissime, qui primae genitricis meae Evae delevisti opprobrium, et propter ineffabilem misericordiam tuam missurus es in terram Unigenitum tuum ut cum hominibus [1]) conversaretur. Quare habitatio ipsius fiam pura et intemerata: ubi [2]) enim abundavit delictum, superabundavit gratia. Per mulierem lucrum mortis accepimus, per mulierem universa iterum instaurabuntur, per serpentem cibum accepimus amari saporis, per ipsum vero [3]) rursum vescemur cibo

ἀφθαρσίας ἡμῖν ἐκυοφόρησας ἔνδυμα· σὺ τὸ εἶναι ἐξ ἡμετέρας ὀσφύος ἁρπάσασα, τὸ εὖ εἶναι ἡμῖν ἀνταπέδωκας· τὰς ὠδῖνας ἔλυσας· τὰ τοῦ θανάτου διέῤῥηξας σπάργανα· τὸ ἀρχαῖον ἡμῖν ἀποκατέστησας ἐνδιαίτημα· ἡμεῖς ἐκλείσαμεν τὸν παράδεισον, σὺ τοῦ τῆς ζωῆς ξύλου τὴν εἴσοδον ἀνεπέτασας· ἐκ τῶν χρηστῶν δι' ἡμῶν ἦλθε τὰ λυπηρά· διὰ σοῦ ἐκ τῶν λυπηρῶν ἐπανῆλθεν ἡμῖν τὰ χρηστότερα.

a) Orat. in Deiparae praesentat. Τί γὰρ ἔπραττεν ἡ παρθένος εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων περιπολοῦσα; τροφὴν ἀγγέλων δι' ἀγγέλου εἰσεδέχετο· καὶ ὡς περιστερὰ ἀκεραία τὴν παρθενίαν τηροῦσα, τὸν τοῦ ναοῦ καὶ οὐρανοῦ καὶ γῆς δημιουργὸν μετ' εὐχαριστίας ἐν παῤῥησίᾳ καρδίας λιτανεύουσα, ἔλεγεν· ᾄσω σοι παντοκράτορ ὕψιστε, ὅτι ἀφεῖλες τὸν ὀνειδισμὸν τῆς προμήτορός μου Εὔας· καὶ διὰ τὴν σὴν ἄφατον εὐσπλαγχνίαν, τὸν μονογενῆ σου υἱὸν μέλλεις καταπέμψαι ἐπὶ γῆς, ὥστε τοῖς ἀνθρώποις συναναστραφῆναι· διὸ κατοικητήριον αὐτοῦ γενήσομαι καθαρὸν καὶ ἀμίαντον· ὅπου γὰρ ἡ ἁμαρτία ἐπλεόνασεν, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις· διὰ γυναικὸς τὸν θάνατον ἐκερδήσαμεν· διὰ γυναικὸς πάλιν ἀνακαινίσει τὰ σύμπαντα· διὰ τοῦ ὄφεως τῆς πικρᾶς γεύσεως δεδέγμεθα τὴν βρῶσιν· δι' αὐτοῦ δὲ πάλιν τὴν βρῶσιν τῆς ἀθανασίας χορτασθησόμεθα· ἡ προμήτωρ Εὔα Κάϊν τέτοκε, φθόνου καὶ κακίας ἀρχηγόν· ὁ μονογενής σου υἱὸς ζωῆς καὶ ἀναστάσεως γενήσεται πρωτότοκος· ὢ τοῦ παραδόξου θαύματος· ὢ τῆς καινῆς ἐκπλήξεως· ὢ τῆς ἀφράστου σοφίας.

1) Baruch III. 38. coll. Ioh. I. 14.
2) Rom. V. 20.
3) Ioh. III. 14.

immortalitatis. Prima parens Eva Cainum in lucem edidit homicidam, unigenitus Filius tuus erit [1]) primogenitus vitae ac resurrectionis. O inauditum prodigium! O novum stuporem! O sapientiam nullis verbis coaequandam! » Quam sapientiam ipse quoque suspiciens Germanus praesul constantinopolitanus, principio serpentis cum muliere foedus repraesentans [2]) ait: « Pacem habuit cum serpente in terrestri paradiso prima parens nostra, atque in congressum colloquiumque venerunt hinc integra rectique amans natura, inde perversa voluntas atque humani generis hostis satan; et illa quidem si puritatem spectes atque sinceritatem, nuda; versipellis autem iste totus insidiis et simulatione tectus. Hoc vero ex congressu atque amicitia dolor manavit et labor, et pernicioso ligni vetiti esu, sauciata lege divina, ortum est peccatum, peccatum vero mortem generavit, crudelem sane viperam quae primam interfecit parentem. » Tum [3]) subdit: « Hi quidem sunt illi veteres in Edem lapsus, nunc autem per feminam ad quam pacis angelus advolat mystici amoris signa explicans, e Nazareth omne panditur bonum. Serpenti namque olim credentes, decepti a conditore defecimus, desertorique inhaerentes a summo rege divulsi sumus. Maledicta est Eva, benedicta est Maria: radix acerba, fructus vero melle dulcior: radix in terra defossa est ad corruptionem, fructus terram supervolavit ob sanctitatis incorruptionem. Ubi enim est sanctitas, ibi et incorruptio; ubi exinanita est animi elatio atque depressa, illuc delabens caelestis imber restagnat. Divinitatis quamdam similitudinem primae parenti serpens pollicetur, Archangelus vero Mariae futuram ipsam Dei matrem annunciat: verum illa timens seipsa colligit atque sibi cavens adeo felicem et magnificum nuncium suis ponderibus diligenter examinat, sicque flexibilem mulierum naturam superavit, atque sic porta magni regis fuit undequaque munita. »

946. Consonat [a]) Leo Augustus qui Annam Deiparae genitricem

a) Orat. I. in Deiparae nativit. pagg. 1613. C-E. et 1616. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Τίκτει καὶ ἄλλη τις Ἄννα, δῶρον εὐχῆς λαβοῦσα τὸν τόκον καὶ αὐτη, ἀλλὰ δοῦλον, ἀλλὰ λειτουργόν· εἰ καὶ προφητικῷ διέπρεπεν χρίσματι· σὺ δὲ τίκτεις τὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς βασιλίδα· τὴν παρὰ πάσης λογικῆς φύσεως ὑμνουμένην· μόνη τίκτεις Θεοῦ μητέρα· μόνη χρηματίζεις προμήτωρ Θεοῦ· ὦ μακαρίων ὠδίνων· ὦ λαγόνων, ὧν κατοικητήριον ἐν

1) Coloss. I. 18. edit. Maraccii.
2) Orat. I in Deiparae annuncial. pag. 70.
3) Ibid. pagg. 71-72.

his verbis alloquitur: « Parit quoque [1]) alia quaedam Anna, quum et ipsa orationis munus filium accepisset, verum servum, verum ministrum, quamquam is prophetica unctione excelluit: tu vero caeli ac terrae reginam paris, eam inquam, quam canticis celebrat omnis natura particeps rationis: sola paris Dei matrem, sola Dei avia exsistis. O beatum partum! O lumbos quorum habitaculum elegit Deus, quum in nobis habitare voluisset! O [2]) conceptionem, partumque ac infantem, quibus exitiosus peccati partus elanguit, salutisque multa proles innotuit. O infantem, per quam natura quae malitiae ac vitiositatis turpitudine consenuerat, novum induta decorem praeclare exornatur! O infantem, per quam pauperis vitae pannos exuentes primam illam stolam induimus divinae dignitatis! Per quam Deus nobiscum reconciliatus in incomparabilem paterni amoris necessitudinem dissolvit inimicitias, quas facti eiusdem hostes constitueramus. Te namque Deus ac Pater Unigenito sponsam delegit, proque futurarum arrhabone nuptiarum, ut cognato humano generi reconcilietur, concedit: neque solum inimicitias perimit, aut debiti tribuit remissionem, vel etiam quod adversum nos ipsi scripsimus chirographum, disrumpit; verum etiam Unigeniti coheredes facit. » Oratione deinde ad serpentem [a]) conversa, subdit:

ἡμῖν σκηνῶσαι βουληθεὶς ὁ Θεὸς ἐξελέξατο· ὦ σύλληψις καὶ τόκος καὶ βρέφος, δι' ὧν ὁ τῆς ἁμαρτίας ὀλέθριος ὠδὶς ἀπήμβλω, καὶ τῆς σωτηρίας ἡ πολυγονία ἐγνωρίσθη· ὦ βρέφος, δι' ἧς ἡ καταγηράσασα τῷ αἴσχει τῆς κακίας φύσις, καινὸν ἀλλαξαμένη κάλλος ἐξωραΐσατο· ὦ βρέφος, δι' ἧς τῆς πενιχρᾶς ζωῆς τὰ ῥάκκη ἀποδυσάμενοι, τὴν πρώτην στολὴν ἐκείνην τοῦ θείου ἀξιώματος ἐνεδυσάμεθα· δι' ἧς ἡμῖν κατηλλάγη Θεὸς, εἰς ἀνείκαστον διαλυθείσης στοργὴν, τῆς ἣν ἡμεῖς ἐκπολεμωθέντες αὐτῷ ἔχθραν συνεστησάμεθα· ἐξελέξατο γάρ σε εἰς νύμφην τῷ μονογενεῖ ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ, καὶ δίδωσιν ἀντὶ μνήστρων τὴν πρὸς τὸ συγγενὲς καταλλαγήν· καὶ οὐκ ἀναιρεῖ μόνον τὴν ἔχθραν, οὐδὲ τὴν ἄφεσιν δίδωσι τοῦ ὀφλήματος· οὐδ' ἣν καθ' αὑτῶν ἐχειρογραφήσαμεν διασχίζει γραφήν· ἀλλὰ καὶ συγκληρονόμους τοῦ ἀγαπητοῦ ποιεῖται.

a) Ibid. pag. 1616. A-D. *Ἀλλὰ καθίστασο νῦν σοφιστὰ τῆς κακίας εἰς ποινὴν τῶν δολερῶν ἐκείνων σκεμμάτων, οἷς τῇ ψιθυρῷ γλώσσῃ τοὺς ἐμοὺς ἐξειργάσω προπάτορας· μᾶλλον δὲ, δι' ὧν καθ' ὅλης τῆς φύσεως ἐτέχνασω τὸν ὄλεθρον· οὐ γὰρ ἔτι ἀλύπως ἔχων ἀπίοις· οὐδὲ ἐπὶ τῇ χλεύῃ σεμνυνόμενος· ἤδη γὰρ ἤδη σοι ἐπὶ τὴν κακομήχανον κεφαλὴν, τὸ καθ' ἡμῶν ἐνσκήπτει κακοῦργον ἐγεννήθη τῇ Εὔᾳ παιδίον, δι' οὗ ἐκείνης ἀνακαλεῖται μὲν ἡ ἧττα, καὶ τὸ σκυθρωπὸν εἰς φαιδρότητα μεταχωρεῖ· σὲ δ' ἀπαράκλητος ἧττα περι-*

1) I. Reg. I. 20.

2) Sed quo pacto aut laudatur *σύλληψις conceptio*, aut per illam exitiosus peccati partus elanguisse dicitur, si eo fuit peccato infecta, novumque praebuit grassantis peccati argumentum? Sunt igitur haec disertissima, et conceptum Virginis culpae nescium ad evidentiam usque commonstrant.

« Iamvero poenam nunc lue, o callide malitiae artifex, pro molitionibus dolo plenis quibus susurrante lingua meos progenitores male habuisti, immo quibus adversus naturam totam interitum machinatus es. Nec enim deinceps liber a tristitia abibis, neque subsannando gloriaberis. Iam enim iam in tuum vertitur maleficum caput, quod contra nos excogitasti maleficium. Nata est Evae puella, per quam eius quidem instauratur ruina, et moestitia in laetitiam transit: te vero inconsolabilis circumstabit casus et profundus moeror. Excultus est paradisus, e quo immortalis germinabit arbor, quae arboris mortem dissolvat, cuius gustandae auctor fuisti, et per quam is qui errore deceptus morti traditus fuerat, ad immortalitatem reparetur. Furtivo mendacique susurro matrem malis implicasti; modicum aliquantulum maligni tui consilii mercedem exspecta quam consequeris, quum filius immaculatissimo partu in lucem prodibit. Videbis modo deitate revera eum donatum quem olim mendaci deitatis promissione deludens a divina consuetudine extorrem effecisti: eumque livorem quo ab initio contabuisti, ipso adversus quem illum effudisti, tuum caput conculcante, multo te acrius exedentem exsperieris. » Neque his contentus [a]) Leo Augustus, e vestigio pergit: « Deitatem mulierculae [1]) suggessisti, illam-

στοιχιεῖ, καὶ βαθεῖα, στυγνότης· ἐγεωργήθη παράδεισος, ἐξ ἧς ἀναβλαστήσει φυτὸν ἀθάνατον, τὰς κῆρας τοῦ φυτοῦ διαλύον, οὗ τὴν γεῦσιν προεξενήσας· καὶ τὸν ἐξ ἀπάτης παραδοθέντα θανάτῳ, πρὸς ἀθανασίαν ἀνακτώμενον· κλοπῇ καὶ ψεύδει τὴν μητέρα κακοῖς περιέβαλες· ἐκδέχου μικρὸν ὅσον οὔπω τῆς σῆς κακομηχανίας τὰ ἐπίχειρα, ἅ σοι παραγενήσεται τοῦ τέκνου πρὸς τὸν πανάμωμον τόκον ἥκοντος· ἄρτι θεούμενον ὄψῃ τῷ ὄντι, ὃν πάλαι πλάνῳ θεώσεως ὑποσχέσει, θείας συνουσίας κατέστησας ὑπερόριον· καὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἐντακέντα σοι φθόνον, τοῦ καθ᾽ οὗ τοῦτον ὤδινας, τῆς σῆς ἐπιβαίνοντος κεφαλῆς, ἕξεις ἐπιπλεόν σε διεσθίοντα.

a) Ibid. pagg. 1616. D-E. et 1617. A. Ὑπέθου θέωσιν τῷ γυναίῳ, καὶ τῆς ἀλύπου ζωῆς ἀνασπάσας, λύπης ἀνάμεστον ζωὴν προξενεῖς· οὐ μόνον οἷς ἄλλαι μυρίαι κῆρες τὸν βίον περιστοιχίζουσιν· ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν ἐχρῆν ὑπόθεσιν εὐφροσύνης εἶναι ἀνθρώπου πρὸς φῶς ἐξιόντος τῶν σκοτεινῶν τῶν ἐγκάτων χωρίων, καὶ τοῦτο δὴ λύπης αἴτιον τεκτηνάμενος· ἐν γὰρ λύπαις τίκτειν τῇ βαρείᾳ καθ᾽ ἡμῶν ἀποφάσει προσέκειτο· ἀλλὰ νῦν τόκος ἐμαιεύθη τῆς λυπηρᾶς κρατῶν ἀποφάσεως, καὶ τὴν χαρμονὴν τοῖς πέρασι μνώμενος· διέσφηλας τὸν γενάρχην σκελίσας γυναίῳ, καὶ τὸν φθοροποιὸν τῆς σῆς συμβουλῆς λόγον ἐπὶ κακῷ τῷ σφῶν ἔπεισας δέξασθαι· ἐτέχθη παιδίον ἡμῖν τῆς αὐτῆς μὲν τῇ Εὔᾳ πλάσεως· τοῦ σφάλματος δι᾽ αὐτῆς ἡ ἀνόρθωσις, καὶ τῆς σῆς ἡ ἀφορμὴ πτερνίσεως, οἷς τὸν ζωοποιὸν τοῦ θεοῦ λόγον ἀρρήτως καὶ ὑπὲρ νοῦν ὑποδέξεται.

1) Gen. III. 5.

Digitized by Google

que e vita abstrahens tristitiis vacua, vitam tristitiis plenam intulisti, nedum qua innumera alia mala humanam circumstant vitam; verum etiam qua illud ipsum quod in laetitiae argumentum cedere oportebat, exeunte homine in lucis auras e tenebricosis viscerum sinibus, tristitiae [1]) effeceris caussam. Gravi namque illi adversus nos sententiae partus in tristitiis adiunctus erat. Nunc enimvero partu editur ac suscipitur proles tristitiarum sententiam vincens, gaudiique pignora universo terrarum orbi praebens. Fefellisti generis parentem et per feminam supplantasti, tuique consilii exitiosum sermonem in suam ipsorum perniciem suscipere persuasisti; at nobis nata est puella ex eodem quidem atque Eva figmento, quae tamen Evae emendatio sit atque caussa qua ipse supplanteris: vivificum enim Dei Verbum ineffabiliter et supra mentis cogitationem suscipiet. »

947. His gemina [a]) complectitur quum mysterium celebrans praesentatae in templo Virginis exclamat: « O puellam, quae matrem veteri illo debito absolvet, et parentis nuditatem obteget, siquidem conditori carnis tunicam commodabit: ex qua dum novus Adam compactum sumet corpus, antiquus ille costae debitum recipiet. O puellam, cuius is qui supra caelos est, se amatorem ostendet! O per quam Deus cum natura e pulvere coalescente consuetudinem habebit! O per quam accessura nobis est dignitas, quam quum importune exambiremus, eorum quae suppetebant iacturam fecimus. » Atque gemina rursum [b]) complectitur inquiens: « Vere sola in mulieribus benedicta, quae sola primae parenti eiusque posteris opem tulit: illi quidem quatenus duplicem calamitatem, cuius illa sibi filiisque auctrix fuerat, exsolvit: his vero quatenus

a) Orat. in Deiparae praesentat. pag. 1625. B-C. Ὦ παιδὸς, ἡ τὴν μητέρα τῆς πολυχρονίου ὀφειλῆς ἀπολύσει, καὶ τοῦ γονέως τὴν γύμνωσιν περιστελεῖ, ἐν τῷ δανείζειν τῆς σαρκὸς τὸν χιτῶνα τῷ πλαστουργῷ· ἧς ἐν τῷ λαμβάνειν πῆξιν τῷ νέῳ Ἀδὰμ ὁ παλαιὸς, τὸ ἐκ τῆς πλευρᾶς ἀπολάβοι χρέος· ὢ κόρης, ἧς ὁ ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν ὀφθήσεται ἐραστής· ὢ δι' ἧς ὁμιλήσει Θεὸς φύσει τῇ χοϊκῇ· ὢ δι' ἧς ἡμῖν περιποιηθήσεται τὸ ἀξίωμα, ὅπερ οὐκ ἐν καιρῷ λαμβάνειν βουληθέντες, τῶν προσόντων ἐζημιώθημεν.

b) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1744. C-E. Τῷ ὄντι μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, ἡ μόνη τῇ προμήτορι, καὶ τοῖς ἐξ αὐτῆς βοηθήσασα· τῇ μὲν, οἷς διπλοῦν οὖσαν τὴν κατήφειαν, ἑαυτῇ καὶ τοῖς τέκνοις λυμηναμένη, διελύσατο· τοῖς δὲ δι' ὧν τούς τε κατόχους ὄντας τῷ κακῷ, ἀπελυτρώσατο, καὶ τοὺς μετὰ ταῦτα οὐκ εἴασε κατασχεθῆναι τῇ συμφορᾷ.

1) Gen. III. 16.

ipsos a malis quibus obnoxii tenebantur, redemit, neque passa est ut posteri in eadem mala denuo incurrerent. »

948. Quid vero nicomediensis Georgius? Is primum [1]) commemoratis satanae dolis atque universi hominum generis in protoparentibus ruina, mox [a]) scribit: « Volens itaque rerum conditor illud tollere, atque tum potentiam suam, tum saucii sanationem exhibere, id molitur ut iacentem adversus sauciatorem erigens ei victoriam tribuat. Id porro haud alia ratione fieri poterat, quam ut medicus aegrotantis induens naturam, blando eiusmodi habitu quod erat vitiatum ad se traheret. » Tum [b]) pergit: « Quando autem haec ita fuerant provisa, parque erat ut ab eadem ipsa radice e qua malum a principio ortum erat, medicatio quoque germinaret, utque eadem pelleretur via qua in hominum genus invaserat: a muliebri nimirum facilitate quae incaute aperiens aditum sibi pariter viroque atque posteris perniciem adscivisset; sic omnino res habuit. » Et quoniam sic omnino res habuit, propterea [c]) de Ioachimo et Anna subdit: « Quamobrem etiam [2]) immaculatam illam gignunt, regenerationis nostrae auctricem, nostrae reformationis caussam, per quam vitiata in nobis Dei imago ad suum rediit decorem, per quam tunicas peccati abiicientes, induti sumus stolam luminis. » Cum graecis doctoribus latini consentiunt, quos inter [3]) venerabilis Beda

a) Orat. IV. in Deiparae praesentat. pagg. 1071. D. et 1073. A. Τοῦτον τοίνυν ὁ δημιουργὸς ἐξᾶραι βουληθεὶς, καὶ ἑαυτοῦ μὲν τὴν δυναστείαν, τοῦ τετρωμένου δὲ τὴν ἰατρείαν ἐνδείξασθαι, μηχανᾶται κατὰ τοῦ τρώσαντος τὸν κείμενον ἀναστῆσαι, καὶ αὐτῷ τὰ τῆς νίκης κατεγχειρίσαι· τοῦτο δὲ οὐχ ἑτέρως ἐκβαίνειν οἷόν τε ἦν, εἰ μὴ τὴν τοῦ νενοσηκότος τὸν ἰατρὸν ὑποδῦντα φύσιν, ἠπίῳ τῷ σχήματι πρὸς ἑαυτὸν ἕλξοι τὸ λυμαινόμενον.

b) Ibid. pag. 1074. B-C. Ἐπεὶ δὲ ταῦτα οὕτως ᾠκονομήθη, ἔδει δὲ ἐξ ἧς ἀρχῆθεν τὸ δεινὸν ὡρμήθη ῥίζης, ἐκ ταύτης τὴν ἰατρείαν ἀναβλαστῆσαι· καὶ δι' ἧς ὁδοῦ πρὸς τὸ γένος εἰσήχθη, διὰ ταύτης ἐξελαθῆναι· ἣ δὲ ἦν ἡ γυναικῶν εὐκολία, οὐκ ἀσφαλῶς τὴν εἴσοδον ἐξανοίξασα, ἑαυτῇ τε καὶ τῷ οἰκείῳ, καὶ τοῖς ἔπειτα τὴν λύμην διασκεδάσασα· καὶ δὴ τοῦτο πραγματεύεται.

c) Ibid. pag. 1086. C-E. Διὸ καὶ γεννῶσι τὴν ἄχραντον τὴν τῆς ἀναγεννήσεως πρόξενον ἡμῶν, τὴν τῆς ἀναπλάσεως ἡμῶν αἰτίαν· δι' ἧς τὸ κατ' εἰκόνα θεοῦ ἀχρειωθὲν, πρὸς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθεν εὐπρέπειαν· δι' ἧς τοὺς τῆς ἁμαρτίας χιτῶνας ἀποβάλλοντες, τὴν τοῦ φωτὸς στολὴν ἠμφιασάμεθα.

1) Orat. IV. in Deiparae praesentat. pag. 1071. D-E. apud Combefisium Auctar. T. 1.

2) Nemo *originis macula infectus*, citra manifestam idearum verborumque pugnam, *immaculatus* aut censeri aut dici genitus potest. De Virgine autem, utpote reparationis nostrae auctrice, dicitur quod illam parentes immaculatam genuerint. Illius ergo conceptus originalis maculae exsors diserte perhibetur.

3) Hom. in Deiparae annunciat. pagg. 172-173. in Pietate mariana curis edita I. B. Malou, Lovanii MDCCCXLVII.

Digitized by Google

de verbis [1]) disserens annuntiatae per Gabrielem Deiparae, scribit: « Aptum profecto humanae restaurationis principium, ut angelus a Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam divino, quia prima perditionis humanae fuit caussa quum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam: immo ipse in serpente diabolus veniebat, qui genus humanum [2]) deceptis parentibus primis, immortalitatis gloria nudaret. Quia ergo mors intravit per feminam, apte redit et vita per feminam. Illa a diabolo seducta per serpentem viro gustum necis obtulit, haec a Deo edocta per angelum mundo auctorem salutis edidit. » Neque aliter [3]) Walafridus Strabo, cuius haec sunt verba: « Maria, ut plerique aestimant, interpretatur *inluminatrix* et *stella maris*. Sermone syro *Domina* dicitur. Bene autem illuminatrix dicitur, quia per ipsam lux totius mundi natus est Christus. Quia sicut per Evae transgressionem in tenebris et umbra mortis aeternae damnata est omnis terra; ita et per merita beatae semperque virginis Mariae et per partum eius, liberata et sanctificata atque inluminata est omnis terra. »

949. Eumdem providentiae ordinem, eamdemque inter utramque Evam oppositionem expendunt atque illustrant hinc quidem [4]) Ionas aurelianensis episcopus, inde vero [5]) Anselmus cantuariensis antistes, qui de origine Christi servatoris ex Virgine ait: « Pinge igitur non super [6]) fictam vanitatem sed super solidam veritatem, et dic quia valde convenit ut quemadmodum hominis peccatum et caussa nostrae damnationis initium sumpsit a femina; ita medicina peccati et caussa nostrae salvationis nascatur de femina: ac ne mulieres desperent se pertinere ad sortem beatorum, quoniam de femina tantum malum processit; oportet ut ad reformandam spem earum de muliere tantum bonum procedat. Pinge et hoc: si virgo erat quae caussa fuit humano generi totius mali; multo magis decet ut virgo sit quae caussa erit totius boni. Hoc quoque pinge: si mulier quam fecit Deus de viro sine femina, facta est de virgine; convenit valde ut vir quoque qui fiet de femina, sine viro

1) Luc. I. 26.
2) Gen. III. 4.
3) Hom. in init. Evang. s. Matthaei, pag. 53. A-C. in Thesauro anecdot. novissimo Pezii, T. II. P. I.
4) De cultu imaginum lib. II. pag. 184. D-F. in max. pp. biblioth. T. XIV.
5) Cur Deus homo, lib. II. cap. VIII. pag. 86. col. 2. D-E.
6) Al. *siccam*.

fiat de virgine. » Ubi vero [1]) agit de perfectione iustitiae quam consequi in praesentia possumus, scribit: « Constat ergo quia omnes qui in carne peccati vivunt, peccati sordem ad purum exuere non possunt. Unde adhuc [2]) de Ecclesia matre subditur, quia *omne sanctum non tanget*, illud videlicet perfectissimae puritatis quod habent angeli; *nec ingredietur sanctuarium*, subauditur patriae caelestis, *donec impleantur dies purgationis eius*, idest donec peractum sit ei tempus vitae mortalis in quo purgatur assidue, sed [3]) perfectionem purgationis in eo non assequitur. » Tum [4]) pergit: « Tanta quippe est et tam perseverans inquinatio, quam immundus spiritus humano generi per Evam infudit, ut ex toto purgari nequeat, nisi quum vitae mortalis aut seculi terminus advenerit. Sed sicuti per Evam venit inquinatio, sic per Mariam revertitur emundatio. » Quod conversis ad illam precibus repetens [5]) de Christo ait: « Qui suo inenarrabili munere praestitit ut natura humana ad similitudinem sui condita creatoris, dissimilis per peccatum et mortem effecta nequaquam in aeterna damnatione periret, sed illam per te sua immensa pietate repararet; et ut tu nova et intemerata Virgo facinus antiquae viraginis expiares. »

950. Quare auctor tractatus de conceptione beatae Mariae virginis, qui tribui Anselmo consuevit, his verbis [6]) orditur: « Omne quippe bonum ad quod homo conditus fuerat, perdidit in Adam; et idem ipsum bonum multo excellentius humana natura recuperavit in Maria. » Commemoratis [7]) deinde bonis in Adamo amissis, descriptaque originalis praevaricationis ruina, mox [8]) pergit: « At Ille cuius pietas non exhauritur, cuius misericordia non exinanitur, cuius bonitas numquam deficit, cuius maiestas quod vult efficit, hominem ad similitudinem sui creatum, ne totus in aeterna damnatione periret, liberare instituit; et ordine quo gratior esse non potuit, ipse videlicet qui hoc et per se faceret, homo fieri voluit, nec talis ut ceteri homines, sed ut ipse et assumpta humani-

1) Hom. VI. in Evang. secundum Lucam, pag. 170. col. 1. B-D.

2) Levit. XII.

3) Atqui nihil est testificatione maiorum exploratius, quam Virginem *peccati sordem ad purum exuisse*, et nullam vel levissimam actualis peccati labem contraxisse. Qua de re insignis est tridentinae synodi declaratio sess. VI. can. XXII. Quodnam igitur arbitrabimur *speciale privilegium* Virgini collatum? quod nimirum in carne quidem vixerit, sed non *in carne peccati*.

4) Ibid. pag. 170. col. 1. C-D.

5) Orat. XLV. ad Virginem, pag. 278. col. 2. E.

6) Tract. de Virginis concept. p. 501. col. 1. D.

7) Ibid. pag. 501. coll. 1. D-E. et col. 2. A-B.

8) Ibid. pag. 501. col. 2. B-C.

tas in una persona esset perfectus Deus et perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens. » Tum [1]) subdit: « Sed tota humana natura in radice sui vitiata fuerat atque corrupta; nec Deus corruptioni et vitio peccati potest consociari. Necesse igitur fuit ut natura de qua se hominem facere volebat, et humana et munda ab omnis peccati contagio esset: quod non inveniret, cum ut dixi, nihil incorruptum vitiata cunctorum radice exsisteret. Sed qui humanae perditioni subvenire disponebat, Dei virtus et Dei sapientia nuncupatur. Itaque ad omnia quae vult, posse suppetit illi, nec sapientiae illius ullus est numerus, quae pertingit a fine usque ad finem cuncta disponens. Poterat ergo de massa peccatrice naturam humanam ab omni labe peccati immunem facere, unde in unam personam sui susciperet, ut homo integer esset et divinitati suae nihil minueret. » Quid [2]) igitur? « Praedestinata fuit et praeordinata in hoc opus mirabile et omnibus operibus Dei praestans et inenarrabile, Maria, scilicet illa magni maris nobilissima stella, hoc est, totius seculi illustratio, et omnium in tempestatibus diversorum casuum titubantium indeficiens levamen et consolatio, nec non ab aeternae mortis interitu paventium ac sub eius praesidium confugientium tutum iuvamen atque redemptio. » E quibus inferendo [3]) concludit: « Te igitur, Domina, quam in tantum culmen praedestinavit et exstulit divina potentia, quam tot praerogativis dotavit cuncta disponens Dei sapientia, quam sibi matrem elegit ad mundo subveniendum, ipsa omnium salvandorum ineffabilis misericordia; crediderim ne, quaeso, te morte peccati, quae per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in tuo conceptu potuisse gravari? Me namque iterum atque iterum ipsas quas superius commemoravi rationes considerante, animus hoc credere vitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet. »

951. Ac merito, auctore siquidem [4]) Petro Damiani: « Nullus humanus sermo in laudes eius invenitur idoneus, de qua mediator Dei et hominum cognoscitur incarnatus. Impar est illi omne humanae linguae praeconium, quae de intemeratae carnis suae visceribus cibum nobis protulit animarum: illum videlicet qui de se-

1) Ibid. pag. 501. col. 2. B-D.
2) Ibid. pag. 501. col. 2. C-E.
3) Ibid. pag. 501. col. 2. D-E.
4) Serm. XLV. idemque II. in Virginis nativit. pag. 109. col. 1. D-E.

Digitized by Google

metipso perhibet [1]) dicens: *ego sum panis vivus qui de caelo descendi, siquis ex hoc pane manducaverit, vivet in aeternum.* Per cibum namque a paradisi sumus amoenitate deiecti, per cibum quoque ad paradisi gaudia reparati. » Sed quonam pacto? Declarat Petrus [2]) subdens: « Cibum comedit Eva, per quem nos aeterni ieiunii fame multavit: cibum Maria edidit, qui nobis caelestis convivii aditum patefecit. » Eodem haec pertinent quae scribit [3]) Fulbertus carnotensis: « Dixit aeternus ad mulierem, Deus [4]) ad serpentem: *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.* Quid est, fratres, in hoc loco serpentis caput conterere, nisi principalem diaboli suggestionem, idest, concupiscentiam resistendo superare? Si ergo quaeratur quaenam mulier huiusmodi victoriam operata sit, profecto non reperitur in linea generationis humanae, donec perveniatur [5]) ad illam de qua agitur sanctarum sanctam. » Unde [6]) colligit: « Haec est ergo mulier ad quam divinum illud intendebat oraculum, hanc quandoque nascituram innuebat, hanc singulariter intimabat. » Sensit hoc [7]) Bernardus et verba enarrans [8]) Evangelistae, *missus est angelus Gabriel a Deo ad Virginem,* exclamavit: « Currite matres, currite filiae, currite omnes quae post Evam et ex Eva et parturimini cum tristitia et parturitis. Adite virginalem thalamum, ingredimini si potestis pudicum sororis vestrae cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur angelus Mariam. Apponite aurem parieti, auscultate quid nuntiet ei, si forte audiatis unde consolemini. » Alloquens deinde [9]) protoparentes, subdit: « Laetare, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater, exsulta, qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; et quod infelicius est, prius peremptores quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia et tali filia, sed illa amplius de qua malum ortum est prius, cuius opprobrium in omnes pertransiit mulieres. Instat namque tempus quo iam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam: qui utique

1) Ioh. VI.

2) Ibid. pag. 100. col. 1. E.

3) Orat. in Deiparae nativit. pag. 98. col. 1. B-D. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VIII.

4) Gen. III. 15.

5) Quod quidem verissimum est, si *de immunitate ab utraque concupiscentia habituali et actuali* intelligatur, falsissimum vero si ad triumphos contra aestuantem concupiscentiam revocetur. Virgini itaque immunitas adscribitur ab utraque concupiscentia, atque ipsi adeo immunitas adscribitur a labe originali, cuius illa *signum* est ac prope *materies.*

6) Ibid. pag. 98. col. 1. D.

7) Hom. II. super *Missus est*, n. 2. pag. 743. E-F. opp. T. III.

8) Luc. I.

9) Ibid. n. 3. pagg. 743. F. et 744. A.

dum se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est [1]) dicens: *mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno et comedi.* Propterea curre Eva ad Mariam, curre mater ad filiam; filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per feminam, iam non erigitur nisi per feminam. » Quod continuo [2]) uberius exponens inquit: « Quid dicebas, o Adam? *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno et comedi.* Verba malitiae sunt haec, quibus magis augeas quam deleas culpam. Verumtamen sapientia vicit malitiam, quum occasionem veniae quam a te Deus interrogando elicere tentavit sed non potuit, in thesauro indeficientis suae pietatis invenit. Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba; quae pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitae, et pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus aeterni. Muta ergo iniquae excusationis verbum in vocem gratiarum actionis et dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitae et comedi, et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Ecce enim ad hoc missus est angelus ad Virginem. O admirandam et omni honore dignissimam Virginem! O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem! » Quam ut in scripturis praenunciatam ostendat, haec inter cetera [3]) habet: « Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam praedixisse Deus videtur quando ad serpentem [4]) ait, *inimicitias ponam inter te et mulierem?* Et si adhuc dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur: *ipsa conteret caput tuum.* Cui haec servata victoria est, nisi Mariae? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quae omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. »

952. Prae quibus haec non sunt illustria minus, quibus alibi [5]) Bernardus sermonem auspicatur: « Vehementer quidem nobis vir unus et mulier una nocuere; sed, gratias Deo, per unum nihilo minus virum et mulierem unam omnia restaurantur, nec sine magno fenore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita et donum; sed excedit damni aestimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum

1) Gen. III. 12.
2) Loc. cit. n. 3. pag. 744. A-C.
3) Ibid. n. 4. pag. 744. C-D.
4) Gen. III. 15.
5) Serm. de duodecim Virginis praerogativis, n. 1. pag. 1012. C-D.

Digitized by Google

prudentissimus et clementissimus artifex quod quassatum fuerat, non confregit, sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, et Evam transfunderet in Mariam. » Cuius supernae dispensationis caussas aperiens [1]) inquit: « Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis ut adesset nostrae reparationis sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis plane et praepotens mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, sed divinam in eo reverentur homines maiestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed effectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter et iudicium: quia etsi didicit ex his quae passus est compassionem ut misericors fieret, habet tamen et iudiciariam potestatem. Denique [2]) Deus noster ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei? » Quare [3]) subdit: « Iam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria. » De qua, comparatione ipsam inter atque Evam instituta, pergit [4]): « Crudelis nimirum mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit, sed fidelis Maria quae salutis antidotum et viris et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, haec propitiationis: illa suggessit praevaricationem, haec ingessit redemtionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile: tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. Omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine eius accipiant universi, captivus redemtionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus laetitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanae substantiam, ut non sit qui se abscondat a calore eius. »

953. Quemadmodum vero alibi [5]) ad idem provocat Geneseos oraculum, illudque de Maria intelligendum docet; ita eidem insistens [6])

1) Ibid. n. 1. pag. 1012. D-E.
2) Deut. IV. 24. coll. Hebr. XII. 29.
3) Loc. cit. n. 2. pag. 1012. E.
4) Ibid. n. 2. pagg. 1012. E-F. et 1013. A.
5) De diversis serm. LII. al. IX. ex parvis. n. 3. pag. 1102. A-C.
6) Serm. in Virginis nativit. n. 6. pag. 1020. C-D.

Digitized by Google

comparationi scribit: « Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiae, consilium pietatis. Caelesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit: redemturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Ut quid hoc? Forte ut excusaretur Eva per filiam, et querela viri adversus feminam deinceps sopiretur. Ne dixeris [1]) ultra, o Adam, *mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito;* dic potius, mulier quam dedisti mihi, me cibavit fructu benedicto. » Huic caussae alteram continuo [2]) addens pergit: « Piissimum sane consilium, sed latet forsitan aliud, nec totum hoc est. Altius ergo intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens auster ille divinus, ut undique fluant et effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi; quid nisi caligo involvens et umbra mortis ac densissimae tenebrae relinquuntur? »

954. Expendit Petrus cellensis Isaiae [3]) vaticinium, *ecce Virgo,* atque inter alia sane praeclarissima [4]) scribit: « Quod ait, *ecce,* videtur mihi oculo et digito propheta in horologio aeternae dispositionis affixisse et praevidisse atque praemonstrasse unde angelus miraretur, homo redimeretur, Dominus conciperetur. Ecce avertite oculos ne videant vanitatem, et advertite quod factum a Domino, quod est mirabile in oculis nostris, in eadem virginitatem et fecunditatem. Ecce palatium mirificis impensis constructum, sed et gazis incomparabilibus locupletatum, solique Deo Dei Filio locupletatum. Ecce Virgo, ecce vitis, ecce uva non acerba sed matura. » Post quae [5]) subdit: « Eva fuit uva acerba, Maria fuit uva matura. Nec mirum, illa enim initio seculi compatiens gulae, immatura consideratione prosilivit ad pomum acerbum prohibitione, et dentes filiorum necdum natorum obstupescere fecit in omni generatione. Haec autem in fine seculorum modestissima, rore et sole caelesti maturata, non praeceps fuit praesumptione, nec tarda, quasi pu-

1) Gen. III. 12.
2) Loc. cit. n. 6. pag. 1020. D-E.
3) Is. VII. 14.
4) In verba Is. VII. 14. serm. VI. pag. 17. B.
5) Ibid. pagg. 17. C-E. et 18. A.

Digitized by Google

trida, incredulitate. Angelus attulit ei florem [1]) dicens, *ave Maria:* attulit rorem dicens, *gratia plena:* attulit fructum dicens, *Dominus tecum:* attulit maturitatem dicens, *benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* Ecce Virgo ore, oculis, labiis, digito, pede, manu, corde, mente, carne. Ecce Virgo quasi aurora inter noctem et diem, inter Dominum et hominem. *Pulchra ut luna* [2]) dierum, idest virtutum plenitudine. *Electa ut sol,* gratia, meritorum singularitate. *Terribilis ut castrorum acies*, super omnes potestates angelicas et aereas, plena donatione. Ecce Virgo sapiens quae habet oleum effusum in ventre suo cum lampade mirabilium operum, quae introivit cum sponso, immo in quam introivit sponsus et filius eius Iesus. Ecce Virgo pia ad infirmos, sancta ad iustos, herba fullonum ad immundos, sal ad putridos, scala ad claudos, reconciliatrix ad reos, misericordia ad miseros, portus ad naufragos, turris ad pavidos, domina ad suos, singularis bonitas ad cunctos. Ecce Virgo cella aromatum, cuius verba fragrantia super omnia aromata: quia in nulla virgine Spiritus sanctus tanta immisit spiracula virtutum, quibus odoratus Dominus odorem suavitatis, et angelica implentur thuribula, nostraque incensoria. » Ubi vero [3]) ordinem contemplatur humanae reparationis, et totus in eo est ut Dei praescientiam extollat, de hac ipsa [4]) scribit: « Non ipsa pendet de futuris eventibus, sed omnes rerum mutabilitates de immobilitate eius tamquam de universorum matrice egrediuntur. Igitur, tamquam Iacob et Esau in eodem utero, Evae procacitas et Mariae sanctitas congressum diversis studiis facientes quodammodo praescientiae viscera concutiebant, ut novissima, sicut dictum est, utilitate et dignitate antiquis praeirent, et favorabilior celebraretur Mariae singularis conceptio, quam paradisi terreni plantatio, et Christus de Virgine natus, quam Adam in paradiso positus. » Quod ut [5]) explicet, pergit: « In paradiso ille serpens cum homine reperitur, in Virgine solius Spiritus sancti obumbratio cum Iesu suscipitur: nullos flatus aut sibilos immisit corrupta totius boni intra septa horti nostri diabolus, quia hortus conclusus, fons signatus, sicut soli regi seculorum, qui est imago Dei invisibilis gremium suum expandit, sic omni subreptitiae vanitati vectes ferreos exa-

1) Luc. I. 28.
2) Cant. V. 9.
3) Serm. de beatissima Virgine, pag. 223. A.
4) Ibid. pag. 223. B.
5) Ibid. pag. 223. C.

Digitized by Google

ctissimae custodiae opposuit: gloria enim Dei quae assumpta est de Cherub ad limen domus, custodivit eam ab inimicis suis et a seductoribus tutavit eam. »

955. Succedunt Hugo rotomagensis archiepiscopus et anonymus idemque eruditus auctor tractatus adversus Iudaeum, qui seculo duodecimo claruerunt, et e quibus ille [1]) ait: « Eva mater corrupta genuit, et mortis filium peperit. Maria mater integra genuit; et vitae fructum edidit. Illa perdidit, haec salvavit. Illa diabolo consensit et cecidit, haec Spiritum sanctum accepit et surrexit. Primus homo in paradiso mandatum accepit, quo creatori creatus servire debuit, ut obediendo teneret iustitiam, iustitia vivens transiret ad gloriam; sed dum praepropero cursu quaesivit gloriam, obedientiae fregit iustitiam prolapsus in culpam, a culpa in mortis miseriam. Secundus homo quem genuit Virgo, mundi reparator, descendens a superiori, ut nos erigeret inventus est [2]) in inferiori. Hoc sane mysterium ab aeterno dispositum, angelis creditum, diabolo celatum, prophetis revelatum, redditum est in Maria, susceptum ab Ecclesia, completum in gloria. » Anonymus vero [3]) ubi Isaiae [4]) oraculum adversus iudaicam perfidiam tuetur, sic habet: « Ecce novum, ecce mirabile seculis inusitatum et humanis auribus inauditum. Ecce pro una costa quam tulit Dominus de Adam ut formaret eam in mulierem, reddetur pro osse vir, pro costa corpus integrum; et quae virum decepit, viri deceptorem decipiet, reddendo virum pro viro, pro perdito Salvatorem, pro servo Dominum, pro creatura Creatorem restituet. » De appellatione autem Emmanuelis [5]) scribit: « Hoc nomen quod est Emmanuel, exprimet in eo utramque naturam, divinam et humanam, hoc est Deum hominem esse factum inter homines: hanc Virgo concipiet et tamquam filium pariet, ut inimicitiarum vindictam exerceat ac matris iniuriam vindicando de serpente triumphet, illa sententia Domini [6]) veritate completa qua dictum est: *ipse conteret caput tuum.* Is contra fortem virtute fortioris procedet, sinistra pugnabit ut dextera, pro matre filius, pro homine Deus, fietque pro primi parentis delicto redemptio vera, pro dolo decipientis victoria gloriosa. »

1) Dialog. lib. III. pagg. 932. B-D. et 933. A. apud Martene in thesauro anecdot. T. V.
2) Philipp. II. 6.
3) Tract. adversus Iudaeum n. 75. pag. 1565. A-B. apud Martene ibidem.
4) Is. VII. 14.
5) Loc. cit. n. 76. pag. 1566. D-E.
6) Gen. III. 15.

Digitized by Google

956. Multus porro est in hoc ipso tradendo expoliendoque doctrinae capite Amedeus lausannensis episcopus, e quo, ut ceteris [1]) sepositis, perpauca solum decerpam, haec primum [2]) habentur: « Decebat enim ut sicut [3]) per feminam mors, sic per feminam vita intraret in orbem terrarum. Et sicut [4]) in Eva omnes moriebantur, ita in Maria omnes resurgerent. Illa male credula verbis serpentis, mortis veneuum miscuerat. Haec [5]) conterens caput serpentis antidotum vitae cunctis ministravit, ut mortem occideret et vitam repararet. » Tum haec [6]) habentur: « Sicut enim in Eva omnes moriuntur, ita et in Maria omnes vivificabuntur. Et sicut Evae scelere fit mundi damnatio, ita fide Mariae facta est orbis reparatio. Illa infecta est veneno lethali quod transfudit ad posteros, haec infusa vitali antidoto quod fidelis transmisit ad universos. Corruit illa male credula serpenti, surrexit ista, et iuxta verbum quod [7]) dixit Deus in Genesi, contrivit caput serpentis. Ab initio praenunciata, et nunc ecclesiae primitivorum donata. Ex tunc repromissa, et in fine temporum exhibita. » Atque haec rursum [8]) habentur: « In te *(Deum intelligit)* etiam laudabitur non Eva lethi propinatrix, sed Maria vitae propinatrix, mater et altrix coniunctorum vita viventium. In te laudabitur genitrix tua, audiant [9]) mansueti et laetentur. Lucifer gloriosus et arrogans vulneratus ad ima corruit, audiant superbi et humilientur. Virgo humilis ad thronum gloriae coronata conscendit, audiant humiles et laetentur. Corruit ille elatus magna de se praesumendo; introivit Maria in holocaustis totam se plenitudini gratiae committendo. Ille dignitatis angelicae clarissimos fines excedens, iustissimae damnationis in tormentis poenas exsolvit. At gloriosissima, carne integerrima, mente serenissima, viventium mitissima, quo cunctis humilior et sanctior exstitit, eo super omnes elevata, et in caelum a caeli civibus honorificentissime et ex more imperiali suscepta a Patre supremo, in regno claritatis aeternae et in throno excellentissimae gloriae prima post Filium, quem ex se genuit incarnatum, iussa est residere. »

1) De laudibus Virginis hom. III. pag. 1269. F. et Hom. VIII. pag. 1277. C. in max. pp. biblioth. T. XX.
2) De laudibus Virginis hom. II. pag. 1265. E-F.
3) Rom. V. 18.
4) I. Cor. XV. 22.
5) Gen. III. 15.
6) De laudibus Virginis hom. VII. pag. 1275. A-C.
7) Gen. III 15.
8) De laudibus Virginis hom. VIII. pagg. 1276. G-H. et 1277. A.
9) Ps. XXXIII. 3.

Digitized by Google

957. Tacitus praetereo quae [1]) Rupertus tuitiensis eadem instinctus mente litteris consignavit, eaque refero quae [2]) Andronicus byzantinus quaestionem versans, *cur Dei Filius homo factus sit*, his verbis complectitur: « Postquam terrestris diaboli invidia et uxoris fraude, caelestem se vocari non observans, pro vita mortem non sibi modo sed toti adeo generi conscivit; oportebat caelestem et immortalem Deum Gabrielis opera ex incontaminata et impolluta femina nasci: quemadmodum de viro sine muliere effecta mulier est, sic e muliere sine viro Deum hominem virum prodire, ut peccati repertor insuperabilem se arbitratus, nobis spe Numinis inescatis, assumpto vicissim corpore inescaretur, quo Deum ceu Adamum adortus occumberet. Itaque exinanitum Numen cum assumpto corpore copulatum est, et insolito temperamento Deus et homo ex utroque unum, et per unum utrumque factus, Deo cum corpore permixto atque devincto ut quae dissiderent cuiusdam tamquam medii commercio in unum componeret. » Et [3]) continenter: « Igitur unus ex utroque pro uno decessore, seu ut verius dicam, pro omnibus factus in terram venit animo praeditus propter animum praecepti contemptorem, corpus gestans propter corpus delicti administrum simulque damnatum, peccato altior ac sublimior; luteus propter Adamum sub peccatum subiectum, vetere cum novo, idest humanitate cum divinitate conserenda, et qui passus esset, eo per passionem revocando, ac pro nostrorum unoquoque singulis vicissim eius qui pro nobis obiiceretur, praestandis, atque hac benigna lapsi propter contumaciam procuratione, novo quodam arcano exhibendo. Hinc ortus atque Virgo, hinc praesepe et Bethlehem, ortus pro creatione seu potius recreatione, Virgo pro muliere, salve pro dolore, Bethlehem pro Eden, praesepe pro pomario, Gabriel pro serpente, arbor pro arbore, in crucem expansae manus pro male exporrecta manu, fel pro dulci sapore, arundo ad frangendam maligni potentiam, mors pro morte, sepultura pro in terram reditione, ac demum resurrectio pro lapsi resurrectione. »

958. Reliquus est Isidorus thessalonicensis, quo auctore [4]), divina [5]) verba, *faciamus hominem ad imaginem et similitudinem no-*

1) In Cant. cantic. lib. II. pag. 16. col. 2. B-E.

2) In dialogo con. Iudaeos cap. XXIX. pag. 286. in lectt. antiq. Henrici Canisii T. IV. De germano huius dialogi auctore erudite disserunt Stevartius, Livineius et Basnagius.

3) Ibid. cap. XXX. *Cur Christus homo simul et Deus*, pagg. 286-287.

4) Orat. III. in Deiparae annunciat. pag. 83. edit. Maraccii.

5) Gen. 1. 26.

stram, ad Virginem inprimis referuntur. « Nam neque Adam, neque ullus Adae filius perfecte implevit modum humanae excellentiae. Propter Virginem igitur dictum fuit excelsum illud elogium de homine, quod esset ad similitudinem Dei creaudus. » Huic plane eximio Virginis praeconio alterum continuo subiicit [1]) inquiens: « Quia hominem liberare ab aerumna non valebat homo eiusdem naturae, quique propter virtutis abundantiam esset idoneus ad utendum Dei adiuvantis auxilio: maior enim erat culpa quam ut purus homo posset libertatem afferre; opus erat novum creari hominem qui valde prope ad Deum accederet, ut medicinam adhibere posset. Hic vero plane fuit stupendissimus ille homo, Virgo cunctorum hymnis decantatissima, de qua vel ipsi Deo curae fuit praedicere quod tantis viribus esset praevalitura: et formare illam ut homo esset ad divinam similitudinem, quae quasi Deus operanti Deo suam operam praestans, nobili creaturae homini posset dare salutem. »

959. Quae omnia quantopere in rem nostram faciant, opus non est ut pluribus explicetur. Et re sane vera I. ut omnibus compertum foret, unum eumdemque esse qui hominem libere conditum supernis auxit muneribus, quique illum in perniciem lapsum refinxit ac sublevavit; constituit Deus ut gradibus ac modo quibus omnes in ruinam offendimus, gradus ac modus redditae salutis responderent. Constituit propterea *ut ex eadem radice, e qua malum germinaverat, medicina erumperet: ut eadem via qua lues in universos pervaserat, ab iis depelleretur: atque adeo ut sexus uterque suam operam universali reparationi conferret.* Quapropter II. *sicuti veteri Adamo novum, et illius inobedientiae atque contumaciae huius obedientiam et exinanitionem opposuit; ita loco prioris Evae alteram suscitavit, quae fide, humilitate, prudentia esset illius emendatio, pretium, medicamentum et gloria.* Haec autem III. ipsa fuit beatissima virgo Maria, *Geneseos oraculo praesignata, quae decepit deceptorem, erexit quae ceciderant, invexit immortalitatem, facinus antiquae virginis expiavit, atque una cum Filio, per Filium et post Filium illata a protoparentibus damna sarcivit, in caput serpentis maleficium retorsit, inimicitias Deum inter hominesque dissolvit, caussa exstitit regenerationis nostrae, auctrix reformationis, parentum reparatrix, posterorum vivificatrix, et pro maledicto be-*

1) Ibid. pag. 84.

nedictionem universo generi conciliavit. Iamvero IV. nihil omnino manifestius quam hisce necessario postulari, ne ipsa quoque Virgo ceterorum praevaricatione comprehensa, communi tabe infecta et universali obligata crimine censeatur. Fuit igitur originalis culpae exsors et prorsus immaculata. Quod V. maiores nostri apertissimis docuerunt sententiis, quum de Virgine loquentes, ipsi tamquam privum et singulare vindicarunt, *quod impervia fuerit ignitis satanae telis, apostaticis virtutibus formidabilis, undequaque communita, contra serpentis virus illaesa, lethali veneno quod ad posteros transiit, non infecta, aliena ab inquinatione Evae, sumpta ex massa peccatrice, sed ab omni labe idcirco soluta quod ad mirabile reparationis opus fuerit selecta, nova conspersio divinae reformationis, numquam offusa tenebris, quod ex ea omnibus lux affulserit, aurora noctem inter atque diem, ita concepta ut in ea exitiosus peccati partus elanguerit, digna cuius conceptio laudibus celebretur, palatium uni Deo praeparatum, humanae venustas naturae, et omnino sola quae humanae excellentiae fastigium attigerit.* Ac rursum VI. docuerunt, quum Virginem ab omnibus solutam originalis culpae effectibus declararunt. Si enim et ipsa divinum testamentum in protoparentibus profanasset: si et ipsa cum serpente consensisset: et si manu ad vetitam arborem protensa interdictum cibum ipsa quoque gustasset; futurum necessario erat ut effectus contractae labis inditique sceleris experiretur. Atque idcirco experiretur [1]) mortis dominium, corruptionis opprobrium, et turbidas aestuantis cupiditatis illecebras. Sed maiorum neminem reperire licet, qui Virginem ab his omnibus integram non declararit. Illis igitur persuasum erat, nullum umquam Virgini cum originali culpa et universali praevaricatione fuisse commercium. Quapropter his absolvo quae [2]) in ecclesiasticis hymnis frequentantur:

» Morsus anguis
» Nos omnes in lumbis Adae
» Sauciavit;
» Eva suasu colubri
» Tumens culpa lugubri
» Nos involvit;

» Christi sanguis,
» Devicta priori clade
» Nos sanavit.
» Matris lapsum filia
» Pulcra super lilia
» Fructu solvit.

1) *Dominium* dico quod *a facto* toleratae mortis distingui sedulo debet.

2) Apud Mone Lateinische Hymnen des Mittelalters pag. 273.

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Conspiratio ecclesiarum syriacae, armeniae et copticae: testes huius conspirationis, e quorum numero laudantur Ephraemus, Bar-Cepha, Gregorius illuminator, Stephanus suniensis et Gregorius narecensis: accedit specimen e copticis monimentis, et veritas immaculati conceptus pleniori in lumine collocatur.

960. Quamquam ex ecclesiae dotibus ea luculentissime splendeat qua una est unitate sententiarum et fidei, adeoque latinae graecaeque ecclesiae persuasione comperta, integrum continuo sit de concordi reliquarum ecclesiarum mente existimare; non minimam tamen voluptatem creat neque minimam gignit utilitatem, hoc ipsum prolatis in medium testibus *historica quadam evidentia* confirmare. Ne igitur hac sive honestissima voluptate sive iucundissima utilitate privemur, nonnullam dabimus operam ut conspirationem ecclesiarum syriacae, armeniae et copticae cum graeca atque latina, idoneis productis testibus, demonstremus.

961. Itaque beatus Ephraemus in exegeticis sermonibus declarans [1]) verba Geneseos, *vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo qui comedit,* sic [a]) orditur: « Sublime elatus Adam, humi deiectus est. Principium eius locus summus, imus novissima eius. In

a) Serm. exeg. in sel. script. loca opp. syr. et graec. T. II. pag. 318. C.
ܐܕܡ ܪܡ ܘܐܬܡܟܟ ܘܫܘܪܝܗ ܕܘܟܬܐ ܪܡܬܐ ܘܚܪܬܗ ܬܚܬܝܬܐ. ܒܓܘ ܦܪܕܝܣܐ
ܥܡܘܪܗ ܘܒܓܘܗ ܟܠܐ ܡܠܟܘܬܗ. ܡܢ ܩܕܡ ܕܢܚܛܐ ܐܬܟܪܝ ܗܘܐ ܠܗ ܡܥܡܪܐ ܥܠܡܝܐ ܘܠܐ
ܦܢܝܐ. ܘܫܪܪܐ ܕܗܕܡ ܕܒܗܝܢ ܟܠܗܝܢ ܩܢܘ ܠܡܠܟܘܬܗ. ܘܚܘܐ ܕܝܢ ܕܡܬܚܫܒܐ ܗܘܬ ܕܬܬܥܒܕ
ܗܘܬ ܗܝ ܟܠܗ ܕܡܪܗ ܘܐܕܡ ܠܐܪܥܐ ܗܘܐ. ܒܗܢܐ ܐܦ ܘܨܒܐ ܒܥܒܕܝܢ. ܡܘܬܐ ܥܠܐ
ܘܢܦܠܬ ܕܒܢܬ ܡܢ ܚܘܐ ܘܐܕܡ. ܡܛܠ ܕܪܫܢܘܬܗ ܕܚܘܝܐ ܢܨܚܢܝܗ ܕܩܢܘܐ ܢܨܚܢܘܗܝ.
ܕܗܘ ܡܥܒܕܢܗ ܡܥܒܕܢܘܬܐ ܕܗܘ ܡܥܠܠܗ. ܘܡܫܒܚܘܬܐ ܕܗܘ ܕܐܬܟܠܗ. ܠܐ ܢܘܩܒ ܗܘܐ
ܒܫܘܦܪܗ ܕܐܝܠܢܐ ܢܬܦܠܐ ܡܪܢܝܢ. ܘܢܥܪܘܩ ܢܦܘܩ ܡܢ ܐܕܡ ܘܡܪܬܐ ܕܐܬܘܐ ܥܒܕܐ.
ܘܐܕܡ ܢܐܟܘܠ ܠܦܐܪܐ. ܡܛܠ ܕܐܘܦ ܗܘܐ ܡܫܬܠܛܢܐ ܘܪܒܐ ܘܡܥܒܕܢܐ ܕܝܠܗ. ܡܢܝܐ ܕܚܘܐ
ܘܐܦ ܠܗ. ܕܟܠܗ ܟܠܡ ܕܡܫܬܠܚ ܕܚܘܐ +

1) Gen. III. 6.

paradiso invenit initium, exitum in sepulcro. Ante Evam conditus, corpus uactus est perfectum et integrum. Umbra deinde futurorum, costa ex illo decerpitur. Haec Eva fuit, eadem casus occasio mox futura, quaeve stantem Adae murum labefactaret. Per Evam nempe decora et amabilis hominis gloria exstincta est, quae tamen rursus per Mariam refloruit; honor quippe Adae, Evaeque concessus primum, mox ademptus fuit. Quae ipsius adiutorium futura fuisset, quaeque coniugem sublevatura credebatur, profligavit. Sic virum femina subegit imbellis, subiecta subiecit, fregitque infirma. Evae suasit astus, ne fructum coniugi ante offerret, ut prior ipsa comederet, unde illo fieret maior, ipsaque primum teneret locum, maritus secundum. Evae Dominus etiam secreta eius propalavit, quando suam illa sibi coniugem subdere cogitabat, ideo [1]) dixit: *vir tuus tui dominabitur.* » Antithesim vix primis indicatam lineis [a]) persequitur, adiectisque coloribus Ephraemus excitat inquiens: « Eva gloria et honore decora noluit serpenti despecto et vili repugnare, quando et eius dicta ambigua erant et igne probanda, ipsamque videre erat multa luce nitentem, et illum misere abiectum. Mariam ergo miremur quae magnum angelum interpellavit, nec expavit, sciscitata est nec timuit. Eva nec sordidum serpentem pedibus carentem ausa est interrogare, quando puella Gabrieli restitit. Nec tamen interrogavit Maria, quo de filio Dei vivi disquireret; de lumine mortali quaesivit, quod nullum cognosceret. Maria sciscitata est de rebus, quae illi veridico *(Gabrieli)* plana fuissent. Admisit Eva ab hospite ignoto dicta, quae factu difficillima. Mater imprudens nostrarum miseriarum origo fuit; facta est prudentissima soror

a) L. c. pag. 321. C.
ܚܘܐ ܟܠ ܗܘ ܫܘܒܚܐ ܫܦܝܪܐ ܘܡܝܩܪܐ ܠܐ ܨܒܬ ܡܬܚܫܒܐ ܕܬܬܟܬܫ ܠܚܘܝܐ ܡܨܥܪܐ.
ܡܢ ܟܕ ܡܠܘܗܝ ܡܬܦܠܓܝܢ ܗܘܘ. ܘܒܢܘܪܐ ܡܬܒܚܢܝܢ ܗܘܘ. ܟܕ ܠܗ ܚܙܝܐ ܗܘܬ ܘܠܗ
ܡܫܝܛܐ. ܢܬܕܡܪ ܠܗ ܠܡܪܝܡ ܕܠܡܠܐܟܐ ܪܒܐ ܫܐܠܬܗ ܘܠܐ ܕܚܠܬ. ܫܐܠܬܗ ܘܠܐ ܙܥܬ.
ܚܘܐ ܐܦ ܠܐ ܠܚܘܝܐ ܫܝܛܐ ܕܠܐ ܪ̈ܓܠܐ ܨܒܬ ܕܬܫܐܠ ܠܗ. ܛܠܝܬܐ ܐܬܡܪܚܬ ܥܠ ܓܒܪܝܐܝܠ.
ܠܐ ܫܐܠܬܗ ܡܪܝܡ ܕܐܒܥܐ ܠܒܪ ܚܝܐ. ܥܠܘܗܝ ܗܘ ܥܠ ܡܝܘܬܐ. ܫܐܠܬܗ ܕܠܐ ܡܬܚܙܐ. ܡܪܝܡ
ܫܐܠܬܗ ܥܠ ܕܦܫܝܩ ܠܗܘ ܫܪܝܪܐ. ܩܒܠܬ ܚܘܐ ܡܠܐ ܕܥܛܠܢ ܡܢ ܢܘܟܪܝܐ. ܐܡܐ ܕܠܐ
ܦܪܘܫ ܡܟܝܠ ܗܝ ܕܒ̈ܟܝܢ ܘܐܚܬܐ ܕܚܟܝܡܬܐ ܡܣܬܒܪܐ ܕܬܪ̈ܥܝܗ. +

1) Gen. III. 16.

felicitatis nostrae thesaurus. » Tum [a]) subdit: « Fratres filii Evae audiamus antiquae matris casum, quem Maria tandem reparavit. » Cuius modum reparationis [b]) aperit pergens: « Sicut enim per exiguum auris sinum intravit et infudit se mors; ita in novam Mariae aurem penetravit fuditque se vita: et quemadmodum lignum mortem intulit; sic aliud lignum vitam revexit, ut per alterum mors vinceret, per alterum vita triumpharet. »

962. Eumdem [1]) Scripturae locum Ephraemus rursum expendit, eamdemque comparationem [c]) usurpans ait: « Quae duae feminae innocentia et simplicitate floruerunt Maria et Eva, altera salutis, altera nostrae mortis origo fuit. Age rationes utriusque conferamus. Eva ex quo simplicitatem a prudentia discrevit, plane desipuit; Maria sapienter prudentiam credidit esse salem et condimentum simplicitatis. » Hoc deinde uberius explanat, tum [d]) subdit: « Oculum Evae arboris perculit species, aurem pepulit veteratoris consilium, ambo haesere infixa animo: absoluto opere incessit dolor et poenitentia. Aure vidit Maria illum absconditum, voce concepit in utero virtutem ad corpus demissam. Inter haec mors et diabolus

a) L. c. pag. 321. E.

ܐܚ̈ܝ ܒܢ̈ܝ ܚܘܐ ܢܫܡܥ ܠܡܦܘܠܬܗ ܕܐܡܐ ܥܬܝܩܬܐ ܐܝܟ ܕܬܩܢܬܗ ܒܝܕ ܡܪܝܡ ܀

b) L. c. pag. 324. E.

ܕܐܝܟ ܕܡܢ ܬܪܥܐ ܙܥܘܪܐ ܕܐܕܢܐ ܥܠ ܘܐܫܬܦܥ ܡܘܬܐ ܗܟܢ ܒܐܕܢܐ ܚܕܬܐ ܕܡܪܝܡ ܥܠ ܘܐܫܬܦܥ ܚܝܐ. ܘܐܝܟ ܕܩܝܣܐ ܗܘܐ ܥܠܬܐ ܠܡܘܬܐ ܗܟܢ ܐܚܪܢܐ ܩܝܣܐ ܗܘܐ ܥܠܬܐ ܠܚܝܐ. ܕܒܚܕ ܗܘܐ ܡܘܬܐ ܒܚܕ ܢܨܚܘܢ ܚܝܐ ܀

c) L. c. pag. 327. A.

ܬܪܬܝܢ ܒܢ̈ܫܐ ܬܡܝܡ̈ܬܐ ܦܫܝܛ̈ܬܐ ܡܪܝܡ ܐܦ ܚܘܐ. ܐܬܬܫܘܝ ܒܦܫܝܛܘܬܐ ܚܕܐ ܥܠܬܐ ܕܚܝܝܢ ܘܐܚܪܬܐ ܕܡܘܬܢ. ܚܘܐ ܦܫܝܛܘܬܗ ܦܪܫܬ ܡܢ ܚܟܡܬܗ ܘܗܘܬ ܣܟܠܐ ܒܟܠ. ܡܪܝܡ ܒܚܟܝܡܘܬܐ ܚܫܒܬܗ ܠܚܟܡܬܗ ܡܠܚܐ ܕܦܫܝܛܘܬܗ ܀

d) Ibid. pag. 328. A.

ܒܥܝܢܗ ܚܙܬ ܚܘܐ ܫܘܦܪܗ ܕܐܝܠܢܐ ܘܐܬܩܒܥ ܒܡܕܥܗ ܡܠܟܗ ܕܢܟܠܐ. ܘܗܘܬ ܠܗ ܢܦܠܐ ܬܘܗܝܗ ܘܬܘܝܬܐ. ܡܪܝܡ ܒܐܕܢܗ ܚܙܬ ܠܟܣܝܐ ܗܘ ܕܐܬܐ ܒܩܠܐ ܘܐܬܩܒܠ ܗܘܐ ܒܟܪܣܗ ܚܝܠܐ ܕܢܚܬ ܗܘܐ ܠܓܘܫܡܐ. ܡܘܬܐ ܘܣܛܢܐ. ܥܡܗ ܕܚܙܐܘܗ ܟܕ ܡܬܚܙܐ ܒܟܪܣܗ ܗܘܐ ܠܟܢܘܫܬܗܘܢ ܢܦܫܗܘܢ ܘܗܘܘ ܡܟܬܫܝܢ ܥܡܗ ܚܝܠܐ ܡܬܘܡܝܐ ܗܘܐ ܕܢܟܠܐ ܘܡܫܪܐ ܗܘܐ ܕܐܬܟܠܝܘ ܀

1) Gen. III. 7.

dum anxii se mutuo suspectant, invicem interrogant. Quid istuc quod pulsat aures carmen? Angelos quippe audiebant hunc de illo hymnum modulantes: hic est exstinctor mortis et diaboli triumphator, gaudium angelorum et hominum spes. Hinc incessit trepidatio et metus, compulitque ad fugam ambos. » Neque profecto mirum: « Manifestum [a]) *namque* est Mariam fuisse eius sideris ianuam, cuius praesentia spes nostra revixit, quando per illam mundum eiusque habitatores revisit lux, quam expulerat Eva omnium origo malorum. »

963. Quae ne secus ac fas est accipiantur, illico [b]) pergit: « Et si mysterium utriusque nosse cupis, cogita corpus geminis praeditum oculis, quorum alter casu occaecatus lumen amisit, mira nitet alter luce quam etiam rebus omnibus communicat. Mundum iam respicito, duos hic oculos nactus est: Eva fuit oculus sinister plane caecus, dexter ex adverso nitidissimus Maria. Ut laevo oculo lux occidit, simul universo orbi incubuit nox. » Quae porro exinde consequuta sint, commemorat [c]) scribens: « Quum ergo homines caeco errore viam pertentarent, quodvis incideret offendiculum, crediderunt esse Deum, et falsi verique nomina confuderunt. Postquam vero iis qui hactenus per noctem erraverant, illuxit dies per oculum dexterum a caelesti luce quae in eius sinu habitabat, resipuerunt et damnarunt errorem, agnoveruntque salutis suae perditionem fuisse proprii capitis adinventiones. »

964. Nobilissimae huic imagini et qua nulla desiderari potest ad eximendam Virginem a communibus tenebris opportunior, ista

a) Ibid. pag. 329. D.

ܓܠܝܐ ܗܘ ܕܡܪܝܡ ܗܝ ܬܪܥܗ ܕܢܘܗܪܐ ܕܒܡܛܠܬܗ ܢܘܗܪ ܥܠܡܐ ܘܥܡܘܪ̈ܘܗܝ ܕܢܦܩܬܗ . ܚܘܒ ܚܘܐ ܥܠܬܐ ܕܟܠ ܒܝ̈ܫܬܐ ܀

b) Ibid. pag. 329. E.

ܘܩܢܝ ܒܐܪ̈ܙܝܗܝܢ ܠܡܕܥܗܝܢ ܕܨܒܐ ܐܢܬ . ܗܟܢܐ ܐܬܚܫܒ ܦܓܪܐ ܐܝܬ ܠܗ ܬܪ̈ܬܝܢ ܥܝ̈ܢܐ ܘܢܘܗܪܐ ܡܢ ܚܕܐ ܐܬܥܘܪܬ ܒܫܘܠܐ . ܗܐ ܥܠܡܐ ܠܬܪ̈ܬܝܢ ܥܝ̈ܢܝܢ ܡܩܢܐ ܒܗ . ܚܘܐ ܗܘܬ ܥܝܢܗ ܣܡܠܝܬܐ ܘܥܘܝܪܬܐ . ܝܡܝܢܗ ܕܢܗܝܪܐ ܢܘܗܪܬܐ ܡܪܝܡ . ܒܥܝܢܐ ܕܣܡܠܐ ܕܥܛܬ ܗܘܬ ܚܫܟ ܥܠܡܐ ܟܠܗ ܀

c) Ibid. pag. 329. F.

ܟܕ ܡܡܫܫܝܢ ܐܢܫܐ ܟܠ ܬܘܩܠܬܐ ܕܐܫܟܚܘ . ܚܫܒܘܗ ܗܘܘ ܕܐܠܗܐ ܗܘ . ܒܫܪܪܐ ܡܢܗ ܡܟܝܠ ܕܢܚ ܥܠܝܗܘܢ ܐܝܡܡܐ ܒܥܝܢܐ ܝܡܝܢܝܬܐ ܡܢ ܢܘܗܪܐ ܫܡܝܢܐ ܕܒܥܘܒܗ̇ ܫܪܐ ܘܐܬܬܘܝܘ ܘܐܫܬܘܕܥܘ ܕܐܒܕܢܐ ܕܚܝܝܗܘܢ ܀

respondent quae tum a) Ephraemus habet quum natalem celebrans Servatoris diem ait: « Adam mulieri laborum et dolorum caussa fuit, matri damnum compensavit filia virgo quo ipsi peperit Salvatorem. Evam genitricem genuit ingenitus vir; quanto credibilius videatur, filiam Evae citra viri operam gravidari potuisse? Terra virgo Adamum peperit protoplastum, terrae Dominum, caeli Dominum Adamum hodie Virgo paruit. » Ista denuo b) respondent: « Quum adhuc virgo esset, ignominiosa folia induit Eva mater nostra, quae vero, perseverante etiam virginitate, mater tua effecta est, gloriosam stolam suscepit omnium mortalium nuditati indumenta provisuram. Parvum illi corporis pannum commodavit, qui nos omnes vestit et ornat. O beatam illam, cuius cor et mentem obtines? Regis aula facta est, te regni herede illam habitante, teque summo sacerdote ibidem sacra faciente, in sanctum sanctorum transiit. Eva nidus et caverna colubro exsecrabili facta est, ex quo suggestum ab eo consilium illam expugnavit et insedit. Evasit etiam eiusdem cibus, ex quo in terram rediit. » Neque haec abludunt quae de paradiso Eden sermonem c) faciens scribit: « Nudus Adam decorus erat, vestem coniux manu sua elaboratam ei adcommodavit, vestem scilicet sordidam et culpa omni sorde peiore foedatam. La-

a) Serm. I. de nativ. Dom. opp. syr. et graec. T. II. pag. 396. E.
ܐܕܡ ܐܘܥܝ ܗܘܐ ܚܘܒܠܐ ܠܐܢܬܬܐ ܕܢܦܩܬ ܡܢܗ ܝܘܡܢܐ ܦܪܥܬܗ ܚܘܒܠܗ ܒܬܘܠܬܐ ܠܗ ܗܝ ܦܪܘܩܐ. ܚܘܐ ܝܠܕܬܐ ܝܠܕܗ ܓܒܪܐ ܕܡܬܝܠܕܘܢ ܠܐ ܝܠܕ. ܟܡܐ ܠܡܬܗܝܡܢܘ ܒܪܬܐ ܕܚܘܐ ܕܠܐ ܓܒܪܐ ܡܚܒܠܐ ܡܚܒܠܐ. ܐܪܥܐ ܒܬܘܠܬܐ ܝܠܕܬ ܗܘܬ ܠܗܘ ܐܕܡ ܪܫܐ ܕܐܪܥܐ ܒܬܘܠܬܐ ܝܘܡܢܐ ܝܠܕܬ ܠܐܕܡ ܪܫܐ ܕܫܡܝܐ܀

b) Serm. XII. opp. T. II. pag. 430. E.
ܒܒܬܘܠܘܬܗ ܛܪ̈ܦܐ ܕܒܗܬܬܐ ܠܒܫܬ ܚܘܐ. ܐܡܟ ܠܒܫܬ ܒܒܬܘܠܘܬܗ ܐܣܛܠܐ ܕܫܘܒܚܐ ܕܟܠ ܚܣܝܪ. ܦܪܣܐ ܙܥܘܪܐ ܕܦܓܪܐ ܝܗܒܬ ܠܡܟܣܝܢܐ ܕܟܠ. ܛܘܒܝܗ ܠܐܝܕܐ ܕܐܝܬܝܟ ܒܗ ܒܠܒܗ ܘܒܪܥܝܢܗ. ܗܝܟܠܐ ܕܡܠܟܐ ܗܘܬ ܒܟ ܒܪ ܡܠܟܐ ܘܩܕܫ ܩܘܕܫܐ ܒܟ ܪܒ ܟܗܢܐ. ܠܐ ܙܥܐ ܠܗ ܐܦ ܠܐ ܐܠܨܗ ܕܚܘܝܐ ܘܕܓܠܐ. ܗܘܬ ܠܗ ܚܘܐ ܩܢܐ ܘܡܥܪܬܐ ܠܚܘܝܐ ܠܝܛܐ ܘܥܠܠ ܘܥܡܪ ܒܗ. ܘܡܐܟܘܠܬܗ ܓܡܝܪܐ ܗܘܬ ܠܗ ܠܚܘܝܐ ܕܗܘܬ ܥܦܪܐ܀

c) De paradiso Eden. sermo IV. opp. syr. et graec. T. III. pag. 572. C.
ܐܕܡ ܥܪܛܠܝ ܘܫܦܝܪ ܘܐܢܬܬܗ ܕܥܡܠܬ ܢܨܝܒܬ ܠܗ ܒܐܝܕܝܗ ܘܐܠܒܫܬܗ. ܠܒܘܫܐ ܨܐܝܐ ܘܡܛܢܦܐ. ܒܟܠ ܛܢܦܘܬܐ ܕܝܠܗ ܕܚܛܝܬܐ ܕܐܪܐ ܡܢ ܟܠ ܛܢܘܦܐ. ܠܒܘܫܐ ܘܡܛܘܫܐ ܨܐܝܐ ܠܒܫܗ ܐܕܡ܀

psum protoplastum vidit paradisus et luxit casum, cui ipse caussam dedisset. Vestem, Maria aliam latroni quaesivit aptavitque, et addito promisso in spem fortunae melioris erexit. Hunc item paradisus vidit et effuso sinu complexus est, sedem ab Adami relegatione vacuam ei assignavit. » Ubi vero [a]) Mariae laudes pertexit, inter cetera sic habet: « Errat autem, dilectissimi, quisquis hodiernam reparationis diem cum altera creationis comparari posse arbitratur. Initio namque terra condita est, hodie renovata, initio ob Adami crimen [1]) maledicta est in opere suo, hodie vero pax illi et securitas restituta, initio protoparentum delicto [2]) in omnes homines mors pertransiit, hodie vero per Mariam [3]) translati sumus de morte ad vitam: initio serpens Evae auribus occupatis, inde virus in totum corpus dilatavit; hodie Maria ex auribus assertorem perpetuae felicitatis excepit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitae exstitit instrumentum. »

965. Doctrinam tanto sententiarum verborumque splendore ab Ephraemo traditam, et [4]) Assemano teste, penes syros doctores vulgatissimam compendio repetit, paucisque indicat Moses Bar-Cepha quum [5]) Geneseos oraculum, *inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen eius*, hoc commentario [6]) exponit: « Quoniam, inquit, adversus mulierem fuisti amicus fraudulentus,

a) De diversis sermo III. opp. syr. T. III. p. 607. D.

ܘܠܐ ܕܝܢ ܠܓܝܣܐ ܗܘ ܣܘܟܠܐ. ܠܒܘܫܐ ܩܪܝܒܐ ܕܢܬܥܛܦ. ܚܙܝܗ ܦܪܕܝܣܐ ܕܐܬܬܢܝܚ: ܚܙܝ
ܕܡܢ ܐܕܡ ܐܬܚܪܒ. ܘܐܬܚܙܝ ܫܠܝܐ ܐܝܟ: ܘܥܠ ܕܐܬܟܪܝ ܠܐܬܪܗ. ܐܝܟܢܐ ܕܐܝܟ ܒܫܘܒܚܐ:
ܠܗ ܚܘܒܐ ܒܛܝܒܘܬܐ: ܘܚܘܒܗ ܥܠ ܐܝܠܝܢ ܡܘܬܪ ܠܝ: ܡܢ ܡܢ ܗܢܐ ܐܢܐ. ܗܕܐ ܘܐܡܪ
ܚܘܒܐ. ܒܐܝܕܗ ܕܚܘܐ ܥܒܕ ܗܘܐ: ܘܡܚܐ ܡܢܗ ܠܐܕܡ ܗܘܐ: ܡܢ ܐܘܕܢܗ ܕܡܪܝܡ
ܗܘܐ. ܚܘܝܐ ܐܘܕܢܐ ܕܠܐ ܒܗ ܡܘܬܐ: ܥܠ ܚܝܐ ܡܫܬܡܥ ܠܡܘܬܐ +

1) Gen. III. 17.

2) Rom. V. 12.

3) Ioh. III. 14.

4) Biblioth. orient. de s. Ephraem §. IV. n. 35. pag. 90. T. I. « Frequens est apud Syros scriptores haec comparatio, clareque se explicant de Heva constituta in statu innocentiae intelligenda esse, quae de eius puritate et innocentia dicuntur, ut ex contextu id satis perspicuum est. Et quum Heva in nullo momento status innocentiae ullam noxam contraxerit, ea comparatione syri satis testantur, beatam virginem Mariam quolibet momento etiam suae conceptionis quovis crimine puram fuisse. Nec huic adversantur quae in secundo hymno heic sanctus doctor attexit: *Maria oculo similis fuit. Lux in eam illapsa mentem ipsius abluit, cogitationes tersit, curas purificavit, virginitatem defaecavit.* Ubi quemadmodum virginitati Mariae nihil detrahitur, sic nec eiusdem perpetuae et numquam temeratae innocentiae quidquam detrahi dicendum est. »

5) Gen. III. 15.

6) Comm. de Paradiso, Par. I. pag. 486. D. in max. pp. biblioth. T. XVII.

Digitized by Google

atque inimicitias sevisti ei cum Deo; ergo inter te et ipsam, interque tuum semen et ipsius semen inimicitiae quoque ut constent efficiam. » Et [1]) mox: « Te, o satanas, adhuc ea cura studiumque exercuit, ut primos parentes una cum ipsorum posteritate amicos facere tu tibi posses; ego vero iam efficio, ut perpetuo hostilia omnia sint inter te atque illos. » Eodem haec [a]) pertinent ex officio Maronitarum: « Salve benedicta, vas novum Elisaei: per te enim dulce factum est virus quod serpens inter arbores effudit. » Tum haec [b]) ex eorumdem Missali, in quo Virgo dicitur *vas novum, per quod dulcis facta est amaritudo.*

966. Conspirat armeniorum ecclesia, ex cuius lucidissimo sidere Gregorio illuminatore haec relata [2]) legimus: « Consilia voluntatis tuae quae antea per sanctos tuos prophetas priscis generationibus adumbraveras, in plenitudine temporum patefecisti per dilectum Filium tuum, quem propterea misisti ut ex Virgine sancta nasceretur, atque ut quemadmodum per primam virginem Evam mors in mundum intravit, ita per hanc secundam Virginem in mundum vita ingrederetur: atque ut quemadmodum Eva Cainum pariente, maledictio, sudor atque anxius labor mundum pervaserunt; ita nativitate Filii tui ex altera Virgine quies, vita et benedictio mundum recrearent. » Porro Stephanus suniensis episcopus qui octavo seculo maxime floruit, his laudum encomiis [3]) Virginem prosequitur: « Intemeratum Dei Verbi templum, quae ineffabili tuo partu primae matris Evae maledictum abstulisti, eum semper pro animabus nostris deprecare. Tu quae primae matris delictum, o Virgo sancta, tuo partu solvisti, pro nostra salute continenter exora. Tibi soli inter mulieres post partum Virgini laudes canimus: per te enim mundo innotuit qui lux est ex luce, quique ineffabili

a) Offic. Maronit. pag. 25. edit. Romae MDCCXXXI.

ܫܠܡ ܠܟܝ ܡܒܪܟܬܐ ܡܐܢܐ ܚܕܬܐ ܗܘ ܕܐܠܝܫܥ. ܕܒܟܝ ܐܬܒܣܡ ܗܘ ܡܪܪܐ
ܕܐܪܡܝ ܚܘܝܐ ܒܝܬ ܐܝܠܢܐ ܀

b) Missal. Maronit. pag. 35.

ܡܐܢܐ ܚܕܬܐ ܕܒܗ ܐܬܒܣܡܬ ܡܪܝܪܘܬܐ ܀

1) Ibidem, et pag. 494. D.

2) Penes auctorem operis de conversione gentis Armeniorum pag. 65-66. edit. Venet.

3) Breviar. Armen. P. III. pagg. 271-286-292. edit. Vindobon.

ex te nativitate primae matris maledictum abrogavit. » His autem praeclare respondent quae Gregorius narecensis monachus idemque seculi decimi auctor [1]) scribit: « Tu electa ex progenie atque massa puri seminis, o sancta Dei genitrix, Filium paterni beneplaciti in te gestasti, facta spiritalis terra rationalis plantae, sensibilis ager panis vitae, officina lucentis margaritae et mons e quo excisus est lapis terram implens. Imaginem protoparentis ex te restitutam accipientes, te Domini matrem actis gratiis laudamus. Tu humano ex genere caelestis angelus, tu benedictionis racemus ex diebus veterum patrum, tu nubes imbrifera mitissimi roris, tu diei albescentis stella matutina, tu post nocturnas tenebras iucunditatis nuncius, tu nudati protoparentis gloria inexplicabilis, tu matris propter maledictum moestae solatium atque expiatio. Tu generationis quae maledictionem experta est, regeneratrix: tu primae mulieris peccatricis proles sine delicto laudaris: et tu divini regni novus initiationis terminus. » A quibus minime abludunt quae Nerses claiensis Armeniorum catholicus et seculi duodecimi scriptor non infrequenter [2]) commemorat, cuiusmodi ista [3]) sunt: « Sicut secunda Virgo prona fuit ad bonam obedientiam, ex qua vita; et non sicut prima virgo ad malam suasionem prona, ex qua mors. » Fuit igitur cur Cophtorum ecclesia [a]) Virginem celebraret tamquam *salutem Adami, Evae gaudium, generationum laetitiam, matremque perfugii.*

967. Quae quidem omnia neque animo recolere, neque conferre cum superioribus possum quin continuo animadvertam, mirificam esse ecclesiarum conspirationem qua unam eamdemque doctrinam de oeconomia reparati hominis, deque habitu Evam inter atque Mariam singulae profitentur. Hanc autem ecclesiarum unanimem doctrinam [4]) eo pertinere, *ut pro duplici Evae statu, Maria illi si-*

a) In Theotociis pag. 64-65.

'Ⲛⲥⲱϯ ⲛ̀Ⲁⲇⲁⲙ, ⲡⲑⲉⲗⲏⲗ ⲛ̀Ⲉⲩⲁ, ⲡⲟⲩⲛⲟϥ ⲛ̀ⲛⲓⲅⲉⲛⲉⲁ, ⲑⲙⲁⲩ ⲙ̀ⲡⲓⲙⲁⲛⲫⲱⲧ ⳿

1) Orat. de Virginis laudibus, §§. IV-XI-XVII-XVIII-XIX. edit. Venet. MDCCCXXVII.

2) In evang. Matth. cap. II. pag. 64. opp. vol. II. edit. Venet. MDCCCXXXIII. Et ibidem explanat. homiliae de s. Cruce, pag. 284.

3) Epist. IX. ad Michaelem Graecorum patriarcham, pag. 242. opp. vol. I.

4) De qua repeti non iniuria possunt Irenaei verba ex lib. I. cap. X. n. 2: Καὶ οὔτε αἱ ἐν Γερμανίαις ἱδρυμέναι ἐκκλησίαι ἄλλως πεπιστεύκασιν, ἢ ἄλλως παραδιδόασιν, οὔτε ἐν ταῖς Ἰβηρίαις, οὔτε ἐν Κελτοῖς, οὔτε κατὰ τὰς ἀνατολάς, οὔτε ἐν Αἰγύπτῳ, οὔτε ἐν Λιβύῃ, οὔτε αἱ κατὰ μέσα τοῦ κόσμου ἱδρυμέναι· ἀλλ᾽ ὥσπερ ὁ ἥλιος τὸ κτίσμα τοῦ Θεοῦ, ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἷς

milis vel ab ea toto caelo dissimilis proclametur. Fac enim Evam spectes adhuc innoxiam et pristina puritate fulgentem: una est maiorum professio, *Mariam illi fuisse* [1]) *simillimam et ad eius typum perfectissime expressam*. Sin autem Evam consideres peccato iam corruptam et originali puritate spoliatam, ne unum quidem ex iisdem reperias qui totus in eo non sit *ut antitheses, quae illam a Maria secernunt, aperiat atque explanet*. Illos enim si audias, *quemadmodum Eva fuit lapsus occasio, et morem serpenti gerens labefactavit Adami fortitudinem, exstinxit hominis gloriam, expulit lucem, invenit tenebras, et nidus atque caverna colubri effecta id promerita est ut peccatum regnaret, mors saeviret et omne miseriarum genus in homines grassaretur; ita vicissim Maria soror nostra prudentissima matris casum reparavit, abstulit maledictionem, solvit peccatum, restituit protoparentum imaginem, et in thronum templumque Unigeniti electa instrumentum fuit* [2]) *vitae, felicitatis nostrae thesaurus, ianua eius sideris, cuius praesentia spes nostra reviruit, lux refulsit, et hominum genus de morte ad vitam remeavit.*

968. Quid iamvero sibi vult, quove spectat utraque maiorum professio? Et quid illa inprimis, qua Mariam Evae innocenti simillimam celebrant? Tum vero quid illa, qua Mariam ab Eva peccatrice diversissimam contestantur? Responsio nequit esse impedita, quum ex rebus ipsis sua sponte efflorescat. Una enim eademque ratio maioribus nostris persuasit, ut Mariam Evae innocenti simillimam et ab Eva peccatrice diversissimam praedicarent. Quaenam vero? Dicam aperte. Quod patres scriptoresque christiani Mariam nulla umquam tabe culpae vitiatam existimarint; sed unanimes contra censuerint *eam fuisse benedictionis racemum, prolem sine delicto primae matris, gloriam inexplicabilem nudati protoparentis, generationis maledicto obnoxiae regeneratricem, vas novum per quod*

καὶ ὁ αὐτός, οὕτω καὶ τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας πανταχῆ φαίνει καὶ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους τοὺς βουλομένους εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. *Et neque hae quae in Germania sunt fundatae ecclesiae aliter credunt aut aliter tradunt: neque hae quae in Hiberiis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Libya, neque hae quae in medio mundi constitutae; sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et praedicatio veritatis ubique lucet et illuminat omnes homines qui volunt ad cognitionem veritatis venire.*

1) Qua de re tum egimus, quum nn. 553 sqq. de Virginis typis dissereremus.

2) Scite namque Fortunatus presbyter in hymno de passione et cruce Salvatoris nostri Iesu Christi cecinit:

» Hoc opus nostrae salutis
» Ordo depoposcerat:
» Multiformis proditoris
» Arte ut artem falleret,
» Et medelam ferret inde
» Hostis unde laeserat.

effusum astu serpentis venenum dulce evasit, angelum caelestem qui ex humano genere emersit, et dexterum humanitatis oculum numquam excaecatum, sed per quem dies habitantibus in umbra mortis illuxit.

ARTICULUS VII.

Liturgica et ecclesiastica monimenta quibus multiplex dissimilitudinis habitus inter Evam peccato infectam et Mariam Deiparam confirmatur: Missale mozarabicum: Missale gothicum sive gallicanum vetus: Responsoriale et Antiphonarium romanae ecclesiae: veteres Latinorum hymni et sequentiae: Graecorum Menaei: eorumdem Octoechus atque Triodium: praecedentium epilogus, et insignis cum eo cohaerens immaculati conceptus probatio.

969. Si propositum mihi esset non aliis uti quam necessariis, ab iis plane abstinerem quae de multiplici dissimilitudinis habitu inter Evam peccato obstrictam et Mariam Deiparam liturgica et ecclesiastica monimenta affatim suppeditant. Sed quando in eam mentem venerim ut necessaria utilibus atque opportunis cumularem, non possum quin ex eiusmodi monimentis specimen aliquod decerpam, quo doctrinae caput suo iam lumine splendidum in splendidiori etiam luce collocetur. Itaque in Missali mozarabo haec praefatio [1]) occurrit: « Recensemus enim praeclarissimae conceptionis diem, quo gloriosissima Dei genitrix, intemerata virgo Maria, stella corusca et admirabilis mundo concepta est. Quae nobis perennis vitae ianuam, quam Eva in paradiso clauserat, reseravit, nosque e tenebris ad lucis antiqua gaudia revocavit. » Occurrit [2]) et haec multo plenior, et ad illam de qua quaerimus dissimilitudinem explicandam longe accommodatior: « Aequum et salutare, nos tibi, Domine Deus omnipotens, gratias agere, et cum tuae invocatione virtutis beatae Mariae virginis festa celebrare: de cuius ventre fructus effloruit, qui panis angelici munere nos replevit. Quod Eva voravit in crimine, Maria restituit in salute. Distat opus serpentis et Virginis. Inde fusa sunt venena discriminis, hinc egressa mysteria Salvatoris. Inde se praebuit tentantis iniquitas, hic redemptoris est opitulata maiestas. Inde partus occubuit, hinc conditor resurrexit, a quo humana natura non iam captiva sed libera restituitur. »

1) Praefat. in festo conceptionis. 2) Praefat. in festo annunciationis.

Digitized by Google

970. Succedit Missalis gothici sive veteris gallicani *immolatio* pro missa quae [1]) inscribitur, *clausum* paschae, atque sic [2]) habet: « Dignum et iustum est, necessarium et salutare est, nos tibi gratias agere, omnipotens Deus, licet gloriae tuae mortalium membra non congruant, redemptionis nostrae perferre praeconia: dum hominum genus mancipatum morte, infernorum sedibus tenebrarum vincla restringerent, spiritale Verbum per quod in principio omnia fuerant constituta, descendit in Mariam: quae dum partum suum Virgo miratur, inclusum hominem edidit Deum. Nec suffecerat solum hominem emendasse peccatum, sed per ablutionem caelestem renatus redivivo ac novo nativitatis genere, remeans ad originem suam nos ad caelestia regna perduxit. O consilium divinae providentiae! O inaestimandum reparationis auxilium! Per Virginem nobis gloriosa vita [3]) restituetur, quae per ligni inobedientiam credebatur exstincta: per aquam mundi peccata diluuntur, per quam ante senserat mundus ipse naufragium. » Respondet [4]) *contestatio* missae in inventione sanctae crucis: « Dignum et iustum est, omnipotens Deus, tibi sacrificiorum vota persolvere, te in laudis praeconio indesinenter adtollere, ac [5]) utriusque, et illius scilicet habitatoris paradisi, et istius redemptoris humani generis exempla proponere. Ille quidem prior, sed iste melior. Ille terrenus, iste caelestis. Ille de limo factus, iste verbo conceptus. Tunc diabolo suadente Eva decipitur, nunc angelo nunciante Maria clarificatur. Tunc per invidiam serpentis homo qui fuerat creatus, perimitur; nunc per misericordiam redimentis homo qui perierat, liberatur. Tunc homo mandatum non custodiendo, de paradiso pellitur; nunc latro Christum Dominum confitendo, paradisum [6]) meretur. » Eodemque pertinet [7]) *contestatio* missae in adsumptione [8]) sanctae Mariae matris Domini nostri: « Dignum et iustum est, omnipotens Deus, nos tibi magnas merito gratias agere, tempore celeberrimo, die prae ceteris honorando. Quo fidelis Israel egressus est de Aegypto. Quo virgo Dei genitrix de mundo migravit ad Christum. Quae

1) Hoc nomine veteres denotabant *paschatis octavam*, qua solemnitas ipsa concludebatur.

2) Apud Card. Thomasium pag. 300. opp. T. VI.

3) Al. *restituitur*.

4) Ibid. pagg. 301-302.

5) Al. *ac de utriusque ad illius scilicet*.

6) Al. *paradiso*.

7) Ibid. pagg. 255-256.

8) De festo Virginis in caelum assumptae luculenter disserunt Mabillonius in notis ad Lectionarium luxoviense, Ruinartus ad cap. IX. lib. I. s. Gregorii turonensis de gloria martyrum, et Franciscus Verzosius qui in praefatione ad T. VI. operum Thomasii ostendit, festum assumptae in caelum virginis Mariae ante Gregorium magnum officio publico celebrari consuevisse.

nec de corruptione [1]) suscepit contagium, nec resolutionem pertulit in sepulcro, pollutione libera, germine gloriosa, assumptione secura, paradisi dote praelata, nesciens damna de coitu, sumens vota de fructu, non subdita dolori per partum, non [2]) dolori per transitum, nec vita voluntate, nec funus solvitur vi naturae. Speciosus thalamus, de quo [3]) dignus prodit sponsus, lux gentium, spes fidelium, praedo daemonum, confusio Iudaeorum, vasculum vitae, tabernaculum gloriae, templum caeleste: cuius iuvenculae melius praedicantur merita, quum veteris Evae conferuntur exempla. Siquidem ista mundo vitam protulit, illa legem mortis invexit. Illa praevaricando nos perdidit; ista generando salvavit. Illa nos pomo arboris in ipsa radice percussit; ex huius virga flos exiit, qui nos odore reficeret, fruge curaret. Illa maledictione in dolore generat, ista benedictionem in salute confirmat. Illius perfidia serpenti consensit, coniugem decepit, prolem damnavit; huius obedientia Patrem conciliavit, Filium [4]) meruit, posteritatem absolvit. Illa amaritudinem pomi succo propinat, ista perennem Nati fontem desudat. Illa acerbo gustu natorum dentes deterruit, haec suavissimi panis blandientis cibo formavit: cui nullus deperit nisi qui de hoc pane saturari fauce fastidit. Sed iam veteres gemitus in gaudia nova vertamus. Ad te ergo revertimur, Virgo foeta, mater intacta, nesciens virum puerpera, honorata per Filium, non polluta. Felix, per quam nobis insperata gaudia successerunt. Cuius sicut gratulati sumus ortu, tripudiavimus partu; ita glorificamur in transitu. Parum fortasse fuerat si te Christus solo sanctificasset introitu, nisi etiam talem matrem adornasset egressu. Recte ab ipso suscepta es in assumptione feliciter, quem pie suscepisti conceptura per fidem: ut quae [5]) terrae non eras conscia, te non teneret rupes inclusa. »

1) His enucleata et per gradus distincta continetur oppositio inter ornamenta quibus Virgo refulsit, et damna quae Eva sustinuit. Primum autem ex ornamentis effertur phrasi, *quae nec de corruptione suscepit contagium*. Atqui eiusmodi est haec phrasis, quae sicuti in se spectata immunitatem a corruptione originalis contagii aptissime exprimit; ita prae orationis ductu incisorumque serie vix aliam praeferre potest significandi potestatem.

2) Al. *labori*.

3) Al. *de quo decorus procedit sponsus*. Cf. Sacramentarium gallicanum apud Mabillonium T. 1. Musaei italici, p. 301.

4) Hinc facit vetus oratio apud Martenium *de antiqua ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis*, pag. 641: « Singularis meriti, sola sine exemplo, mater et virgo Maria, quam Dominus ita mente et corpore inviolatam custodivit, ut digna exsisteres ex qua sibi nostrae redemptionis pretium Dei filius corpus aptaret. Obsecro te, misericordissima Domina, per quam totus salvatus est mundus, intercede pro me spurcissimo et cunctis iniquitatibus foedatissimo, ut qui ex meis iniquitatibus nil aliud dignus sum, quam aeternae damnationis subire supplicium, tuis Virgo splendidissima salvatus meritis perenne consequar regnum. Per Dominum. »

5) Erat utique Virgo *conscia terrae* conditionis naturae, sed conscia illius non erat conditione maledicti.

Digitized by Google

971. Eamdem antithesim exhibet [1]) Responsoriale et Antiphonarium romanae ecclesiae his verbis: « Benedicta tu inter mulieres, per quam maledictio matris Evae soluta est. Paradisi porta per Evam cunctis clausa est, et per Mariam virginem patefacta est. » Exhibent Latinorum hymni et sequentiae, e quibus praeclara haec sunt [2]) ex hymno Sedulii de veteri et novo testamento:

» Unius ob meritum cuncti periere minores,
Salvantur cuncti unius ob meritum.
» Sola fuit mulier, patuit qua ianua letho,
Ex qua vita redit, sola fuit mulier.

Tum haec [3]) ex hymno beati Petri Damiani in annunciatione sanctae Mariae:

» Haec Virgo Verbo gravida,
» Fit paradisi ianua,
» Quae Deum mundo reddidit,
» Caelum nobis aperuit.
» Felix ista puerpera,
» Evae lege [4]) liberrima,
» Concepit sine masculo,
» Peperit absque gemitu.

Atque haec rursum [5]) ex hymno in antiquis Breviariis frequentissimo:

» O gloriosa [6]) femina
» Excelsa super sidera,
» Qui te creavit provide
» Lactasti sacro ubere.
» Quod Eva tristis abstulit
» Tu reddis almo germine,
» Intrent ut astra flebiles
» Caeli fenestra [7]) facta es.
» Tu regis alti ianua
» Et porta lucis fulgida,
» Vitam datam per Virginem
» Gentes redemptae plaudite.

Neque alio haec spectant [8]) ex hymno pro dominica infra octavam nativitatis Domini:

» Eva luctum, vitae fructum
» Virgo gaudens edidit,
» Nec sigillum propter illum
» Castitatis perdidit.

Quo haec pariter referuntur [9]) ex hymno de assumptione beatae Virginis:

» Salve mater Salvatoris
» Vas electum, vas honoris,
» Vas caelestis gratiae.
» Ab aeterno vas provisum,
» Vas insigne, vas excisum
» Manu sapientiae.

1) In assumpt. beatae Dei genitricis Mariae, noctura. III. antiph. I-II. pag. 134. apud Thomasium opp. T. IV.

2) Apud Thomasium pag. 430. opp. T. II.

3) Ibid. pag. 385.

4) Sed qua lege? Lege ne solum conceptus partusque virginei, nulloque angore turbati? Monimentorum summa flagitat, ut ab omni prorsus Evae lege Deiparam liberrimam existimemus.

5) Thesaur. hymnolog. pag. 173. T. I.

6) Al. *Domina*.

7) Fatales erant fenestrae caeli quae aperiebantur Gen. VII. 11: salutifera fenestra caeli est Maria, quia per ipsam Deus verum fudit seculis lumen.

8) Thesaur. hymnolog. pag. 67. T. II.

9) Ibid. pag. 82.

Digitized by Google

» Salve decus virginum,	» Myrtus temperantiae,
» Mediatrix [1]) hominum,	» Rosa patientiae,
» Salutis puerpera:	» Nardus odorifera.

Concinunt haec [2]) de beata Virgine tempore paschali:

» Virgini Mariae laudes intonent christiani:

» Eva tristis abstulit, sed Maria protulit natum qui redemit peccatores.

» Mors et vita duello conflixere mirando: Mariae Filius regnat vivus.

Tum haec quibus [3]) Virginis conceptio celebratur:

» Nova mater novam prolem,	» Nova prorsus genitura
» Nova stella novum solem,	» Creatorem creatura
» Nova profert gaudia.	» Patrem parit filia.

Atque haec pariter [4]) de nativitate Domini:

» Eva prius interemit,	» Prima parens nobis luctum,
» Sed Servator nos redemit	» Sed Maria vitae fructum
» Carnis suae merito:	» Protulit cum gaudio.

972. Venio ad graecorum ecclesiam, in cuius Menaeis simillima, neque raro etiam luculentiora reperiuntur. Eiusmodi namque [a]) ista sunt: « Callidus serpens insidiis dulcis cibi me in exilium detrusit; sed magnus consilii Angelus ex tuo sinu mortalis effectus me paradisi incolam denuo effecit. Primae matris Evae inveteratum

a) Men. die XVI. Ianuarii Ode η'. pag. 140. col. 1. B. Ἐφερπύσας τρυφῆς ἐξορίζει με δυσβουλίαις ὁ ὄφις ὁ δόλιος· βουλῆς δ' ὁ μέγας ἄγγελος βροτωθεὶς ἐκ σῆς μήτρας τοῦ παραδείσου οἰκητῆρα πάλιν εἰργάσατο.

Men. die XXV. Ianuarii Ode γ', pag. 206. col. 2. D. Εὔας τῆς προμήτορος ἀνώρθωσας τὸ ὀλίσθημα τὸ πρὶν, ὑποδεξαμένη τὸν τοὺς κατερραγμένους ἐπανορθοῦντα λόγον τοῦ πατρὸς τῇ ἀηττήτῳ δυναστείᾳ, μητροπάρθενε.

Ode δ'. pag. 207. col. 1. D. Γνώμῃ πρὶν πεσόντα τὸν Ἀδὰμ ἀνέστησας, πανάμωμε, τὴν ἐνυπόστατον τεκοῦσα ζωὴν ἐκ μήτρας παρθενικῆς ἁγνισθείσης πνεύματι, καὶ πρὸς ἀπαθῆ καὶ θειοτέραν, ἀκήρατόν τε τρυφὴν τοῦτον ἐπανήγαγες, δέσποινα.

Ode ε'. pag. 207. col. 2. D. Ὁ πάλαι τὴν Εὔαν, μητέρα τὴν σὴν διαπλάσας, ἐκ σοῦ σεσωμάτωται, ἐκείνης κατάκριμα καὶ τὴν παρακοὴν προδήλως θεραπεύων καὶ λύων.

1) « Id unum, *inquit Daniel*, a nobis non probatur, quod beata Virgo mediatrix hominum appellata sit, quippe quod facile e plebe falso et impie possit explicari. » Verum quam ipse plebem nominat? Si catholicam, oppido fallitur: illa namque eorum regitur infallibili magisterio, quos Spiritus sanctus posuit pascere ecclesiam Dei. Sin autem protestantium plebem intelligit, meminerit nihil esse sapidum aegris, et nihil caecis luminosum.

2) L. c. pag. 198.

3) Ibid. pag. 213. Legitur hoc carmen in missalibus ecclesiarum brandenburgensis, coloniensis, aliarumque, illudque referunt Adelphus et Clichtovaeus.

4) Ibid. pag. 222.

Digitized by Google

iam lapsum correxisti, o mater Virgo, quum in utero tuo suscepisti Verbum Patris quod invicta potestate allisos atque confractos erigit. Adamum proprio actu iampridem lapsum sublevasti, o maculae omnis expers, quum subsistentem vitam peperisti ex virgineo utero per Spiritum purificato, et, o Domina, illum ad impassibilem, diviniorem, sinceramque laetitiam revocasti. Qui Evam tuam matrem olim formavit, carnem ex te suscepit, illius condemnationem et inobedientiam manifeste sanans et solvens. » Eiusmodi ista quae [a]) addimus: « Redempti per te, o penitus immaculata ab antiquo progenitorum casu, ave tibi clamamus, eumque fide glorificamus qui nos ex corruptione per te eripuit. » Eiusmodi ista quae [b]) Andream cretensem auctorem habent: « Te celebramus, o Virgo, venerabilis Dei sponsa, tamquam Dei genitricem et fidelium propugnaculum; tu enim lapsam naturam erexisti, et imaginem Adami renovasti, tu sola quae praeexsistentem Deum peperisti. Cladem primac matris Evae tu nunc revocasti, pariens redemptorem omnium et salvatorem et creatorem et dominum, o Dei mater sola in mulieribus benedicta; propterea te fide glorificamus. » Et eiusmodi ista quae [c]) Georgio ac Theophani debentur: « Iucunde et cum gratiarum actione tibi, o innocentissima, nos ab antiqua condemnatione per tuum divinum partum redempti inclamamus illud *ave* Archangeli venerabilis: ave Adami redemptio: ave solutio Evae: ave per quam universum nostrum mortale genus cum Deo coniunctum est: ave per quam caelorum regnum sumus assequuti. Ave verus vir-

a) Men. die XVI. Iulii Ode ζ'. pag. 81. col. 1. B. Λυτρωθέντες, πανάμωμε, διὰ σοῦ τῆς ἀρχαίας τῶν προγόνων ἐκπτώσεως, τὸ χαῖρέ σοι βοῶμεν, καὶ πίστει δοξάζομεν τὸν διὰ σοῦ ἐκ φθορᾶς ἡμᾶς ῥυσάμενον.

b) Men. diei I. Augusti Ode δ'. pag. 7. col. 1. D. Ὑμνοῦμέν σε, παρθένε, θεόνυμφε σεμνή, ὡς θεογεννήτριαν, καὶ τεῖχος τῶν πιστῶν· σὺ γὰρ τὴν φύσιν ἀνέστησας τὴν πεσοῦσαν, καὶ τὴν εἰκόνα ἀνενέωσας τεκοῦσα μόνη τὸν προόντα θεὸν τοῦ Ἀδάμ.

Die XXI. Augusti Ode ε'. pag. 119. col. 1. A. Τῆς προμήτορος Εὔας νῦν ἀνεκαλέσω τὴν ἧτταν, κυήσασα λυτρωτὴν τῶν ὅλων, καὶ σωτῆρα καὶ κτίστην καὶ κύριον, θεομῆτορ μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη· διὰ τοῦτό σε πίστει δοξάζομεν.

c) Men. die IX. Octobris Ode θ'. pag. 47. col. 2. B. Χαρμονικῶς τὸ χαῖρέ σοι τοῦ σεπτοῦ ἀρχαγγέλου οἱ λυτρωθέντες, πάναγνε, τῆς ἀρχαίας κατάρας διὰ τοῦ θείου σου τόκου εὐχαρίστως βοῶμεν· χαῖρε Ἀδὰμ ἡ λύτρωσις· χαῖρε Εὔας ἡ λύσις· χαῖρε δι' ἧς ἅπαν ἡμῶν βρότειον ἐθεώθη· χαῖρε δι' ἧς ἐτύχομεν οὐρανῶν βασιλείας.

Die XVIII. Ode ε'. pag. 109. col. 2. A. Χαίροις ἀληθῶς παρθενίας τὸ κειμήλιον, ἡ τῆς προμήτορος ἀνάκλησις, καὶ τῆς κατάρας ἡ λύσις τῆς τοῦ προπάτορος.

Digitized by Google

ginitatis thesaurus, revocatio primae matris, et solutio condemnationis in quam primus pater offendit. »

973. En vero quae eumdem praeferentia sensum, in Octoecho [a]) recurrunt: « O superior omni laude, antiquum Evae debitum abrogasti, novo propter nos Adamo semet manifestante. Etenim sibimetipsi ex puro conceptu uniens carnem mente atque anima praeditam, ex te Christus Dominus in utrumque prodivit. Antiquae Evae ingenuitatem tu paris, o innocens Virgo, et Adamum a maledicto solvis; propterea una cum angelis te tuumque Filium extollimus et clamamus: redemptor est Deus benedictus. » Et en quae eodem pertinentia [b]) leguntur in Triodio: « Ave per quam refulsit laetitia; ave per quam maledictum defecit. Ave lapsi Adami revocatio; ave lacrymarum Evae solutio. Ave altitudo humanis rationibus inaccessa; ave profundum neque angelorum oculis pervium. Ave quod sis regis solium; ave quod feras ferentem omnia. Ave astrum quod solem emittis; ave sinus divinae incarnationis. Ave per quam refingitur creatura; ave per quam creator puer efficitur. Ave hominum reordinatio; ave daemonum pernicies. Ave quae fraudulentum erro-

a) Octoech. pag. 5. col. 1. D. Τῆς Εὔας τὴν πάλαι ὀφειλὴν ἀπήτησας, πανύμνητε, τῷ δι' ἡμᾶς φανέντι νέῳ Ἀδάμ· ἑνώσας γὰρ ἑαυτῷ ἐξ ἁγνῆς συλλήψεως σάρκα νοερὰν ἐμψυχωμένην ἐκ σοῦ προῆλθε Χριστὸς εἰς τὸ συναμφότερον κύριος.

Ibid. pag. 39. col. 1. B. Εὔας τῆς πάλαι ἐλευθερίαν κυήσασα τῆς κατάρας λύεις τὸν Ἀδὰμ, παρθένε ἁγνή· διὸ μετ' ἀγγέλων σε σὺν τῷ υἱῷ σου ὑμνοῦμεν, καὶ βοῶμεν· λυτρωτὰ ὁ Θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

b) Triod. pag. 314. col. 2. C-D.

Χαῖρε, δι' ἧς ἡ χαρὰ ἐκλάμψει· χαῖρε, δι' ἧς ἡ ἀρὰ ἐκλείψει.
Χαῖρε, τοῦ πεσόντος Ἀδὰμ ἡ ἀνάκλησις· χαῖρε, τῶν δακρύων τῆς Εὔας ἡ λύτρωσις.
Χαῖρε ὕψος δυσανάβατον ἀνθρωπίνοις λογισμοῖς· χαῖρε βάθος δυσθεώρητον καὶ ἀγγέλων ὀφθαλμοῖς.
Χαῖρε, ὅτι ὑπάρχεις βασιλέως καθέδρα· χαῖρε, ὅτι βαστάζεις τὸν βαστάζοντα πάντα.
Χαῖρε ἀστὴρ ἐμφαίνων τὸν ἥλιον· χαῖρε γαστὴρ ἐνθέου σαρκώσεως.
Χαῖρε, δι' ἧς νεουργεῖται ἡ κτίσις· χαῖρε, δι' ἧς βρεφουργεῖται ὁ κτίστης.

Ibid. pag. 316. col. 1. B-C.

Χαῖρε ἀνόρθωσις τῶν ἀνθρώπων· χαῖρε κατάπτωσις τῶν δαιμόνων·
Χαῖρε, τῆς ἀπάτης τὴν πλάνην πατήσασα· χαῖρε, τῶν εἰδώλων τὸν δόλον ἐλέγξασα.
Χαῖρε θάλασσα ποντίσασα Φαραὼ τὸν νοητόν· χαῖρε πέτρα ἡ ποτίσασα τοὺς διψῶντας τὴν ζωήν.
Χαῖρε πύρινε στύλε, ὁδηγῶν τοὺς ἐν σκότει· χαῖρε σκέπη τοῦ κόσμου, πλατυτέρα νεφέλης.
Χαῖρε τροφὴ τοῦ Μάννα διάδοχε· χαῖρε τρυφῆς ἁγίας διάκονε.
Χαῖρε ἡ γῆ τῆς ἐπαγγελίας· χαῖρε, ἐξ ἧς ῥέει μέλι καὶ γάλα.

Digitized by Google

rem subvertisti; ave quae idolorum ludibria profligasti. Ave mare quod spiritalem Pharaonem submersit; ave petra quae vitam sitientes potavit. Ave ignea columna, dux eorum qui in tenebris degunt; ave mundi tutela multo nube amplior. Ave quae contines mannae cibum; ave administra sanctarum deliciarum. Ave promissionis terra; ave ex qua mel et lac fluunt. »

974. Fuit igitur cur [a]) Sophronius hierosolymitanus ex vulgatissima Ecclesiae doctrina de Virgine scriberet: « Te, o Deipara, extollimus acerbae veterisque sententiae expultricem, primae matris restitutricem, caussam nostri generis cum Deo coniunctionis, pontem qui ad creatorem perducit. » Et [b]) rursum: « Ave gaudii caussa, ave maledictionis expultrix, ave orthodoxorum gloria, te celebrantium perfugium, o Dei genitrix innocentissima, per quam a corruptione soluti sumus. »

975. Huc igitur potiora redeunt dissimilitudinis capita, quae liturgicis et ecclesiasticis consignata monimentis ab Eva peccato obstricta et originali innocentia miserrime exspoliata Mariam longissime separant. *Eva paradisi ianuam obstruxit, Maria reseravit, digna idcirco habita quae caeli ianua vocaretur. Sola fuit Eva, qua patuit ianua letho, et sola fuit Maria e qua vita rediit. Quod Eva voravit in crimine, Maria restituit in salute. Nobis per Virginem gloriosa vita restituitur, quae per ligni inobedientiam credebatur exstincta. Eva suadente diabolo decepta legem mortis invexit, Maria angelo nunciante clarificata vitam mundo protulit. Eva praevaricando nos perdidit, Maria generando salvavit: illa pomo arboris in ipsa nos radice percussit, haec virga fuit e qua flos salutis germinavit. Evae perfidia serpenti consensit, coniugem decepit, et prolem damnavit; sed Mariae obedientia Patrem conciliavit, Filium meruit, et posteritatem absolvit. Eva homines a Deo seiunxit, Maria homines cum Deo reconciliavit, atque id consequuta est ut pons ad Deum perducens, hominumque mediatrix salutaretur. Sicuti per Evam maledictio in universos incubuit homines, ita illius*

a) Triod. pag. 131. D. apud Mai in Spicileg. rom. T. IV. Τὴν τῆς ἀποτόμου ἀρχαίας ἀναιρέτιν ἀποφάσεως, καὶ τῆς προμήτορος τὴν ἐπανόρθωσιν, τὴν τοῦ γένους τῆς πρὸς Θεὸν αἰτίαν οἰκειώσεως, τὴν πρὸς τὸν κτίστην γέφυραν, σὲ, Θεοτόκε, μεγαλύνομεν.

b) Ibid. pag. 181. A. Χαῖρε τῆς χαρᾶς ἡ αἰτία, χαῖρε κατάρας ἀνηρέτις, χαίροις ὀρθοδόξων τὸ κλέος, τῶν σὲ ὑμνούντων τὸ καταφύγιον, Θεογεννῆτορ πάναγνε, δι᾽ ἧς φθορᾶς ἠλευθερώθημεν.

expultrix fuit Maria quae et inveteratum Evae casum emendavit, et Adamum erexit, et lapsam in eo naturam sublevavit, et deformatam imaginem restituit, et illata per primam mulierem damna penitus reparavit.

976. Pronum vero est intelligere, quid cum tot dissimilitudinis capitibus quae Virginem ab Eva, quaeque mulierem oraculo Geneseos promissam a prima muliere totius mali fonte quam maxime seiungunt, intimo plane nexu copuletur. Copulatur videlicet, Virginem ad Evam referri non uti rivum turbidum ad fontem infectum, non uti germen putridum ad radicem corruptam, non uti imaginem deformem ad exemplar depravatum; sed contra uti caussam et principium quo fontis infectio purgetur, corruptioni radicis prospiciatur atque exemplaris deformitas emendetur. Tum vero copulatur, sibi mutuo insigniter respondere habitum qui Adamum inter et Christum, quique inter Evam et Virginem intercedit; adeo ut sicut illa Christi, ita haec Virginis typus exstiterit. Sane, incolumi ea quae decet proportione, vix quidquam de Christo prae Adamo affirmatum novimus, quod de Virgine prae Eva in christianis monimentis iteratum non reperiamus. Ecquid enim de Christo solemnius affirmatur? Quod fuerit Adami mediator ac redemptor: quod cum Patre Adamum reconciliaverit: quod illum refinxerit: et quod sua obedientia illum a triplici captivitate peccati, satanae atque mortis vindicarit. Nihil autem horum est, quod totidem verbis, geminisque sententiis de Virgine prae Eva non inculcetur. Ipsa namque est Virgo quae Evae mediatrix atque redemptrix nuncupatur: et ipsa est Virgo cui laudi vertitur, quod fidei obedientiaeque merito Deum mundo reddiderit, deturpatam naturam renovarit, lapsam Evam erexerit, maledictionem expulerit, omniaque ad pristinum splendorem revocarit.

977. Iamvero utraque ratio et dissimilitudinis cum Eva, et similitudinis cum Christo comparata sic est, ut Virginem nullo afflatam originalis vitii halitu perspicue demonstret. Quod quidem nisi ultro concedatur, neutra ratio vel dissimilitudinis cum Eva, vel similitudinis cum Christo constare sibi utcumque poterit; immo ratio dissimilitudinis in rationem similitudinis, et vicissim ratio similitudinis in rationem dissimilitudinis necessario commutabitur. Decus igitur Virginis, quo a noxa originalis praevaricationis integra atque soluta creditur, iis doctrinarum capitibus connumeretur opor-

tet, quae in christianis monimentis toties traduntur, quoties vel eius ab Eva dissimilitudo vel similitudo cum Christo [1]) non citra respectum ad Geneseos oraculum celebratur. Quare in iisdem monimentis non modo Virginem nuncupatam cernimus *vitae thesaurum, tabernaculum gloriae, templum caeleste, vas ab aeterno provisum et ad divinam maternitatem praeparatum;* verum etiam delatum ipsi conspicimus, *quod non susceperit de corruptione contagium, quod conscia terrae non fuerit, quod e sinu matris uti stella corusca et admirabilis germinarit, quod omnis expers maculae apparuerit, et quod sola exstiterit in mulieribus benedicta, utpote sola ab Evae lege liberrima.*

ARTICULUS VIII.

De altero inciso commatis decimiquinti ex tertio Geneseos capite: quaestio critica de germana subiecti lectione, utrum ea sit ipsa *vel* ipse: *expenditur, et externis internisque argumentis ad gignendam fidem idoneis dirimitur: altera eiusdem indolis quaestio quae ad verba* conteret *atque* insidiaberis *refertur: quid statui debeat, quove pacto quae prima fronte videntur dissita concilientur.*

978. Egimus pro facultate de primo oraculi membro, quo divinum reparandi humani generis consilium significatur. Illud reliquum est, ut alterum expendamus, quod in receptis vulgati interpretis editionibus [2]) sic habet: *ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Opportune autem animum subit quod omnium ore frequentatur, inanem esse interpretationis operam, nisi certo de lectione constiterit quae enarranda suscipitur. Hinc illud [3]) Augustini: « Codicibus emendandis primitus debet invigilare solertia eorum, qui scripturas divinas nosse desiderant, ut emendatis non emendati cedant, ex uno dumtaxat interpretationis genere venientes. » Quare nihil esse nobis antiquius debet quam diligenter exquirere ac probe tenere, sincera nec ne sit ac germana ea vulgatae editionis lectio quam exhibuimus.

979. Et est sane cur ea de re non minimum ambigamus. Quam-

1) Hoc autem argumentum idcirco expoliendum uberius existimavi, quod et ex sese gravissimum sit, et ad comprobandam Virginis immaculatam conceptionem mirifice idoneum, et quod noverim non deesse viros eruditos qui id in votis habuerint ac porro habeant.

2) Gen. III. 15.

3) De doctr. christ. lib. II. cap. XIV.

Digitized by Google

quam enim sepositas velimus [1]) acerbiores Protestantium contentiones, numquam tamen defuerunt [2]) magno numero viri probe catholici iidemque eruditissimi, qui tam de lectione subiecti *ipsa,* quam de lectione verborum *conteret* et *insidiaberis*, aut prorsus dubitarint, aut illas etiam emendandas censuerint. Ratio igitur accuratae tractationis efflagitat, ut non prius de commentario deque enarratione disseratur, quam quid de utraque lectione iudicandum sit, ex indubiis certisque regulis innotuerit. Quare ut a priori auspicemur, in disceptationem venit, utrum *ipsa* feminino genere, an satius *ipse* genere masculino legi debeat. Dirimi autem eiusmodi dubitatio nequit, nisi *externis internisque praesidiis* dextere usurpatis, quae tandem omnia *ad instrumenta, ad testes, ad canones grammaticos, legesque hermeneuticas* revocantur.

980. Iamvero si *de instrumentis* sermo sit, praeeuntibus [3]) Bukentopio, Costero [4]), Bernardo de Rubeis [5]) et [6]) Francisco Xaverio Patritio qui horum vestigia presse legit, huc redit iudicium quod ferri debet. Lectioni הוּא, αὐτός, *ipse,* suffragantur exemplaria hebraica *omnia* quae novimus, tribus certis exceptis quae habent הִיא, αὐτή, *ipsa,* et quinque dubiis quae eamdem [7]) praeferre lectionem videntur: suffragantur exemplaria *omnia* samaritica: ex versionibus autem suffragantur graecae *omnes*, unam forte si dempseris, *omnes* paraphrases chaldaicae, Onkelosi, Ionathanis, hierosolymitana, *omnes* versiones syriacae, *omnes* arabicae, sive illa Saadiae, sive mauritana Erpenii, versio persica Tawosi, aethiopica, aegyptiaca vel

1) De quibus sane indignis quae repetantur, conferri possunt Aegidius Strauch *De Mariae natalibus*, pagg. 283. seqq. apud Thomam Crenium T. IV., Hulsemannus *in Gen. III.* 15. apud eumdem T. V., Sixtinus Amama *Anti-Barbari biblici* lib. II. pagg. 202. seqq., Salomon Glassius tum *in singulari de protevangelio disputat. ἐλεγκτικῇ subiecta grammaticae sacrae*, tum in Χριστολογ. *mosaicae diss. II.* §§. XXXIII. seqq., Abrahamus Costerus *in vindic. loci Gen. III. 15. adversus Papistas*, Fridericus Boernerus *in dissert. de Protevangelio* pagg. 7. seqq. et Cornelius De Hase *in diatribe de Protevangelio paradisiaco ad Gen. III.* 14-15. *cap. VI.*

2) Videsis Iohannem Alba in selectis annotationibus et expositionibus in varia utriusque testamenti difficillima loca, cap. LXIII. pag. 288, ubi inter cetera scribit: « Et illud Genes. III. *ipsum conteret caput tuum*, de Messia intelligendum constanter affirmant antiqui patres, et magni nominis theologi. » Feverdentius autem in annotatt. ad Irenaeum penes Massuetum pag. 143. sic habet: « Adeo manifestum est, illius promissi sacri seminis nomine Christum significatum esse, nomine autem serpentis diabolum, ex Is. VII. et IX., Ioh. III., Rom. I. VI. XVI., Hebr. II., I. Petr. V., Apoc. XII. et XIII., et sanctorum patrum unanimi consensu, ut numquam satis mirari possim Calvini et Marlorati plusquam iudaicam impietatem. »

3) Lux de luce pag. 134.

4) Vindex loci Gen. III. 15. cap. XI.

5) In app. ad var. lectt. V. T. pagg. 207. seqq. vol. IV.

6) In disquisit. cui titulus, de הִיא, hoc est, de immaculata Mariae origine a Deo praedicta.

7) Testatur Bellarminus de verbo Dei lib. II. cap. XII. se uno in codice legisse הִיא. Nimirum, subdit de Rosse, unus forte fuit ex duobus vaticanis, quibus addi debet exemplum Pentateuchi membranacei in 4. sine anno et loco editi; in quo legitur הִיא ex antiqua Iudaei manu, qui puncta adscripsit.

Digitized by Google

coptica, samaritica, armeniaca, latina [1]) vetus, hieronymiana [2]), aliquot [3]) vulgatae codices et slavonica. Sin autem *ex instrumentis ad testes* progrediamur, eidem masculinae lectioni fidem auctoritatemque conciliant ex Iudaeis qui graece scripserunt, Philo alexandrinus [4]) et Flavius Iosephus, tum vero ceteri omnes praeter unum Maiemonidem: ex patribus graecis omnes [5]) quotquot haec verba retulerunt: ex latinis item omnes usque ad medium seculum quartum; a medio autem seculo quarto ad finem usque seculi quinti, Hieronymus, Leo magnus et Petrus chrysologus: ex syris tandem Ephraemus et Moyses Bar-Cepha.

981. E quibus expeditum est inferendo colligere, *quae instrumenta, quive testes* lectioni femininae הִיא, *αὐτή*, *ipsa* patrocinentur. Nihilominus ut hoc ipsum perspiciatur articulatius, iuverit nominatim monuisse, quod sicuti eiusmodi lectioni non alia patrocinantur instrumenta nisi tria hebraica exemplaria *certo* et quinque *dubie*, unum exemplar chaldaicum seculo decimo quinto exaratum, una forte [6]) ex graecis versionibus et vulgata versio in codicibus plerisque omnibus; ita non alii favent testes nisi [7]) Maiemonides, et ex christianis latinisque scriptoribus a medio seculo quarto ad finem seculi quinti, Ambrosius et Augustinus, post seculum vero quintum prope-

1) Cf. Sabatierium ad Gen. III. 15.

2) In biblioth. divina a Maurinis edita, opp. T. I.

3) De his codicibus audiendi sunt Hentenius *in bibliis lovaniensibus*, Lucas brugensis *in notationibus*, Lindanus qui *de optimo genere interpretandi lib. III.* pag. 127., quatuor addit codices a Brugensi omissos, et Bellarminus qui *de verbo Dei lib. II. cap. XII.* scribit: *editionem vulgatam varie habere, quosdam codices habere* ipse, *neque esse contra vulgatam editionem, si convincatur debere legi* ipse *vel* ipsum. Cui lectioni pariter suffragantur plures vulgatae editiones ante sixtinam et clementinam, quae illam ad marginem praeferunt.

4) Schulzius in schol. ad V. T. pag. 63. T. I. monet, pronomen הִיא a Philone opp. T. I. pag. 124. referri ad הָאִשָּׁה, sive *ad mulierem*. Sed fallitur, legit enim αὐτός, quod et Mangey in notis animadvertit; neque solum legit αὐτός, sed praeterea observat, sermonem ex muliere ad eiusdem semen transferri. Miror autem non defuisse, qui Flavium Iosephum tamquam assertorem femininae lectionis adduxerint; quum Antiquitt. lib. I. cap. III. n. 4. habeat αὐτός, neque *ipsa* occurrat nisi in antiqua latina versione, quae quum a textu ipso discrepet, Rufino aquileiensi, monente Fontaninio in eiusdem vita lib. II. cap. XVI., praepostere adscribitur.

5) Videri posset excipiendus Ioh. chrysostomus in Genes. hom. XVII. n. 7., ac si feminina flexione legisset αὐτή. Sed lectio haec est interpretis latini, non germana Chrysostomi, qui habet αὐτός.

6) In Hexaplorum reliquiis apud Montfauconium T. I. pag. 18. haec habentur הוא ישופך ראש 15. Ὁ αὐτός σου τηρήσει κεφαλήν. Ἄλλος· αὐτή σου τηρήσει κεφαλήν. Idest « H. Ipsum conteret tibi caput LXX. Ipse servabit caput tuum. *Alius*, ipsa conteret caput tuum. » De qua postrema lectione mentem suam Montfauconius prodit inquiens: « Ita mss. quidam, et haec *videtur* fuisse lectio veteris cuiusdam interpretis, cuius nomen tacetur, at quem sequitur vulgatus interpres. Hieronymus in quaestt. hebraicis, *ipse* legendum esse confirmat; sed Augustinus et ceteri fere patres, *ipsa*, legunt, ut notatur in editione romana. »

7) In *More nevochim* P. II. cap. XXX. ex versione Buxtorfii: « Sed mirandum magis est quod serpens cum Eva coniungatur, hoc est, semen illius cum huius semine, caput et calcaneus, quod *illa* (Eva) vincat ipsum (serpentem) in capite, et ille (serpens) vincat ipsam in calcaneo. » Versio autem Iustinianaea addit: « Hoc est quod dictum est, *ipsa* conteret caput tuum. »

Digitized by Google

modum omnes. Quae quum ita sint, argumentis evinci non debet quaenam ex duabus lectionibus [1]) auctoritate instrumentorum atque testium vindicetur. Sive enim numerum spectes, sive antiquitatem et insitum pretium consideres, prior lectio eademque masculina tanto pondere stabilitur, ut altera, nisi aliunde forte iuvetur, inter eas connumeranda sit quae *improbabiles* existimantur.

982. Verum quin aliunde iuvetur, grammaticis contra canonibus non obscure impugnatur. Est enim canon grammaticus, iisque non anceps sed fixus, e duabus lectionibus, nisi quid obstet, praeferri illam oportere quae ad ratas sermonis leges exacta sit, illam vero expungi qua eaedem violentur. Sicut autem lectio masculina *ipse* cum ratis sermonis legibus praeclare conspirat, ita lectio feminina *ipsa* ab iisdem aperte discedit. Sane ad ratas sermonis leges spectat, ut pronomina, nisi quid obstet, ad propinquius nomen referantur. Propinquius autem nomen haud est האשה, *mulier,* sed זרע, *semen.* Est igitur cur pronomen הוא de semine intelligatur. Praeterea in linguis semiticis, atque adeo etiam in hebraica, *genus subiecti* non modo *ex pronominibus,* (quod in iapeticis etiam locum habet) nullo negotio deprehenditur, verum etiam *ex ipsis quibuscum cohaeret verbis,* sua sponte innotescit. Sed tam verba, quam pronomina suffixa quibuscum subiectum iungitur, formam referunt masculinam; sunt enim ישופך et תשופנו, nullatenus vero תשופך et תשופנה, quemadmodum opus foret, si de femina ageretur. Nisi ergo praehabitam lectionem velimus, quae a grammaticae norma dissideat, illam omnino sequemur quae masculino genere continetur.

983. Scio quid reponi soleat, neque ignoro aliquot promi exempla consuevisse quibus efficiatur, illam cuius meminimus legem non esse omnino constantem, et Scripturarum textus suppetere in quibus non citra *generis enallagen* subiecta feminina cum pronominibus et verbis masculinis construuntur. Verum, ut hinc ordiar, nemo facile concesserit *anomalias et exceptiones* non secus ac *regulas* spectari posse: nemo facile concesserit anomalias et exceptiones alia lege admitti, ac si eaedem idoneis rationibus comprobentur: et nemo facile concesserit, eam lectionem merito anteferri, quae non-

1) De quibus unum idemque iudicium praeter alios nobiscum ferunt Daniel Huetius in demonstrat. evangelic. proposit. VII. §. VII., Frassen in disquisitt. biblicis in Pentateuch. pag. 74., Ioh. Martianay tum T. III. opp. Hieronymi pagg. 1190-1191. et in Harmonie analytique §. I. pag. 3., tum in Méthode sacrée pour apprendre à expliquer l'Ecriture par l'Ecriture même pag. 74. et Augustinus Calmet comm. in Gen. III. 15.

nisi anomaliis et exceptionibus, iisque nullo pacto comprobatis, vindicetur. Quamquam quod caput est, nego vel unum ex integris bibliis adduci exemplum posse, quo ea comprobetur syntaxis quae tamen comprobanda foret, si in eo quo de loquimur Geneseos vaticinio, pronomen הוא feminina significatione acciperetur. Quoties enim in bibliis sive nomen sive pronomen singulare, quod ipsa sua notione ac forma femininum est, casu recto, nullaque voce interiecta, adhibetur ante verbum quo cum sententiam efficit; toties ipsum verbum non alio quam feminino genere usurpatur. Atqui in praesentia pronomen הוא, nulla interiecta voce, sic adhibetur ante verba ישופך et תשופנו, quibuscum sententiam efficit, ut tamen ipsa verba eorumque suffixa masculina sint. Feminina igitur potestas [1]) pronominis הוא defendi nequit, nisi Moyses σολοικῶς loquutus censeatur.

984. Quae quidem tam ex instrumentis et testibus quam ex grammaticis legibus ducta argumenta ad evidentiam usque persuadent, femininam lectionem *ipsa* aut vix, aut nullatenus defendi posse. Quocirca integrum nobis foret ab iis referendis abstinere; quae ex hermeneutica colliguntur. Neque enim arbitrari licet, sive legitimam interpretationem officere lectioni posse, quam instrumenta, testes et grammatici canones exposcunt: sive aliam esse legitimam interpretationem quam quae ex lectione suffragio instrumentorum, testium et grammaticae legum communita proficiscitur. Nihilominus ne quid in hac nostra tractatione sin minus necessa-

1) Quibus praeclare iis etiam occurritur qui forte monerent, priscis temporibus pronomen הוא utriusque fuisse generis, nullumque proinde ex eiusdem forma peti argumentum posse, quo masculine potius quam feminina potestate intelligendum ostendatur. Ultro namque subscribimus Gesenio et Ewaldo, quorum ille in gramm. hebr. cap. I. §. 33., et alter in gramm. hebr. lib. II. §. 184. haec docent et confirmant; atque ultro Ruordae subscribimus qui in gramm. hebr. lib. III. §. 88. sic habet: « Pronomina הוּא, הִיא, הֵם et הֵן, a particulis demonstrativis הָא, et הֵן, quae vulgo *en, ecce* transferri solent, prima origine haud diversa fuisse videntur: et vero antiquissimos semitas etiam aliis consimilibus loco pronominum usos esse, quum aliunde, tum dialectorum affinium collatione constat. Initio igitur hae voculae simplices fuerunt particulae demonstrativae, absque ullo generis numerique discrimine: et postea demum variae illae formae ita distinctae sunt, ut aliae ad singularem numerum, aliae ad pluralem; item aliae ad masculinum, aliae ad femininum genus significandum adhiberentur. Et vero quo tempore conscriptus est Pentateuchus, vel potius, quo plurima monimenta, quibus auctor usus est, litteris sunt mandata; הוא etiam tum utriusque generis erat. Quoties autem ibi pro feminino pronomine est, Iudaeorum grammatici qui Masoretae appellantur, הִוא scripserunt; quo significarent feminini generis esse, et publicos voluminum sacrorum praelectores debere היא pronuntiare. Hoc הִיא undecies tantum in Pentateucho usurpatum offenditur, sive ipsius scriptoris, sive scribarum librariorum incuria. Alibi, ubi היא offendebant scriptum, sed הוא legendum censebant, Masorethae הִוא exararunt, cum *schurek* in littera *iod*. » Quamquam igitur ex forma pronominis הוא dirimi controversia nequeat: at quamquam hoc abunde probet, vix non inanes fuisse contentiones de הוא deque היא; quaevis tamen a medio difficultas tollitur, si ratio habeatur qua *nominis* quod proxime antecedit, qua verborum et suffixorum quibuscum הוא copulatur.

rium, utile saltem praetermissum videatur; de ipsa etiam interpretatione quaeremus, et cuiusmodi lectio vel omnino vel aptius cum ipsa cohaereat, explicabimus. Principio itaque statuo, *talem non esse orationis sententiam, cum qua alterutra lectio masculina aut feminina conciliari utcumque non possit.* Et sane [1]) nihil praevertit nisi pars caelestis oraculi, quo coniunctim et protoparentum fiducia erigitur, et maleficus praevaricationis instigator satanas acerbissime mulctatur. Utrumque autem notissimis verbis effertur: *inimicitiam* [2]) *ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius.* Propemodum diceretur: neque mulieris eiusque seminis captivitas erit perpetua, neque tuus de muliere eiusque semine triumphus iugiter permanebit. Ecce namque ego, ego ipse mulierem suscitabo quae una cum suo semine numquam tecum, numquam cum tuo semine amicitiae foedere copuletur; sed a te tuoque semine hostili inimicitia semper abhorreat. Tum subditur: הוא *conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Quibus quum altera pars promissionis et poenae, tum exitus suscitatae divinitus inimicitiae significatur. Crescit enim oratio, atque hunc sensum apertissime fundit. Non modo mulierem excitabo quae una cum suo semine tibi numquam morem gerat, sed perpetuas contra inimicitias tecum et cum tuo semine exerceat; verum et illud efficiam, ut tuum conteratur caput, tuum infringatur robur, tuae vires labefactentur, ac tibi istud unum sit reliquum ut vincentis calcaneo insidieris. Iamvero eiusmodi orationis ductus et sententiarum nexus non is est, qui constare sibi nequeat, nisi alterutra lectio masculina aut feminina praehabeatur. Si enim legeris *ipse*, scite fluit oratio, et supremus de satana triumphus *recta* semini et *oblique* mulieri, quae a suo semine numquam seiungitur, perspicue asseritur; sin vero legeris *ipsa,* neque orationis filum abrumpitur, neque aliud exsistit

1) Vidit hoc inter ipsos protestantes Grotius, atque adeo in comm. ad h. l. scripsit: « Vulgatus habet, *ipsa*, quasi de muliere ageretur, sensu non mala. »

2) Sunt qui futurum *Hiphil* אָשִׁית *ἀντὶ τοῦ* שִׁית, reddunt non *ponam,* sed cum Iunio et Tremellio, *pono.* Quae quidem interpretatio ferri utcumque potest. Etenim neque ratio grammaticae, neque veritas rei illam funditus repudiant. Non ratio grammaticae, quae patitur usum *futuri* loco *praesentis.* Non veritas rei, quandoquidem sive ad Deum, sive ad homines, sive ad satanam praesens *pono* referatur, legitimum fundit sensum. Legitimum fundit sensum si referatur ad Deum, quia declarat, iam tum Deum decrevisse, se in plenitudine temporis eum mittere qui satanam debellaret. Legitimum fundit sensum si referatur ad homines, quia denotat iam tum una cum reparationis oeconomia hostiles incepisse pugnas homines inter se satanam. Et legitimum fundit sensum si referatur ad satanam, quia docet iam tum ipsum in omnes se vertisse partes, ut homines structis insidiis aeternum perderet.

discrimen [1]) quam quod *significatione* et *adsignificatione* continetur, eoque redit ut supremus de satana triumphus *recta* mulieri et *oblique* semini quo cum illa par constituit, vindicetur. Iure ergo affirmavimus talem non esse incisorum vim sententiarumque rationem, quae alterutram lectionem sive masculinam sive femininam necessario expostulet.

985. Immo affirmari etiam videtur non iniuria posse, *aliquot in ipso sermonis contextu indicia reperiri, quae femininam lectionem prima specie primaque fronte commendent.* Si enim [2]) legas *ipsa,* oppositio inter primam mulierem seductam et *victam,* alteramque mulierem satanae *victricem* splendidior enitescit. Si legas *ipsa,* unum atque idem est subiectum quod in utroque inciso *recta* exprimitur, locumque principem occupat. Sicut enim in priore inciso, *inimicitiam ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius*, mulier est quae recta significatur, quae cum satana committitur, locoque excellit; ita hoc ipsum non citra concinnitatis speciem in altero inciso obtinebit, si lectio, *et ipsa conteret caput tuum,* praeferatur. Si legas *ipsa,* ratio apparet cur futura mulieris cum satana inimicitia, tamquam eximium spei pignus et acerbissima in satanam poena proponatur: quod videlicet mulier serpentis caput esset contritura. Si legas *ipsa,* evidentior est similitudo qua modo inductae ruinae modus reparationis respondet. Quemadmodum enim illa a muliere incoepit, et per mulierem in hominem universumque humanum semen grassata est; ita haec mulieri in acceptis referenda

1) Heic ego velim comparatio instituatur inter oraculum quod versamus et vaticinium de futuro Messia, quod occurrit Gen. XLIX. 10. Etenim hebraicis verbis, עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים, haec apud Alexandrinos respondent: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν, *donec veniant quae reposita sunt ei* (Iudae), *et ipse expectatio gentium*. Non ego investigabo diutius quid illi in suis codicibus repererint; an repererint שילה, vel potius שלה, שילו, שלו, לה שי: neque discrimen adnotabo illos inter et Aquilam, Symmachum ac Theodotionem, qui unanimes vertunt, ᾧ ἀπόκειται, de qua lectione conferendus est Nobilius; sed ex ordine animadvertam I. perspicuam esse enallagen numeri et generis inter τὰ ἀποκείμενα et αὐτός, illique simillimam qua Gen. III. 15. τῷ σπέρματι succedit αὐτός: II. vocem τὰ ἀποκείμενα aptius reddi non posse quam *destinata, attributa, promissa* initio quidem protoparentibus Gen. III. 15, deinde vero Abrahamo Gen. XII. 3. coll. XVIII. 18, XXII. 18, Isaaco Gen. XXVI. 4. et Iacobo Gen. XXVIII. 14.: proindeque III. τῶν ἀποκειμένων ambitu pariter comprehendi *mulierem eiusque semen, verum ita ut semini principes partes deferantur*. Quae si vera sint, erit forte cur nonnihil haec temperentur quae scribit cl. Patritius de interpret. scriptt. sacr. lib. II. q. VI. §. IX. n. 39. pag. 101: « A graecis interpretibus pro ולו redditum est καὶ αὐτός, quod non alium quam Iudam designare potuit iis, qui שילה verterunt τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ; qui autem verterunt ᾧ ἀπόκειται, iis pronomen αὐτός de alterutro aeque potuit dictum esse, de Iuda aut de Scilo. »

2) Hac specie inductus Lipsius cecinit:
« Et quem non geniam fuget,
» Et quam non striga, quam sagam
» Magna magni Dei parens?
» De qua sacra profantur,
» Hanc fore, quae serpentis
» Contereret caput improbi.

declaratur. Tandem si legas *ipsa,* facile assequeris cur mulier non sine praefixo articulo הָאִשָּׁה nuncupetur. Nemo igitur prudenter abnuat, ea haberi in ipso sermonis contextu quae femininam lectionem iuvare prima fronte videantur.

986. *Penitiori tamen oraculi investigatione monemur, veram germanamque lectionem illam esse quam instrumenta exhibent, testes comprobant, et grammatici canones poscunt, et qua pronomen* הוא *masculina significatione usurpatur.* Et sane reputetur animo editi caelitus oraculi consilium. Illud omnino fuit, ut patefacto humanae reparationis auctore, non minus protoparentes in supremam perniciem lapsi recrearentur, quam satanae gaudium de fraudum exitu, relataque victoria in dolorem tristitiamque converteretur. Neminem vero alium sive humanae reparationis auctorem, sive satanae debellatorem credere possumus ac debemus praeter singulare ac benedictum mulieris semen. Hoc igitur est quod pronomine הוא ostenditur, cuius idcirco potestas non feminina sed masculina existimari debet. Probationi ex oraculi scopo consilioque ductae altera accedit, quam rei natura praebet, quamque Iohannes et Paulus suppeditant: ille quidem ubi [1]) ait, *in hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli:* Paulus vero [2]) scribens, *Deus autem pacis conteret satanam sub pedibus vestris velociter.* Et [3]) rursum: « *quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, idest diabolum.* Rei igitur natura quae exigit, ut opus conterendi caput serpentis non alteri quam benedicto mulieris semini asseratur, eadem flagitat ut genus pronominis הוא masculinum existimetur. Ad haec quemadmodum satanas per seductam priorem mulierem primum hominem devicit, perque primum hominem devictum sibi suaeque tyrannidi universam posteritatem subiecit; ita cum ratione oppositionis consertum est, ut praeservata secunda muliere, per secundum Adamum restituatur universa posteritas et satanae tyrannis regnumque profligentur. Haec autem luculenta plane oppositionis ratio funditus deficeret, si pronomen הוא feminino genere acciperetur. Quae feminina acceptio eo insuper nomine refellitur, quod probari nequeat quin aliud neque minus conspicuum

1) I. Ioh. III. 8.
2) Rom. XVI. 20.
3) Hebr. II. 14. coll. v. 9.

Digitized by Google

oppositionis genus pessum eat. Et quo sane spectavit satanas, quum artes omnes eo direxit ut priorem virginem seduceret, seductamque sibi manciparet? Eo prorsus spectavit, ut per illam universum eiusdem semen perderet. Decuit igitur ut per semen alterius virginis tam ipse satanas quam profectum ex eo semen conculcaretur. At vero nisi legas *ipse*, nuspiam hoc divinitus expressum invenies. Tandem integra phrasis quae insignem exhibet sensum, si pronomen הוא ad semen et θεάνθρωπον referatur, vix aut ne vix quidem probabilem reddit, si ad mulierem revocetur. Ecquid enim, quaeso, illud significabit, futurum ut serpens mulieris calcaneo insidietur? Nescio an ulla interpretum sagacitas sensum repertura sit, qui commodus rite videatur. Omnia igitur praesidia *externa* et *interna* in id mirifice, ut Deus per Moysen de benedicto mulieris semine praenunciasse existimetur, *ipse conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.*

987. Sed nova continuo de *adhibitis verbis* quaestio oboritur, eaque duplex, quarum prior est *quaenam sit sincera textus tum lectio tum interpretatio:* posterior vero *quidnam de antiquis versionibus censeri debeat.* Ut autem de priore quaestionis capite initio dicam, auctor est [1]) Bernardus de Rubeis non deesse quidem codices numero perpaucos, qui sicuti in priori inciso [2]) habent ישפך *perflabit te*, non ישופך *conteret te*, ita in posteriori referunt השפנו *flabis eum*, non תשופנו *conteres eum;* nihilominus universalem constantemque lectionem esse ישופך et תשופנו ἀπὸ τοῦ שוף. Verum si certa est textus lectio, certa ne pariter est eiusdem interpretatio? Ut huic interrogationi opportune occurram, in memoriam [3]) revocabo, ha-

1) In app. ad lectt. variantes V.T. p. 211. T. IV.

2) Ibidem pag. 212. scribit de Rubeis: « Notatu dignissimum esse, R. Porchon in inedito suo Lexico tribuere verbo שוף significationem *observandi*, *explorandi*, quam servat apud Arabes, quamque huic ipsi loco (Gen. III. 15.) dant veteres nonnulli interpretes. Nam subdens exemplum Ps. CXXXIX. 11. אך־חשך ישופני, interpretatur per יראני, פ׳ יראני כמו שאפני אנוש, expositio est, *explorant me*, ut Ps. LVI. 2. *contemplatur me homo*. Ac primo illo psalmi loco ex vi arab. سرف melius sic verti animadvertit etiam Schulzius lex. hebr. T. II. p. 1430. Restituenda ergo a lexicographis verbo שוף explorandi ac contemplandi notio, quae in Kimchii libro radicum aliisque posterioribus lexicis eum sequutis prorsus evanuit. Hanc sane significationem sequuti sunt LXX., targum Onkelosi, targum Ionathanis, posteriori membro Vulgatus, et quotquot vertunt *insidiaberis* vel *insidiabitur*. »

3) Haec non uti certa et indubia, sed uti probabilia quaeque sese veritatis specie commendent, a nobis proponuntur. Neque mirum, quando dissidia virorum rei hebraicae peritissimorum, Schultensii, Michaelis, Rosenmülleri, Umbreit atque Gesenii, evidenter ostendant principem originalemque potestatem τοῦ שוף compertam satis non esse, neque adeo compertas satis esse derivatas mediatasque eiusdem significationes. Ad quas definiendas non admodum conducit locorum comparatio, quibus idem verbum frequentatur. Praeterquam enim quod pauci sunt in bibliis universis, omnesque revocantur ad Gen. III. 15, Ps. CXXXIX. 11. et Iob. IX. 17; adhuc sub iudice est quinam sensus singulis in locis praeferri debeat. Quare nobis nonnisi probabilia suppetebant quae in-

Digitized by Google

bita etymi ratione, idem esse שוף et נשף: utrumque autem verbum ad unum eumdemque stipitem pertinere ac verba שאב, נשב, נשף, et similia. Porro universae huic verborum familiae primo atque ex sese significatio subest *sufflandi et iracundi aut festinantis more anhelandi*. Hanc excipit *activa* significatio, qua idem notant ac *inhiare aliquid vel aliquem, illud vel illum captare, petere, observare, adoriri*, et de feris bestiisque adhibentur praedae insidiantibus, illamque invadentibus et occupantibus. Quare pro discrimine tam *subiecti agentis*, quam *obiecti quod patitur*, idem verbum שוף apte redditur nunc quidem *observare, insidiari, adoriri*, nunc vero *conterere, infringere, comminuere*. Quae si ad textum referantur de quo quaerimus, mirum si qui negent, illum commode verti: *et ipse petet atque conteret* [1]) *tibi caput, tu vero illius calcaneo insidias strues*.

988. Sed ita ne quoque priscis interpretibus visum est? Crederes quidem in diversa illos abiisse, sed re intimius perspecta, in unam eamdemque conspirasse mentem innotescit. Insignioribus namque versionibus [2]) mutuo comparatis deprehendimus Alexandrinos in utroque inciso usos esse verbo τηρεῖν [3]) *observare, insidiari:* Aquilam [4]) προστρίβειν *evertere, in suam potestatem redigere:* Symmachum θλίβειν *comprimere, affligere:* exemplar venetum [5]) πλήσσειν *conterere, contundere:* antiquam Italam *observare:* Vulgatam *conterere* et [6]) *insidiari:* syrum et samaritanum *percutere, ferire:* Saadiam, arabem mauritanum Erpenii et persicum Tawosi *frangere* atque *mordere:* targum hierosolymitanum et Pseudoionathanem *conterere:* Onkelosum vero *servare* et *recordari*. Quamquam igitur eiusmodi interpretationes verbo tenus dissideant, et quum aliae notionem *observandi* et *insidiandi* praeferant, aliae contra aut notionem *conterendi* et *confrigendi* repraesentent, aut *utramque* complectantur;

nueremus. Hieronymus in quaestionibus in Genesim, relata antiqua latina versione, *ipse servabit caput tuum, et tu servabis eius calcaneum*, e vestigio addit: « Melius habet in hebraeo, *ipse conteret caput tuum, et tu conteres eius calcaneum*. » Scilicet contulit hebraicum שוף cum chaldaicis שף, שפא et שפף *scabere, terere*, ac deinde *conterere* et *contundere*.

1) Cohaeret hoc loco verbum שוף cum duobus accusativis, quorum alter alterum definit accuratius. Cf. Gesenii gramm. hebr. §. 136.

2) De hisce versionibus videsis Roedigerum in Gesenii thesauro ad v. שוף.

3) Sincera namque Alexandrinorum lectio est, τηρήσει, τηρήσεις, *observabit, observabis, insidiabitur, insidiaberis:* nec lectio complutensis, τειρήσει, τειρήσεις, *conteret, conteres*, fide digna est: nec Grabii, Vossiique coniectura probanda, quorum prior vult τειρήσει, τειρήσεις, alter τρήσει, τρήσεις, *perfodiendi* sensu dictum.

4) Apud Matthaei *animadv. ad Origenis Hexapla in Repert. or.* T. IV. pag. 260.

5) Gr. venet. sic habet: ἐκεῖνο πλήξει σου κεφαλήν, σὺ δὲ πλήξεις αὐτοῦ πτέρναν.

6) Non quasi duo essent verba, sed unius eiusdemque verbi potestate ad subiecti rationem deflexa.

Digitized by Google

nihilominus et in genericam quamdam significationem conveniunt, et omnes comparatae sic sunt ut partem aliquam illius potestatis exprimant, quam hebraico שוף inditam esse praemonuimus.

989. Haec nobis suppetebant quae de sincera textus lectione, deque legitima eiusdem enarratione diceremus. At si res ita se habent, quid de illorum opinione iudicandum est, qui hac utuntur oraculi parte ut immaculatum Virginis conceptum *divina Scripturarum auctoritate* demonstrent? Iudicandum est, ea Scripturis verba tribui, quae [1]) nuspiam in illis habentur; neque enim Deus per Moysen de Virgine praenunciavit, *ipse conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*. Tum iudicandum est, eiusmodi probationum genere caussam immaculati conceptus non tam iuvari et communiri, quam in invidiam suspicionemque adduci. Pronum namque est ut probationum quae adhibentur defectus, ad ipsam quae defenditur caussam, inconsulto transferantur.

ARTICULUS IX.

De origine femininae lectionis ipsa: *propositae ab eruditis hypotheses paucis expenduntur: tum statuitur lectionem* ipsa *merito haberi non modo tamquam lectionem ecclesiasticam quae a seculo sexto ad nostram usque aetatem in Occidente praevaluerit, verum etiam tamquam lectionem virtute ac potestate biblicam: quid ex sese cum hac lectione consertum sit: quid ad stabiliendum immaculatum Virginis conceptum ex ipsa rite colligatur: quidve eodem pertinens ex maiorum commentariis sententiisque dimanet.*

990. Quum neque originalis textus, neque antiquiores insignioresque versiones sive ad textum ipsum expressae, sive ex alexandrina interpretatione deductae femininam lectionem *ipsa* praeseferant; sponte veluti sua cogitatio subit investigandi, unde tandem quove ex fonte eiusmodi lectio dimanarit. Neque sane desiderantur qui hac investigatione suscepta, de re tota erudite subtiliterque disseruerint. Et principio non defuerunt, qui femininam lectionem ex hebraico aliquo codice desumptam arbitrarentur. Sed hanc suspi-

1) Quod vitium acriter Hieronymus reprehendit, dum epist. LIII. al. CIII. n. 7. ad Paulinum illos insectatur. « Qui ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit et non vitiosissimum docendi genus depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. »

Digitized by Google

cionem inanem infirmamque dicit [1]) Bernardus de Rubeis, suumque confirmans iudicium scribit: « Etenim praeter hieronymianos codices qui certissime habent הוא, nulli alii in Vulgata adhibiti, nullus alius qui constet, hebraicorum codicum usus est factus. »

991. Refert [2]) Montfauconius ex Origenis Hexaplis hanc lectionem: « *Alius*, ipsa conteret caput tuum. » Tum in subiecta adnotatione pergit: « Ita mss. quidam, et haec videtur fuisse lectio veteris cuiusdam interpretis, cuius nomen tacetur, et quem sequitur vulgatus interpres. Hieronymus in quaestt. hebraicis *ipse* legendum esse confirmat; sed Augustinus et ceteri fere patres *ipsa* legunt, ut notatur in editione romana. » Quibus tamen ne admodum fidamus, efficit quod huius lectionis nullum penes graecos scriptores vestigium appareat, quodque ipsa non tam antiqua et ex fontibus hausta interpretatio, quam lectio privati scriptoris et ex latinis defluens rivis existimanda videatur.

992. Melchiori Cano [3]) et Dupinio [4]) visum est, lectionem femininam ex corruptela versionis hieronymianae, atque ex inscitia et describentium temeritate repeti oportere. En Cani verba: « Hieronymus in quaestt. hebraicis legendum ait, *ipse conteret caput tuum*, non *ipsa*. Cum enim apud hebraeos neutro genere ad semen referatur, interpres rem significatam perpendens, in masculino genere transtulit *ipse*. Quod imperiti non intelligentes, vitiumque scriptoris existimantes, substituerunt *ipsa*. » His tamen propterea non adquiescimus, quod lectio *ipsa* sit Hieronymo antiquior, et quod lectio *ipse* non Hieronymo ex hebraeo vertenti, sed veteri italo graecorum codicum interpreti tribui inprimis debeat. Putares felicius [5]) Richardum Simonium coniecisse, lectionem *ipsa* suas ex alexandrina interpretatione origines mutuari. Quum enim Alexandrini hebraicum זרע reddiderint nomine σπέρμα generis neutrius, et pronomen αὐτός generis masculini subiecerint; id latinis interpretibus difficultatem creavit, effecitque ut αὐτή *ipsa* legendum arbitrarentur. Verum neque generis permutatio, quae censeri [6]) insolens nequit, tantam gi-

1) App. cit. pag. 209.
2) Loco superius citato.
3) De locis theolog. lib. II. cap. XV.
4) Dissert. prélim. sur la Bible pag. 203.
5) Hist. crit. du V. T. lib. II. chap. XII. p. 257.
6) Quum exempla non sint rara, neque apud profanos, neque apud sacros scriptores. Huiusmodi est illud Terentii, *Ubi est scelus, qui me perdidit?* Et huiusmodi illud Christi apud Matthaeum cap. XXVIII. 19. πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτούς, non αὐτά. Videlicet Alexandrini κατὰ πόδα reddiderunt hebraicum contextum, eo constructionis genere quod dicunt πρὸς τὸ σημαινόμενον, non tam ad nomen ipsum σπέρμα, quam ad personam eo expressam, et κατὰ διάνοιαν significatam attenderunt.

gnere poterat difficultatem, neque latinos interpretes eo impellere ut potius αὐτή *ipsa* quam αὐτό *ipsum* legendum existimarent. Ildephonsus Schwarz [1]) Martianaeum sequutus lectionem femininam scribarum mendis accenset, tum de illius occasione ait: « Lectorem non celamus, scripsisse olim veteres pronomina et adverbia terminata in *e* per diphtongum *ae*, ut est illud, *ipsae dixit et facta sunt*, et *superbae loqueris, stultae egisti*. Ex hoc scribendi modo retineri facile potuit *ipsa* pro *ipse* vel *ipsae*. » Sed probabile admodum non est vel tantam scribarum ferme omnium fuisse orthographiae imperitiam, vel tantam auctorum qui codicibus utebantur, oscitantiam.

993. Reliqua est [2]) Bernardi de Rubeis opinio quam his verbis exponit: « Mihi sane non modo verosimile admodum est, sed et fere certum ex *ipse* factum *ipsa*. Vel enim lectio haec ex veteri itala est, vel ex hieronymiana. Ex utraque enim, ut omnes sciunt, mixta ac consarcinata est Vulgata. Vetus itala seu primigenia, puriora et antiquiora eius exemplaria legebant procul dubio *ipse* non *ipsa*, ut ex Augustini operibus ac testimoniis edidit Sabatierius. Erat illa ex versione LXX., iisque conformis, et quidem iuxta eumdem Augustinum *verborum tenacior*. LXX. autem constantissime in omnibus codicibus habent *ipse*, nec inter naevos quos in antiqua itala reprehendit Hieronymus, hic numeratur. Latini patres Augustino antiquiores, qui itala utebantur, legunt *ipse;* varietas lectionis in patribus illud unum, ut docet idem Sabatier, ostendit varios ac discrepantes unius eiusdemque interpretationis codices eos habuisse. Alii ergo codices habebant *ipse*, alii *ipsa*. Iamvero discrepantibus codicibus, ex patribus patet eam veriorem veteris italae lectionem habendam, quae suo fonti est conformior, non eam quae longissime discrepat: eam quae a primis et antiquioribus patribus, non eam quae a posterioribus exhibetur. Si porro ex hieronymiana est, Hieronymus legebat *ipse*. Ac facile ego equidem crederem ex eius versione esse ob verbum *conteret* quod sequitur, pro quo itala videtur legisse *observabit*, nisi aliter statuere nos cogeret Augustini auctoritas. Itaque uterque Vulgatae fons evincit primigeniam ac veriorem huius loci lectionem fuisse *ipse*. Quid autem facilius aut verosimilius, quam ex *ipse* vel *ipsae* sive fortuito sive ex librarii inscitia et audacia ge-

1) In notis ad librum Geddes *de vulgarium sacrae Scripturae vitiis eorumque remediis*, p. 140.

2) L. c. pag 210.

Digitized by Google

neris anomaliam emendantis primum fieri *ipsa,* quod deinde plerosque codices pervaserit? Quid, inquam, facilius aut verosimilius in iis librariis, qui teste Hieronymo, *scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt, et dum alienos errores emendare nituntur, ipsi ostendunt suos?* » Sed quamquam ego ultro fatear quod de primigenia lectione utriusque interpretationis sive italae sive hieronymianae vir doctus contendit: et quamquam iis ultro calculum adiiciam, quae mox [1]) scite prudenterque subiungit: iis tamen obsequi nullatenus possum quae de Sabatierio deque librariis affirmat. Obsequi iis non possum quae de Sabatierio affirmat: hic enim, ut cuivis licet [2]) propriis oculis usurpare, non aliam lectionem tamquam Italae propriam sistit nisi femininam *ipsa,* et hanc unam lectionem veluti Italae propriam Augustini [3]) testimoniis confirmat. Neque iis obsequi possum quae de librariis inculcat: quamquam enim illorum inscitiae atque temeritati non minimum tribuendum putem; nihilominus neque omnino nihil tribuendum iudico sive librariorum correctoribus sive patribus doctoribusque ecclesiasticis quibus cordi semper fuit ne Scripturae illarumque exemplaria a nativa sinceritate deficerent.

1) L. c. pagg. 210-211. « Sed fingamus vel demus etiam, si placet, femininam illam Augustini veram antiquae Italae, vel primi, quicumque tandem is fuerit, interpretis lectionem fuisse. Si impedita est quaestio, et dubium hinc oritur, quaenam ex duabus lectionibus sit anteponenda et divina, num *ipsa*, quae est latini illius interpretis ac latinorum librorum, an *ipse*, quod legunt hebraici, graeci, syri in ecclesia et ipsi divini et authentici, ex Augustino ipso, unde omnis fere dubitatio evenit, habes iam modum quo te expedias ac rem dirimas. *Latini codices veteris testamenti*, inquit is de doctr. christ. lib. II. cap. XV., *si necesse fuerit, graecorum auctoritate emendandi sunt, et eorum potissimum, qui cum LXX. essent, ore uno interpretati esse perhibentur.* Et de civ. Dei lib. XV. cap. XIII. *quum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, ei linguae potius credatur, unde est per interpretes facta translatio.* Habes ex Hieronymo praefat. ad IV. evangelia: *si veritas est quaerenda de pluribus* (latinis exemplaribus), *cur non ad graecam originem revertentes ea, quae vel a vitiosis interpretibus male reddita, vel a praesumptoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus aut addita sunt aut mutata, corrigimus?* Habes iterum ex Hieronymo, constantique ac prudentissima ecclesiae praxi a sixtinis clementinisque ipsis correctoribus in Vulgatae emendatione servata, *veterum librorum fidem de hebraeis voluminibus esse examinandam.* Habes demum ex hieronymiana ipsa versione sapienti Ecclesiae consilio veteri anteposita, *quae ex hebraeo fonte cuncta verius transfudit*, ut inquit sanctus Gregorius, vel ut Isidorus, *quae est in sententiis veracior.* Cuiuscumque ergo sit sive interpretis, sive quod verosimilius, amanuensis hodierna Vulgatae lectio, ea ex hebraeis graecisque fontibus emendanda est, referendaque ut olim retulimus *de praecipuis caussis negl. heb. litt. pag.* 94., ad ea clementinae editionis loca, quae adhuc ad hebraeum textum exigi atque Ecclesiae auctoritate emendari possunt et debent. Nec enim necesse est monere, quod disertissime Bellarminus unus ex correctoribus monet tum in epist. ad Lucam brugensem, tum in praefat. ad Biblia clementina, Vulgatam non fuisse in omnibus accuratissime castigatam, pluraque relicta intacta quae videbantur mutanda, potissimum ob maximam codicum auctoritatem, qualis exstat in hoc loco. »

2) Biblior. sacr. latinae vers. antiqua ad Gen. III. 15. pag. 19. T. I. ubi ex August. lib. XI. de Genesi ad litt. T. III. P. I. col. 275. C. et inf. col. 292. seq. hanc exhibet lectionem versionis antiquae: *et inimicitias ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et semen eius: ipsa tibi servabit caput, et tu servabis eius calcaneum.* Quam femininam lectionem in subiecta adnotatione confirmat ex eiusdem Augustini lib. II. de Gen. con. manichaeos T. I. col. 665. A.

3) Cf. quae modo diximus.

Digitized by Google

994. Quare in eam facile opinionem descenderem, non unam alteramve sed omnino plures ac varias fuisse caussas, quibus effectum est ut lectio feminina in Occidente tandem praevaluerit. Inter quas caussas quemadmodum illis locum permitto, quarum de Rubeis aliique viri eruditi meminerunt; ita eisdem addo tum argumenta hermeneutica quae superius deprompsi [1]), tum insitam [2]) omnium animis persuasionem, praeclare in Virginem cadere, ipsique egregie convenire quae hac altera oraculi parte significantur. Ceterum quaecumque tandem de origine femininae lectionis opinio praehabeatur, nobis et caussae quam versamus perinde est, dummodo fixa rataque maneant quae de lectione in se atque absolute considerata subiungimus.

995. Principio itaque pono, *lectionem femininam ipsa antiquiorem esse versione, quam Hieronymus ad hebraicum fontem expressit.* Sane feminina lectione utitur Ambrosius [3]) inquiens: « Sed ut revertamur ad propositum, quod malitiam Deus reprimendam [4]) interim, quam abolendam putaverit, ait [5]) ad serpentem: *et inimicitias ponam inter te et inter mulierem, et semen tuum et semen mulieris. Ipsa tibi observabit caput, et tu illius calcaneum.* » Utitur semel iterumque [6]) Augustinus, quo refellitur [7]) Costerus scribens: « Lectio haec, *ipsa conteret,* nondum inventa fuit Augustini tempore. » Utitur [8]) Prudentius qui canit:

» Auctor et ipse doli coluber » Plectitur improbus, ut mulier
» Colla trilinguia calce terat.

1) nn. 932. sqq.

2) Ad quam persuasionem significandam ista pertinent Patri Martinez, qui enarrans Iudae epistolam de lectione, *ipsa conteret caput tuum*, scribit pagg. 93-94: « Si pronomen legatur masculine, *ipse*, ad Christum refertur qui semen Virginis est; si legatur feminine, *ipsa*, Virginem respicit, et utrumque verum est. Nam et Virginis filius caput serpentis contrivit, et Virgo quae illum peperit et vere genuit, subinde etiam contrivit. Certe si lapis a monte conscissus aliquem conteret, et mons ipse vere diceretur etiam conterere. At Christus lapis est iuxta Danielem *de monte abscissus sine manibus*, Virgo autem et eius virginalis uterus mons est, in quo ope et afflatu Spiritus sancti Filius Dei conceptus est. Ergo utraque lectio admitti potest, et neutra est respuenda, utpote quae veritatem fidei contineat, *et ipse conteret*, exemplaribus hebraeis, graecis et chaldaeis saltem significatione consonat, et antiquorum patrum usu recepta fuit, ut videre est apud Cyprianum et divum Hieronymum. Nec respuenda est lectio feminina, *ipsa conteret caput tuum*, quam non fortuito neque ignorantia scriptorum, sed divini Spiritus providentia introductam in usum fidelium arbitror, ut Virginis sacratissimae innocentia, excellentia et puritas manifestetur atque celebretur. Inter quas lectiones viguit, *ipse conteret*, ante Christi adventum, quoniam Christum venturum respiciebat; postea vero legimus, *ipsa conteret*, ratione praedicta, ut ad Virginem intendamus quae comminuit etiam testam serpentis. »

3) De fuga seculi cap. VII. n. 43. pag. 434. E.

4) Supplenda est ellipsis particulae *magis* vel *potius*.

5) Gen. III. 15.

6) De Genesi con. manich. lib. II. pag. 665. A, et de Genesi ad literam lib. XI. pagg. 275-292. *et inimicitias ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et semen eius: ipsa tibi servabit caput, et tu servabis eius calcaneum.* Vel, *ipsa tuum observabit caput, et tu eius calcaneum.*

7) Op. cit. cap. V.

8) Cathemerinon III. v. 126-129. pag. 267.

Digitized by Google

Et [1]) rursum:

» Hoc odium vetus illud erat, » Digladiabile discidium,
» Hoc erat aspidis atque hominis » Quod modo cernua femineis
» Vipera proteritur pedibus.

Utitur [2]) Alcimus Avitus qui Deo in serpentem animadvertenti haec verba tribuit:

» Praecipue infelix mulier cum prole futura,
» Sic inimicitias odio currente reponat,
» Semina seminibus mandent ut vota nocendi
» Insistens semper pavidae sectabere calcem:
» Conterat illa caput, victoremque ultima vincat.

Utitur et [3]) Claudius Marius Victor, quem [4]) Sidonius appellat virum egregium et undequaque doctissimum, quique priore libro carminum sive commentariorum in Genesim ita Deum contra satanam loquentem inducit:

» Et quia te dignae placuit tibi primus ut esses
» Inventor mortis, poena moriere perenni,
» Humanique odium generis specialiter in te
» Ac genus omne tuum bello experiere potenti.
» Perpetuumque tui, mors ut tibi longa, timorem
» Esse dabo: pedibus repes et pectore prono:
» Teque tuo mulier perimet cum semine cuius
» Callidus extremis tantum insidiabere plantis,
» Ut trepidans etiam capiti vestigia figat.

Horum autem nemo est, qui versionem non adhibuerit hieronymiana antiquiorem. Fuit igitur cur femininam lectionem hieronymi interpretatione vetustiorem diceremus.

996. Quibus praestitutis continuo addimus, *lectioni femininae nullum fuisse locum in ea versione quam Hieronymus ad hebraicum textum exegit*. Sane versio hieronymiana pura, quam post Maurinorum curas, Vallarsius et Maffeius in bibliotheca divina ediderunt, sic [5]) habet: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipse [6]) conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. » Eamdem masculinam lectionem exhibet

1) Ibid. vv. 146-151. pag. 269.
2) De mosaicae historiae gestis, poem. lib. III. vv. 132-137. apud Gallandium T. X.
3) Comm. in Genesim lib. I. pag. 419. col. 1. C-D in max. pp. biblioth. T. VIII.
4) Epistt. lib. V. epist. ultima.
5) Liber Genes. pag. 28. A. opp. T. IX.
6) Unus Palatinus cum vulgata editione refert *ipsa*.

Hieronymus [1]) quum de verbis Scripturae, *aedificavi turrem et maceria circumdedi,* ait: « Quam qui destruxit, iuxta Ecclesiastem, mordebit eum coluber. Quae ideo circumdata est, ut omnium bestiarum in vineam Dei prohibeatur accessus. Iste est autem coluber tortuosus qui decepit Evam in paradiso, quae quia Dei praecepta destruxerat, propterea morsibus eius patuit, et audivit [2]) a Domino *tu observabis caput eius, et ille observabit tibi calcaneum.* » Eidem insistit quum memorata [3]) *aqua remissionis ad talos usque pertingente,* subdit: « Quod intelligere possumus prima hominum significare peccata, quae ingredientibus nobis aquas Domini dimittuntur, et baptismi ostendunt gratiam salutarem, et initia sunt profectuum, tamen ipsa sublimia. Denique ad talos usque pertingunt, qui plantae calcaneoque vicini sunt, qui [4]) patet morsibus colubri, dicente [5]) Domino: *tu eius observabis caput, et ipse observabit tuum calcaneum.* » Neque ab ea discedit [6]) scribens: « *Ipse servabit caput tuum, et tu servabis eius calcaneum.* Melius habet in hebraeo: *ipse conteret caput tuum, et tu conteres eius calcaneum:* quia et nostri gressus praepediuntur a colubro, et Dominus conteret satanam sub pedibus nostris velociter. » Fallerentur ergo qui crederent, lectionem femininam ab Hieronymo fuisse receptam, aut eiusdem suffragio confirmari. Ceterum *ab aetate Hieronymi ad elapsum usque seculum quintum utraque lectio masculina et feminina penes latinos auctores obtinuit.* Testes enim masculinae lectionis, iidemque nobilissimi praeter Hieronymum haberi debent [7]) latinus Irenaei interpres, Leo magnus [8]), Petrus chrysologus [9]) et [10]) Eucherius. Testes autem, neque minus locupletes femininae lectionis sunt Ambrosius, Augustinus, Prudentius, Claudius Marius Victor et Alcimus Avitus. Eo igitur quod innuimus temporis intervallo neutri

1) Comm. in Is. lib. XVI. cap. LVIII. pag. 898. D. opp. T. IV.

2) Gen. III. 15. Ubi licet manifesta sit textus inversio, liquet tamen non etiam quam masculinam lectionem *ille* adhiberi.

3) Comm. in Ezech. lib. XIV. cap. XLVII. pag. 588. D. opp. T. V.

4) Victorius *quod*, ut ad calcaneum referat.

5) Gen. III. 15.

6) Quaestt. hebraic. in Genes. III. 15. pag. 309. D. opp. T. III.

7) Con. haeres. lib. IV. cap. XL. et lib. V. cap. XXI.

8) Serm. XXII. al. XXI. idemque II. in nativit. Domini cap. I. pag. 67. « Deus enim omnipotens et clemens, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suae mortificavit invidiae, praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praesignavit; denuntiane serpenti *(Gen. III. 15.)* futurum semen mulieris quod noxii capitis elationem sua virtute contereret; Christum scilicet in carne venturum, Deum hominemque significans, qui natus ex Virgine violatorem humanae propaginis incorrupta nativitate damnaret. »

9) In max. pp. biblioth. T. VII. pag. 976. H.

10) Ibid. T. VI. pag. 834. H.

Digitized by Google

lectioni masculinae et femininae sui defuerunt asseclae suique assertores. *Nihilominus a seculo sexto atque deinceps feminina lectio eo usque in Occidente praevaluit, ut universalis et communis non immerito censeatur.* Hanc enim lectionem continent codices plerique omnes vulgatae interpretationis: hanc libri ecclesiastici [1]) passim repraesentant: atque hanc unanimes usurpant [2]) Gregorius magnus, Isidorus [3]) hispalensis, Primasius [4]), Remigius antissiodorensis [5]), Ansbertus [6]), Agobardus [7]), Fulbertus carnotensis [8]), Humbertus [9]), Bruno [10]), Odo cluniacensis [11]), Hermannus [12]) tornacensis, Bernardus [13]), uterque Petrus blesensis [14]) et [15]) cellensis, et ne singulos memorem, [16]) Anselmus. Nihil igitur deest femininae lectioni, quominus a seculo sexto atque deinceps universali consensione recepta existimetur.

997. *Neque rem propterea acu tangerent, qui hoc ipso seculorum intervallo masculinam lectionem in Occidente penitus obliteratam iudicarent.* Huius namque lectionis adhuc reliquae argumentum sunt nonnulli Vulgatae [17]) codices quum ab aliis tum [18]) a Lindano memorati: argumentum praebent adnotationes marginibus inscriptae ante sixtinam clementinamque editionem: argumentum sunt quae de utraque lectione in correctorio sorbonico monentur: et argumentum sunt scriptores aliquot ecclesiastici qui utrique lectioni indiscriminatim suffragantur. Horum autem numero accenseri non solum debet auctor anonymus undecimi vel duodecimi seculi [19]) Martenio editus; verum etiam auctor haud paullo antiquior [20]) Remi-

1) Speciminis gratia confer *sequentiam* Hermanni Contracti in omnibus Virginis festivitatibus celebratam, et T. II. Thesauri hymnolog. pagg. 32-33. descriptam. Confer etiam insequentem quam subdimus orationem ex Missali mozarabico pag. 374. T. II. « Beata Domina mater et perpetua virgo Maria priusquam nasceretur, oraculis ennunciata est et designata miraculis. Nata vero progenies divinitus ordinata; privilegio virtutum insignis enituit, Salvatorem edidit, a quo glorificata in caelo numquam terrigenis patrocinari desistit. Propositionem sequatur ordine suo narratio, iamque referamus unum de praetaxatis oraculis, ac inde paucis expediamur. Dixit aeternus ad veterem, Deus ad serpentem: *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum.* »

2) In Iob lib. II. pag. 36. B.

3) Quaest. in Genes. cap. V. n. 7. p. 276. opp. T. V.

4) In max. pp. biblioth. T. X. pag. 292. A.

5) Ibid. T. XVI. pagg. 1134. G. et 1231. F.

6) Ibid. T. XIII. pag. 438. E.

7) Ibid. T. XIV. pag. 247. D.

8) Ibid. T. XVIII. pag. 38. B.

9) Ibid. T. XXV. pagg. 689. G. et 724. A.

10) Ibid. T. XX. pag. 1315. D.

11) Ibid. T. XVII. pag. 275. H.

12) De incarnat. Domini cap. IX. pag. 391. apud Gallandium T. XIV.

13) Opp. vol. I. pagg. 744. C. et 1013. E.

14) In max. pp. biblioth. T. XXIV. p. 1398. A.

15) Ibid. T. XXIII. pag. 905. D. Consonat Goffridus vindocinensis T. XXI. pag. 72. G.

16) Opp. pag. 107. D.

17) Cf. Stephani biblia parisiensia edit. an. MDXL. et MDXLVI., et Lucae brugensis notationes.

18) De opt. genere interpret. lib. III. pag. 127.

19) In novo thesauro anecdotorum, T. V. pagg. 1516-1566.

20) In max. pp. biblioth. T. XVI. pagg. 1373. C, 1134. G, et 1231. F.

Digitized by Google

gius antissiodorensis, qui quum seculo nono claruerit, utramque lectionem refert et commentariis explanat. Lectio igitur feminina ab aetate Gregorii ad Sixtum usque et Clementem non sic invaluit, ut lectio masculina penitus exciderit.

998. *Nihil tamen verius quam femininam lectionem esse ac merito dici ecclesiasticam Occidentis lectionem.* Eiusmodi namque censeri debet lectio, quae tum privatim tum publice diuturno annorum spatio recepta in Occidente fuerit, et unanimi prope consensione frequentata. Huc autem redit quod de feminina lectione certissime novimus. Indubitata enim monimenta testantur, decem continenter seculis femininam lectionem eo usque in Occidente viguisse, ut alia ac diversa vix aut ne vix quidem agnosceretur. Ea est igitur feminina lectio, ut illi dos ac proprietas ecclesiasticae occidentalis lectionis [1]) nulla detrahi ratione possit. *Iamvero ecclesiastica Scripturae lectio totius Occidentis suffragatione firmata eum praeferre sensum nequit, qui vel cum errore coniunctus sit, vel cum veritate non omnino consentiat.* Sane ecclesiastica Scripturae lectio quae totius Occidentis suffragium promeruerit, quemadmodum occidentalis ecclesiae mentem fidemque repraesentat, ita normam complectitur ad quam fideles omnes possint ac debeant suam mentem suamque fidem exigere. Fieri autem nullatenus potest, sive ut mens ac fides totius Occidentis cum errore cohaereat, sive ut norma cogitandi atque credendi occidentalibus fidelibus proposita non omnino cum veritate conspiret. Ad ecclesiam namque Occidentis haec inprimis spectant quae Tertullianus [2]) scribit: « Si Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Statu felix ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni dominicae adaequatur: ubi Paulus Iohannis exitu coronatur: ubi apostolus Iohannes posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum africanis quoque ecclesiis contesserarit. » Lectio igitur Scripturae usu iudicioque to-

1) Cui assuetus lectioni vetus Flavii Iosephi interpres, qui creditur Epiphanius scholasticus, verba textus (Antiquitt. lib. I. cap. I. n. 4. pag. 8.), κατὰ τῆς κεφαλῆς φέρειν τὰς πληγάς, reddidit, *ut mulier eius capiti plagas inferret.* Qua interpretatione animati colonienses operum Iosephi editores, haec margini inscripserunt: *attendant ista nostri temporis hebraizantes, ut videant an non et Iosephus legerit* ipsa, *non* ipse *aut* ipsum. Nimirum, regerit Havercampus: « Ut dederim ita scripsisse veterem interpretem, qui ut sequentia docent, Iosephi mentem assequutus, non fuit, num ex Iosephi verbis id potuit elicere? Nulla apud Iosephum est mentio mulieris, nec ullum hactenus codicem Iosephi conspectum memini, in quo hoc loco mulier commemoraretur. »

2) Praescriptt. cap. XXXVI.

tius occidentalis Ecclesiae recepta neque iungi cum errore potest, neque a veritate dissidere. Atqui talis est feminina lectio, *et ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*. Statum igitur manere debet, nec ullum huic femininae lectioni errorem subesse, nec ea quidquam efferri quod non sit omnino verissimum. Quare sicuti citra omnem errorem de Virgine profitemur, *et ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius;* ita ad veritatis amussim loquimur et credimus, quum eiusdem laudes celebrantes dicimus, *ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*. Quod nescio an non etiam futurum sit evidentius, *si haec ipsa feminina lectio virtute et potestate biblica ostendatur*. Ostenditur autem perspicue, neque uno ex capite. Ea namque lectio iure censetur δυνάμει et potestate biblica, quae nihil praefert nihilque complectitur, quod ipsis Scripturis verissime non contineatur. Quod autem praefert lectio feminina, cum ipsis Scripturis tam arcte cohaeret, ut ab iis quae ῥητῶς totidemque verbis dicuntur, seiungi nullatenus queat. Sane eo pertinet feminina lectio, ut mulieris cum serpente inimicitia eidem serpenti lethifera praenuncietur: *ipsa conteret caput tuum*. Quis vero hoc aut neget, aut etiam merito in disceptationem adducat? Profecto simili inimicitiarum genere mulier eiusque semen a serpente atque huius semine *totidem verbis* dirimuntur. Semen porro mulieris a serpente atque huius semine tali inimicitia dividitur, quae quum foedus quodvis excludat, perniciem quoque exitiumque serpentis complectitur. Similis igitur, atque adeo serpenti lethifera, existimari inimicitia debet, qua promissa divinitus mulier ipsum prosequetur. Rursum si Scripturae verba tenemus, *nihil omnino medii* inter haec duo exsistit: aut quod serpens cum suo semine contra mulierem eiusque semen praevaleat: aut quod mulier cum suo semine serpentem atque huius semen vincat, victumque conculcet. Sed illud ab edito oraculo eiusque verbis vehementissime abhorret. Restat igitur ut ea censeatur praedicta mulieris cum serpente inimicitia, e qua huius ruina et contritio dimanent. Tandem sicuti Bibliorum verbis non aliud proponitur duellum, quam quod *inter duo paria* exerceatur; ita non alia describitur victoria, nisi quam *unum par de altero* referat. Est autem cum rerum naturis, vulgatoque loquendi usu apprime consonum, ut effectus qui duabus coniunctis caussis *licet subordinatis* debetur, modo uni, modo alteri, *ea qua par est proportione,* vindicetur. Potuit ergo relatus

Digitized by Google

de serpente triumphus benedictae inter mulieres asseri: et potuit ex Bibliorum sententia dici, *ipsa conteret caput tuum.* Ipsa sed non sola, ipsa sed non ut princeps caussa, ipsa tamen verissime, quamquam cum suo semine, perque suum semen. Quam sententiam Bibliis *inhaerentem,* et in omnibus christianis monimentis frequentatam, latini patres scriptoresque, *adhibita feminina lectione,* plenissimo in lumine collocarunt.

999. Age iam, paullo exquiramus diligentius quid cum his ad caussam pertinens immaculati conceptus devinciatur. Profecto [1]) phrasis, *ipsa conteret caput tuum,* plenissimum exprimit triumphum; quo futurum erat ut secunda mulier atque altera Eva satanam vinceret, eiusque robur profligaret. Sed videri ne posset aut triumphus de satana plenissimus, aut eversum per alteram Evam illius regnum, si quum ipsa primum extitit, in satanae ditionem venerit et eiusdem fuerit tyrannidi mancipata? Nemo sane ista conciliet, vel in unum componat. Quum igitur altera Eva et secunda Virgo primum exstitit, neque satanae obnoxia fuit, neque in eius ditionem potestatemque cessit. Obnoxia autem illi fuisset, atque in eius ditionem potestatemque cessisset, si non antea in lucem prodiit quam originis labem contraheret. Phrasis igitur, *ipsa conteret caput tuum,* eiusmodi est quae in se spectata Virginem ab originali culpa immunem solutamque demonstrat.

1000. Quod maiori etiam perspicuitate efficitur, si ratio habeatur non minus *subiecti agentis, obiecti patientis et mutuae inter utrumque relationis, quam rethoricae imaginis qua haec mutua relatio depingitur.* Et re sane vera *subiectum agens* est secunda mulier satanae infensissima: *obiectum patiens* est satanas non dissimili odio in secundam mulierem exaestuans: *mutua* autem *relatio* exprimitur *conterendi* verbo, quo victoria secundae mulieris et extrema satanae pernicies adumbratur, eaque imagine adumbratur, qua satanas spectandus obiicitur tamquam draco [2]) qui quum erecto capite mulierem invadat ut illam suo veneno inficiat, infectamque debellet, non modo strenue repellitur, verum etiam contrito capite

1) Quum ראש, κεφαλή proprie sit *caput,* frequenter tamen adhibetur, ut id quod in re quavis praestantissimum est, exprimatur. Atque ita Ex. XXX. 23. *aromata capitis* sunt aromata excellentissima; et Ps. CXXXVII.6. *caput laetitiae meae* tantumdem valet ac summa laetitia mea. Quare incisum, *ipsa conteret caput tuum,* hunc fundit sensum: *ipsa perdet ac pessumdabit robur tuum, tuum imperium, tuamque tyrannidem.*

2) Arabicum شوف, cui respondet hebraicum שוף, in octava coniugatione notat *elato prolatoque capite spectavit,* atque adeo *invasit.*

penitus profligatur. Atqui horum nihil sibi constaret, si status conceptae Virginis haud alius ab eo fuisset, qui universam Adami progeniem comitatur. Tum enim tartareus draco neque frustra caput in Virginem erexisset, neque frustra suum in eam virus effudisset; sed illam aeque ac primam mulierem violasset, sibique servitio omnium miserrimo subiecisset. Ne igitur omnia sus deque vertantur, et ne secus iudicetur ac obiecta oculis imago postulet; opus omnino est ut Virginem originalis nesciam labis profiteamur.

1001. Praesertim quum *nexus huius sententiae cum praecedentibus* idipsum aperte exposcat. Hac enim sententia, *ipsa conteret caput tuum*, divinitus praenunciatur quinam tandem futurus esset exitus *illius inimicitiae*, quam ipsemet Deus serpentem inter alteramque mulierem constituerat. Praenunciatur vero non modo futurum, ut nullo umquam amicitiae foedere altera mulier cum serpente iungeretur, sed contra ut haec ipsum serpentis robur infringeret, regnum dissiparet, iugum dissolveret et veneficum caput comminueret. Si ergo ratio inimicitiae inter secundam mulierem et serpentem non sinit, ut illa draconis semen atque ex eo per peccatum edita censeatur; multo sane minus id ferent quae de capite draconis per mulierem conterendo subiiciuntur. Quod liquidius etiam innotescet si animo recolatur, cuiusmodi fuerit poena qua Deus satanam mulctavit, quaque effecit ut amicitiae ab eo initae cum prima muliere inimicitia cum secunda muliere responderet, et ruinae in quam prima mulier offendit, supremum eius excidium opponeretur. Hac enim poenae ratione considerata, pronum est inferendo deducere, quod sicuti prima mulier omnium prima in ruinam decidit, et per ipsam universa posteritas peccatum mortemque contraxit; ita secunda mulier omnium prima immunis esse debuit a ruina, et per ipsam universa posteritas erigi et ad iustitiam vitamque revocari.

1002. Sane splendidior est quam ut tenebris infuscari possit *parallela oppositio*, qua ordines praevaricationis et reparationis se mutuo excipiunt. Quemadmodum igitur praevaricatio ex seducta muliere, relataque de ea victoria initium duxit; ita necesse fuit ut reparatio ex altera muliere seductionis inscia et serpentis victrice inchoaretur. At neque seductionis inscia, neque serpentis victrix secunda mulier fuisset, si hanc serpens originalis veneni tabe maculasset. Is ergo qui est diciturque homicida ab initio, consequi

Digitized by Google

nullatenus potuit ut secundam quoque mulierem suo viru deturparet. Neque vero consequi poterat, quin praefinitus victoriae modus subverteretur. Triumphavit namque satanas de hominum genere, sed hac arte triumphavit, ut Evam omnium primam peccato vitiaret, perque eam in Adamum, et per hunc in universos homines peccatum transfunderet. Ne igitur praefinitus victoriae modus deficeret, et consilium pietatis calliditate odii superaretur, necesse fuit ut peccatum a secunda muliere longissime repulsum, idem per secundum Adamum in universa posteritate aboleretur. Quo sane pacto *proprius secundae mulieris character* innotescit, *eius munus* splendet, ac plane intelligitur I. *secundam Evam haud secus mediam esse inter reparatorem Deum humanumque genus restitutum, ac prior Eva media fuerit inter corruptorem satanam idemque genus labefactatum:* haud secus II. *secundam Evam instrumentum esse per quod Deus lapsam humanitatem erexit, ac prior Eva instrumentum fuerit quo satanas abusus humanitatem deiecit:* et haud secus III. *per secundam Evam conteri serpentis caput, regnumque peccati et mortis profligari, quatenus ipsa et in se numquam peccati virus admisit, et per secundum Adamum promerita est ut infecta posteritas sanaretur; ac per priorem Evam satanas caput extulit, regnumque peccati et mortis stabilivit, quatenus ipsa et in se peccati luem recepit, et per primum Adamum in universum genus refudit. Numquam igitur secunda Eva, eademque Virgo beatissima draconis virus ebibit, numquam ad illius semen spectavit, numquam illius iugum sustinuit, numquam culpae mortem experta est; sed tota semper pulcra fuit et immaculata, semper ceu mulier fortis illius conatus retudit, dignaque habita est quae gentibus omnibus per conceptum semen benedictionem conciliaret, regnumque satanae, peccati atque mortis radicitus convelleret.*

1003. Quibus eo pleniorem fidem adhibemus, firmioremque assensionem adiungimus, quo evidentius novimus pleraque omnia maiorum auctoritate communiri. Ut iis enim primum utamur, quae superiori articulo retulimus, quonam, quaeso, pertinent luculentissimae sententiae Iohannis damasceni, Fulberti carnotensis, Bernardi, Petri cellensis, Ruperti tuitiensis, Amedei lausannensis, Anonymi marteniani, Isidori thessalonicensis, graeci Triodii et gothici Missalis, quibus nunc Maria celebratur *tamquam praedo daemonum, ruina satanae, diabolo terribilis et apostaticis virtutibus formidabi-*

lis, nunc vero illi tamquam privum et singulare asseritur *quod praevaluerit contra serpentem, quod ad nihilum omnem maligni suggestionem deduxerit, quod illius caput contriverit, quodque per Filium inimicitiarum vindictam exercuerit, et vindicata primae matris iniuria de dracone triumpharit?* Eo nimirum pertineut, ut neminem lateat I. verba Scripturae, *et ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius,* ex maiorum mente atque doctrina ad Virginem scite referri: ea autem II. significatione referri, ut iis non perpetua modo Virginis inimicitia cum satana, verum etiam partus de illo triumphus, isque numeris omnibus expletus demonstretur.

1004. Cui demonstrationi roborandae atque perficiendae alia sane multa et ex aequo perspicua maiorum suffragia conducunt. Atque principio conducunt [a]) Ephraemi verba quibus Deiparam propriis notis designans ait: « Salve paradisus deliciarum, salve lignum vitae, salve revocatio Adami, salve pretium redemptionis Evae, salve pura quae [1]) draconis nequissimi caput contrivisti et in abyssum proiecisti vinculis constrictum, salve maledictionis solutio, per quam laetitia mundo apparuit, o immaculatissima Virgo, per tuum partum. » Conducunt verba [b]) Pseudo-Chrysostomi quibus Deiparam extollit inquiens: « Ave et calca serpentis caput. *Ave gratia* [2]) *plena*. Cessat maledictio, aufertur corruptio, tristia emarcuerunt, laeta florent, adest bonum a prophetis olim praedicatum. » Conducunt verba Pseudo-Origenis, qui [3]) ad Isaiae oraculum respiciens ait: « Ecce Virgo in utero accipiet. Audite quod Virgo in utero accipiet non ex desiderio partum concipiens, quae neque persuasione serpentis decepta est, neque eius afflatibus venenosis infecta. Virgo in utero accipiet, ut Deus dignanter incarnatum ad mundi

a) Orat. ad Deiparam pag. 547. E-F. opp. graec. lat. T. III. Χαῖρε παράδεισε τρυφῆς, χαῖρε ζωῆς τὸ ξύλον, χαῖρε ἀνάκλησις Ἀδὰμ, τῆς Εὔας χαῖρε λύτρον· χαῖρε ἁγνὴ, ἡ δράκοντος τοῦ ἀρχεκάκου κάραν συνθλάσασα, καὶ εἰς ἄβυσσον ῥίψασα πεπεδημένον· χαῖρε ἀρᾶς ἡ λύτρωσις, δι' ἧς χαρὰ τῷ κόσμῳ ἐδείχθης, παναμώμητε τῷ σῷ παρθένε τόκῳ.

b) Hom. in Deiparae annunliat. pag. 839. E. opp. T. XI. Χαῖρε καὶ καταπάτει τὴν τοῦ ὄφεως κεφαλήν· χαῖρε κεχαριτωμένη· πέπαυται γὰρ ἡ κατάρα, κατήργηται ἡ φθορὰ, μεμάρανται τὰ στυγνὰ, ἀνθεῖ τὰ φαιδρὰ, πάρεστι τὸ πάλαι παρὰ τῶν προφητῶν κηρυττόμενον ἀγαθόν.

1) Haec ad femininam lectionem αὐτὴ, ipsa non obscure alludunt.

2) Luc. 1, 28.

3) Hom. 1. ex decem in diversos Matthaei et Iohannis locos, pag. 375. col. 2. A-C.

pariat salutem, ad colligandum fortem armatum, ad conculcandum serpentis impii caput, ad conterendas vires eius. Pariet filium ad denuo reparandum Adamum, ad inobedientiam Evae per Mariae obedientiam excludendam, ad erigendum iacentium genus, quod per mulieris temerariam credulitatem fuerat ante deiectum. » Conferunt verba Procli de Virgine [a]) scribentis: « Haec novi testamenti tomus, per quam festine spoliatum est imperium daemonum, citoque humana dirempta captivitas. » Conferunt verba Chrysippi et Hesychii hierosolymitani, quorum prior [b]) satanam exhibet de suo fato ita conquerentem: « Qui fuit ut instrumentum quod in principio mihi cooperabatur, nunc mihi adversetur? mulier mecum effecit, ut in genus humanum tyrannidem occuparem, et mulier me a tyrannide deturbavit. Antiqua Eva me erexit in altum, et nova deiecit. » Alter vero [c]) exclamat: « Ecce Virgo: quaenam? Mulierum egregia, e virginibus electa, praeclarum naturae nostrae ornamentum, gloria luti nostri, quae Evam pudore et Adamum comminatione liberavit, audaciam draconis abscidit. » Conducunt et verba [d]) Tarasii quibus de Symeone agens triennem Virginem excipiente, sic illum affatur: « Suscipe hanc quae a maledicto in primam parentem Evam immisso nos liberavit: complectere hanc quae nos cum Deo caritate colligavit, et inimicitiam serpentis suo partu abstulit: hanc implica brachiis quae nos ab implexu serpentis abstraxit. »

1005. Eadem latinis doctoribus mens insedit, e quorum albo [1])

a) Orat. VI. in Deiparam §. XVII. pag. 645. C. apud Gallandium T. IX. Αὕτη ὁ καινὸς τῆς καινῆς διαθήκης τόμος, δι' ἧς τῶν δαιμόνων ὀξέως ἡ δυναστεία ἐσκυλεύθη, καὶ τῶν ἀνθρώπων ταχέως ἡ αἰχμαλωσία προενομεύθη.

b) Orat. in Deiparam pag. 428. A-C. in biblioth. pp. graeco-lat. Tom. II. Πόθεν τὸ σκεῦος τὸ ἐξ ἀρχῆς συνεργόν μοι γεγονὸς, νῦν μοι πολέμιον; γυνὴ πρὸς τὴν τοῦ γένους μοι τυραννίδα συνέπραξε, καὶ γυνὴ μετὰ τῆς τυραννίδος ἐκβέβληκεν· ἡ Εὔα ἡ πάλαι με ἀνύψωσε, καὶ ἡ νέα κατέβαλεν.

c) Orat. in Deiparam pag. 423. C-D. ibidem. Ἰδοὺ ἡ παρθένος· ποία; ἡ τῶν γυναικῶν ἔγκριτος, ἡ τῶν παρθένων ἐξαίρετος, τὸ σεμνὸν τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐγκαλλώπισμα, τὸ τοῦ πηλοῦ ἡμετέρου καύχημα, ἡ τῆς αἰσχύνης τὴν Εὔαν, καὶ τῆς ἀπειλῆς τὸν Ἀδὰμ ἀπαλλάξασα, ἡ τὴν παῤῥησίαν ἀποτέμουσα τοῦ δράκοντος.

d) Orat. in Deiparae praesentat. Ἀνάλαβε ταύτην, τὴν ἐκ τῆς προμήτορος Εὔας κατάρας ἡμᾶς ἀπαλλάξασαν· ἄσπασαι ταύτην, τὴν πρὸς θεὸν φιλανθρωπίᾳ ἡμᾶς συνδήσασαν, καὶ τὴν ἔχθραν τοῦ ὄφεως, τῷ αὐτῆς τόκῳ καθελοῦσαν· ἀγκάλισαι αὐτὴν, τὴν ἐξ ἀγκάλων τοῦ ὄφεως ἡμᾶς ἀφαρπάσασαν.

1) Cathemerinon III. vv. 126-131. pag. 267.

Digitized by Google

Prudentius latum a Deo in serpentem iudicium his effert verbis:

» Auctor et ipse doli coluber
» Plectitur improbus, ut mulier
» Colla trilinguia calce terat:
» Sic coluber muliebre solum
» Suspicit, atque virum mulier.

Tum universalem [1]) enarrans perniciem subdit:

» His ducibus vitiosa dehinc
» Posteritas ruit in facinus,
» Dumque rudes imitatur aves,
» Fasque nefasque simul glomerans
» Impia crimina morte luit.

Hinc de modo reparationis [2]) pergit:

» Ecce venit nova progenies,
» Aethere proditus alter homo,
» Non luteus velut ille prior,
» Sed Deus ipse gerens hominem,
» Corporisque carens vitiis.
» Fit caro vivida sermo Patris,
» Numine quem rutilante gravis
» Non thalamo, neque iure tori,
» Nec genialibus illecebris
» Intemerata puella parit.

Quibus e vestigio [3]) addit:

» Hoc odium vetus illud erat,
» Hoc erat aspidis atque hominis
» Digladiabile discidium,
» Quod modo cernua femineis
» Vipera proteritur pedibus.
» Edere namque Deum [4]) merita
» Omnia Virgo venena domat:
» Tractibus anguis inexplicitis
» Virus inerme [5]) piger revomit,
» Gramine concolor in viridi.

1006. Prudentium excipit antiquus auctor sermonum qui Augustini nomine decorantur, quique de assumpta Virgine [6]) ait: « Festivitas hodierna tanto nobis debet esse devotior, quanto illa cuius

1) Ibid. vv. 131-136. pag. 268.

2) Ibid. vv. 136-145.

3) Ibid. vv. 146-156. pag. 269.

4) « Beatam Virginem, *inquit in subiecta adnotatione Arevalus*, meruisse Deum edere multi sancti patres affirmant, ut Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, pluresque alii. Hinc theologi quaerunt, an beata Virgo meruerit *merito proprie dicto* esse mater Dei, vel ut loquuntur ipsi, *maternitatem Dei*. Et probabili satis ratione multi affirmant, quia eisdem verbis sancti patres probant, iustos bonis operibus vitam aeternam mereri, et Mariam virginem meruisse ut mater Dei efficeretur. Quae omnia egregia disputat et illustrat Franciscus Suarez T. I. in III. p. q. II. disput. X. sectt. VII. et VIII., qui *meritum de congruo* admittit. »

5) Scilicet *piger* ac debilis fuit anguis in Virginem, eiusque *virus* contra illam *inerme* quae omnia venena domat, viperamque cernuam pedibus proterit.

6) Serm. CXCIV. n. 2. pag. 452. apud Mai in nova pp. biblioth. T. I. De hoc sermone em. editor sic habet pag. 451: « In sequente sermone non unum indicium insertum fuit ab auctore, ut suaderet esse Augustini. Nempe 1. aetas tricenaria Augustini, quando a libidine ad Deum conversus est. 2. Commemoratio libri ab eodem editi de natura et gratia. 3. Commemoratio item episcopatus Augustini (quem adiit anno aetatis XL., adeoque non sibi repugnat cum sub sermonis initium iuvenem se dicit.) Narratio dicti cuiusdam quod a sancto Ambrosio audiverat. Attamen haec omnia indicia a simulato sermonis auctore, fuci faciendi caussa, obtrusa videntur: nam similia sunt etiam in aliis nothis sermonibus ad eremitas, puta in 4. 5. 14. 21. 23. 25. 26. 37. 47. 46. 55. Vetare tamen omnino videtur stilus, ut hoc Augustini scriptum esse credamus; stilus inquam, non titulus *ad eremitas*; nam etsi plerique huius tituli sermones inter spurios Augustini relati fuerunt, non tamen omnes; duo enim ab ipsis Maurinis sunt in classem germanorum recepti, videlicet 355. et 356. Ergo hic sermo, quem ex Roberti collectorio sumimus, addatur illis *ad fratres in eremo*, qui sunt in sexto mauriniae editionis tomo. »

Digitized by Google

memoriam agimus, cunctis gentibus fuit [1]) fecundior, cunctis apparuit sanctior, cunctis intus et foris pulcrior, cunctis sapientior, cunctis gratiosior, omnibusque creaturis perfectior; non solum in vita, sed in ventre materno [2]) sanctificata, et super omnes alias creaturas, morte iam per eam devicta, nobis attulit vitam sempiternam. Haec est enim illa gemma gloriosa paradisi, de qua supra diximus, in libello quem nuper edidimus de natura et gratia [3]), quia propter honorem Domini cum de peccatis agitur, nullam prorsus de Maria volo [5]) haberi quaestionem. Unde enim [4]) scimus quod ei plus collatum fuit gratiae ad vincendum ex omni parte peccatum, quam alicui de femina nato? Et miraris si hoc audis? nequaquam mirari, fratres, debemus, quia concipere et parere meruit illum, quem constat nullum habuisse peccatum. Virgine igitur ista excepta, si omnes sanctos [6]) et sanctas cum hic viverent contestari et interrogare possemus, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, nisi quod ait [7]) sanctus ille Iohannes: si diximus quoniam peccatum non habemus, mentimur, et veritas in nobis non est? Haec est illa angelorum Domina, cunctis felicior, cunctis beatior creaturis, quae prius Christum [8]) fide concepit quam

1) In ipsa enim et per ipsam gentes omnes benedictionem receperunt.

2) En am. editoris adnotationem: « Augustinus op. imperf. con. Iulianum lib. IV. 122. *Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi; sed ideo, quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi.* Quamobrem hoc loco puto dici *sanctificata* pro *sancta*, ut suadet ipse contextus; nempe sicut fuit *sancta*, non *sanctificata*, in vita, sic etiam in ventre materno. Attamen infra Baptista quoque dicitur *sanctificatus* in utero. Immaculatae beatae Virginis conceptioni favet etiam Gregorius narekiensis seculi X. scriptor armenus dicens, Mariam *primae reae mulieris filiam inculpatam*. Insuper: *carentem peccati fomite*. Idem cum hymnario, Mariam adfirmat *maledictione humani generis liberam*; ad quae verba commentans Vardanus item armenus sec. XIII. dicit Mariam fuisse *immunem crimine Evae*. » Profecto *in vita* non fuit Virgo *sanctificata* expiatione atque remissione peccati; credimus enim nulla umquam actualis culpae labe eam fuisse vitiatam. Quum igitur haud secus *in ventre materno* ac *in vita sanctificata* dicatur; restat ut eiusmodi verbum alia quam expiandi remittendique significatione usurpetur. Quaenam vero? illa prorsus quae et in Scripturis et in christianis monimentis vulgatissima est, quaque קדש, ἁγιάζω, *sanctifico* idem valent ac *ab eo quod commune et profanum est separo, et Deo eiusque obsequio dico atque consecro*. De qua significatione inter ceteros erudite disserunt Kusterus ad Suidam v. ἁγιάσαι, Suicerus in thesauro ad v. ἁγιάζω, et Schleusnerus ad idem verbum in utroque Lexico sive in LXX., sive in N. T. Neque creare difficultatem potest, quod infra ipse quoque Baptista *in utero sanctificatus* celebretur. Sicut enim nihil impedit quominus id de separatione Baptistae, eiusque ad propheticum munus destinatione sumatur; ita neminem praeterit unum idemque verbum *pro subiecti discrimine* alia atque diversa significatione adhiberi, neque mirum esse si eximia quadam acceptione intelligatur de Virgine, quae *cunctis gratiosior, omnibusque creaturis perfectior* nuncupatur.

3) Nimirum cap. XLII.

4) Al. *habere*.

5) Haec non sunt auctoris, sed adversantibus vel ambigentibus tribui debent. Ita em. editor, qua de re suo loco plenius.

6) Atque ipsum adeo Baptistam, qui propterea quum de gratiae praerogativis agitur, inferior Virgine censendus est.

7) I. Ioh. I. 8.

8) Augustinus serm. CCXV. n. 4: *Beata Maria quem credendo peperit, credendo concepit.* Contra Faustum lib. XXIX. n. 4: *Maria Christi carnem fide concepit.* Et de sancta virginitate cap. III: *Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi.*

Digitized by Google

carne. Nam materna eius propinquitas nihil ei profuisset, nisi prius ipsum felicius fide quam carne gestasset. Beatus igitur dicitur venter Mariae, non tam quia in eo Verbum caro factum est, sed quia Verbum Dei super omnes operando custodivit. »

1007. Quemadmodum vero hoc sermone tribuitur Virgini, quod ita vicerit omni ex parte peccatum, ut de ipsa haberi quaestio nequeat quum sermo de peccatis instituitur; sic alibi eidem asseritur quod homicidam satanam compescuerit, eiusque regnum labefactarit. Atque huc sane faciunt quae [1]) subdimus: « Hodie Unigenitus factus est quod non fuit, permanens in natura deitatis quod fuit. Hodie rerum omnium dominator propter servilem afflictionem, servilem induit vestem; ita ut ingenuitatem signif. . . omnem dissolveret servitutem: immutavit enim generationis suae figuram, ut affligeret iniquissimum Belial. Patitur in accessu carnis per Virginem, illam primi hominis iniuriam ab homicida compescere, dum libertatis sanctae gratia natus, servili se induit veste. Videns enim homicida Virginem, et habitu scandalizatus est, et offendens cecidit; quia inobediens paradisi cultor dum per mulierem cecidit, ab ipsa et unigenitus Deus vitam exortus, omnium redemptio factus est animarum. » Huc faciunt quae his verbis [2]) efferuntur: « Origo peccati per genitricem Christi exstincta est, prosapies impietatis per prosapiem pietatis ablata est, stirps mortis per stirpem vitae. » Atque huc praeter [3]) cetera faciunt, quibus [4]) interrogationi, *sed quare Deus noster nascendo per Virginem, nos sic voluit reformare ad vitam?* sic [5]) occurritur: « Ut quia per mulierem in hunc mundum mors intravit, salus per Virginem redderetur. Denique et quando [6]) Christus tertia die ab inferis resurrexit, primum mulieres per angelum adorantes occurrunt: quibus ideo iubetur resurrectionem apostolis nuntiare, ut hominibus ostenderetur, ecce per quam cecidistis in mortem, per ipsam vobis resurrectio mortuorum nun-

1) Serm. CXCIV. de natali Domini, n. 2. pagg. 461-462. apud Mai in nova pp. biblioth. T. I. « Sequens sermo, *verba sunt editoris*, in codice bobiensi vat. antiquissimo 5751. praeponitur illi Augustini, qui est 123. in appendice editionis maurinae. Quamvis igitur est anonymus, tamen propter praedicti propinquitatem, multoque magis ob codicis magnam antiquitatem, is a nobis heic collocatur, quamquam et aegre interdum in codice corrupto legebatur, nec mendis scripturae caret, et subobscurus est, atque Augustino vix dignus videtur. »

2) Serm. CXX. in nat. Domini IV. num. 1. pag. 153. F. inter opp. August. T. V.

3) Ibidem n. 4. pag. 154. B-C, serm. CXIX. in nat. Domini III. n. 3. pag. 152. E-F, et serm. CXXIII. in nat. Domini VII. n. 2. pag. 157. E-F.

4) Ibidem serm. CXXV. in nat. Domini IX. n. 3. pag. 159. B-C.

5) Ibidem.

6) Matth. XXVIII. 9.

Digitized by Google

tiatur. Mulier [1]) enim quia prior gustaverat, prior etiam resurrectionem vidisse monstratur, ut non perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret; et quae culpam nobis transfuderat, transfudit et gratiam. »

1008. Missa facio testimonia [2]) Isidori hispalensis, Agobardi lugdunensis [3]), Hildeberti cenomanensis [4]) et [5]) Petri blesensis, quae omnia eo pertinent ut *feminina lectio* ab illis adhibita et de Virgine intellecta ostendatur; tum ad ea continuo venio quae in Alcuini homiliario leguntur. Itaque relatis [6]) Scripturae verbis, *ecce Virgo in utero concipiet,* mox [7]) subditur: « Audite quod dicit omnes filiae Evae: audite omnes vos quae hereditatem doloris et tristitiae post illam et ex illius condemnatione sumpsistis: audite et laetamini, audite et consolamini, audite quod Virgo in utero accipiat, non ex desiderio partum concipiens: neque serpentis persuasione decepta est, neque eius afflatibus venenosis infecta est. Virgo in utero accipiet, ut Deum dignanter incarnatum ad mundi pariat salutem. » Et [8]) rursum: « Hoc ipsum quod dicit *ecce,* admirantis est tanti mysterii magnitudinem, ut omnes velut de somno suscitans, ad hoc dictum evigilet. *Ecce Virgo,* dicit, *in utero accipiet et pariet filium.* Ad colligandum illum fortem armatum, ad conculcandum serpentis impii caput, ad conterendas vires eius, ad praedam eius diripiendam et ad captivitatem populi sui convertendam pariet filium, ad denuo reparandum Adam, ad inobedientiam excludendam, ad erigendum iacentium genus, quod per mulieris temerariam credulitatem fuerat deiectum. » Neque minus illustria [9]) sunt quae inter matrem et filium, Mariam inter atque Christum comparatione instituta his verbis edicuntur: « Ille enim electus ex millibus virorum, tu electa ex millibus feminarum. Ille electus ex omnibus quae per illum sunt, tu terribilis ut castrorum acies ordinata. Quid enim? An non horruerunt principes tenebrarum quando viderunt praeter morem instructam omni armatura fortium contra se procedere feminam? Feminam fortem et ad bella doctissimam, cuius ensis super femur

1) Ex Ambrosio in Luc. cap. XXIV.

2) In Genesim cap. V. nn. 6-7. pag. 275-276. opp. T. V.

3) Lib. adversus Felicem urgelitanum §. XX. pag. 247. D-F. in max. pp. biblioth. T. XIV.

4) Serm. de Incarnatione pag. 505. C-D.

5) De adventu Domini serm. V. pag. 1393. A. in max. pp. biblioth. T. XXIV.

6) Is. VII. 14. coll. Matth. I. 23.

7) In vigilia nativit. Domini, pag. 52. col. 1. B-C.

8) Ibid. pag. 52. col. 1. D.

9) Ibid. serm. in Deiparae nativit. pag. 903. col. 2. A-C.

suum propter timores nocturnos: et in circuitu eius acies valida spiritualium virtutum suo se invicem ordine tuentium. Sed et innumerabilem beatorum spirituum militiam ad ministerium tanti principis delegatam nullatenus ambigimus, utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent ne [1]) praeparatum aeterno regi hospitium alienus hospes invaderet. Nimirum timor et tremor venerunt super eos, ut ita dicerent: ecce plus quam Eva heic. Castra Dei sunt haec. Fugiamus Israelem. Tu ergo bellatrix egregia primo eum, qui primus Evam supplantavit, expugnare viriliter aggressa es. »

1009. Simillima tradunt [2]) Fulbertus carnotensis, et [3]) Goffridus vindocinensis, qui de Virgine scribit: « Haec est illa certe bona mulier immo beatissima Dei mater, cuius mentionem Dominus faciebat quando in paradiso [4]) diabolo comminabatur qui in specie serpentis latebat. *Ponam*, inquit, *inimicitias inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius*, *ipsa conteret tibi caput*. Vere beata Maria diaboli caput contrivit, quae in se principalem eius suggestionem penitus extinxit. » Sed quomodo extinxit? Dicam verbis Nicolai monachi sancti Albani, qui in litteris datis ad Petrum sancti Remigii abbatem sic prorsus [5]) habet: « Virgo singularis vicit omne peccatum, non omne debellando, sed nullum prorsus sentiendo. Quod non omne debellaverit, testimonium perhibent homicidium, adulterium, furtum, et horum similia multa peccata, quae eius affectum numquam momorderunt, eius memoriam numquam contaminarunt, eius denique opinionem numquam laeserunt. Quod nullum prorsus senserit peccatum Virgo peccati destructrix, hoc videtur sentire beatus Augustinus, ubi [6]) inhibet Virginis mentionem in peccati mentione. Hoc videtur sensisse et prophetico spiritu praedixisse David, ubi [7]) Verbum incarnari desiderans dicit: *surge in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae*. In hanc igitur requiem suam surrexit Verbum incarnatum, et non solum Verbum, sed et arca sanctificationis suae, de qua et in qua est Verbum in-

1) Cessisset ergo in Christi dedecus atque iniuriam, si tartareus hostis vel ictu temporis Mariae habitaculum praeoccupasset. Praeoccupasset vero, si illius conceptus fuisset originis culpa maculatus.

2) Serm. de Virginis nativit. pag. 38. B-D. in max. pp. biblioth. T. XVIII.

3) Serm. III. in nativit. Domini. pag. 72. G-H. in max. pp. biblioth. T. XXI.

4) Gen. III. 15.

5) Inter epist. Petri cellensis lib. IX. epist. IX. pag. 903. C-E. in max. pp. biblioth. T. XXIII.

6) De nat. et grat. cap. XXXVI.

7) Ps. CXXXI. 8.

carnatum. Sicut enim in caelo qualis Pater, talis Filius; sic et in terra, qualis Filius, talis Mater, non dico de Spiritu concepta, ut Filius, sed de Spiritu repleta et sanctificata [1]) ex utero matris, ut Filius. »

1010. Nolim porro sint qui existiment in alia fuisse mente Petrum cellensem sancti Remigii abbatem ac praesulem deinde carnotensem, atque adeo Nicolao repugnasse. Si quod enim illos dissidium seiunxit, totum verbis non rebus sententiisque continebatur. Sic enim ad Nicolaum [2]) scripsit: « Quo autem sensu dixerim, Virginem peccatum sensisse et debellasse, et si tu arreptus in tanto furore quod vix manus contines, non potes patienter audire, qui nostra legerit scripta, furore et odio postpositis, audiat et in statera aequitatis diligenter appendat. » Tum continuo [3]) adiecit: « Ne vero auctoritate nudus circa Goliath ad bellum congrediar, antepono scutum auctoritatis qua [4]) dicitur: *inimicitias ponam inter te et mulierem, ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Quae est haec mulier? Virgo quae pro sexu, non pro corruptione mulier appellatur. Quod est eius semen? Iesus in quo benedicentur omnes gentes. Quae sunt illae inimicitiae? Lege [5]) apocalypsin Iohannis. *Postquam*, inquit, *vidit draco quod proiectus est in terram, prosequutus est mulierem.* » Memorata autem persecutione qua illam draco per Herodem vexavit [6]) pergit: « Luce clarius ad verbum exponit hoc sermo qui legitur [7]) in nativitate eiusdem Virginis, ubi dicitur: *inimicitias ponam inter te et mulierem*, etc. Quid est fratres, inquit auctor in hoc loco, serpentis caput conterere, nisi principalem diaboli suggestionem, idest, concupiscentiam resistendo superare? Si ergo quaeritur, quae mulier huiusmodi victoriam operata sit, profecto non reperitur in linea generationis humanae, donec perveniatur ad illam de qua nunc agimus, sanctarum sanctam. Surdus es si non audis, caecus si non vides, mutus si non clamas, infidelis si non credis, contumax si adhuc contendis. Vade ad natatoriam Siloe, et lava oculos, et vide quomodo verum sit, quia

1) Quum omnes norint, Nicolaum monachum sancti Albani inter assertores immaculati conceptus seculo XII. eminuisse, omnes pariter intelligent quo sensu tum *sanctificandi* verbum, tum formula *sanctificationis ex utero matris*, quum de Virgine sermo erat, adhiberentur.

2) Epistt. lib. IX. epist. X. pag. 905. D.

3) Ibidem.

4) Gen. III. 15.

5) Apoc. XIII. 9.

6) Ibid. p. 905. E-G.

7) Videtur autem esse sermo Fulberti carnotensis qui extat in max. pp. biblioth. T. XVIII. pag. 38

sensit peccatum sine peccato. Sensit equidem non ad laesionem sed ad probationem, sensit non succumbendo sed superando, sensit extrinsecus non intrinsecus, sensit propulsando non excipiendo vel admittendo. » Denique ut omnem difficultati locum obstruat [1]), concludit: « An mater felicior filio? an sanctior? an fortior? an gratia plenior? Sed ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur a diabolo: sed dicit illum Apostolus tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Qui tentatur, nonne sentit tentationem? Est autem modus sentiendi secundum virtutem non tentantis sed tentati, debilis, debilior, debilissimus effectus sentiendi secundum affectum et virtutem sentientis. Non enim quisquam potest iudicare quid sentias, nisi tu qui sentis. » Contrivit igitur Virgo serpentis caput, atque ideo contrivit quia vicit omne peccatum, non omne debellando sed nullum plane sentiendo, sensu inquam interno, propensione subita, delectatione indeliberata, quae omnia morbi sunt naturae universali praevaricatione corruptae, et ab ea natura longissime aberant quae adhuc integritatis flore virescebat.

1011. Consentiunt Amedeus lausannensis et Bernardus, quorum ille [2]) scribit: « Decebat enim ut sicut [3]) per feminam mors, sic per feminam vita intraret in orbem terrarum. Et sicut [4]) in Eva omnes moriebantur, ita in Maria omnes resurgerent. Illa male credula verbis serpentis, mortis venenum miscuerat. Haec [5]) conterens caput serpentis, antidotum vitae cunctis ministravit, ut mortem occideret, et vitam repararet. » At Bernardus quum [6]) crebro de Virgine usurpet Geneseos oraculum, et de Virgine enarret solemnia verba, *ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius;* inter cetera [7]) habet: « Insipientia vero omnis longe [8]) sub pedibus eius est, ut penitus absit haec ab insipientium mulierum numero et collegio virginum fatuarum. Immo vero et unicus ille stultus et totius stultitiae princeps, qui vere mutatus ut luna sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariae pedibus conculcatus et contritus miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam [9]) a Deo promissa mulier ser-

1) Ibidem pag. 905. G-H.

2) Hom. II. de Virginis laudibus, pag. 1265. E-F. in max. pp. biblioth. T. XX.

3) Rom. V. 18.

4) I. Cor. XV. 22.

5) Gen. III. 15.

6) Super *missus est*, hom. II. n. 4. pag. 744. C-F, et de diversis serm. LII al. IX. ex parvis, n. 3. pag. 1192. A-D.

7) Serm. in Dom. infra oct. assumt. n. 4. pag. 1018. D-F.

8) Respicit ad verba Apocalypseos quae illustrat: *signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.*

9) Gen. III. 15.

Digitized by Google

pentis antiqui caput virtutis pede contritura: cuius plane calcaneo in multis versutiis insidiatus, sed sine causa. Sola enim contrivit universam haereticam pravitatem. Alius non de substantia carnis suae Christum edidisse dogmatizabat: alius parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat: alius, vel post partum, viro cognitam blasphemabat: alius Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotocos impiissime sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Denique et continuo per Herodem draco insidiatus est parienti, ut nascentem excipiens filium devoraret, quod inimicitiae essent inter semen mulieris et draconis. »

1012. Eumdem Virginis de dracone triumphum extollit Bruno astensis et signiensium episcopus, ubi [1]) ceteris illius praeconiis istud etiam connumerat: « Est etiam terribilis ut castrorum acies ordinata, ad quam omni virtute circum munitam non audet aliquis hostis accedere, ut quae Spiritus sancti protegitur obumbratione. Unde et de hac civitate [2]) iure gloriosa et magnalia dicuntur non solum ab hodiernis, sed etiam ab antiquis patribus et angelis. » Tum [3]) relata Christi penes Matthaeum genealogia, subdit: « Et valde quidem ad rem pertinuit, ut evangelistae hanc lineam Christi generationis tam longam componerent et ordinarent, quatenus sciamus non solum ex quibus patribus natus sit, verum etiam unde mortem et unde vitam habeamus. Primum huius lineae caput est Adam, secundum vero Christus. Haec linea incipit ab Eva, et desinit in Mariam. In principio mors, et in fine vita consistit. Mors per Evam facta est, vita per Mariam reddita est. Illa a diabolo victa est, haec diabolum ligavit et vicit. » Quae continuo [4]) explicans pergit: « Cum enim ab Eva usque ad ipsam Mariam linea extendatur, in ipsa tandem ille hamus ligatus et incarnatus est, per quem captus est ille Leviathan, serpens antiquus, qui est diabolus et satanas: ut qui per feminam in regnum intravit, per feminam de regno extraheretur, et qui feminam illusit et suis sibi vinculis ligavit, ab hac una femina illuderetur et ligaretur. » De quo egregio benedictae mulieris facinore [5]) illico ait: « Hoc est enim quod Dominus ad beatum Iob loquitur [6]) dicens: *numquid extrahere poteris Leviathan hamo,*

1) Sententiar. lib. V. cap. I. pag. 554. col. 1. D.
2) Ps. LXXXVI. 2.
3) L. c. cap. II. pag. 555. col. 1. B-C.
4) Ibid. cap. II. pag. 555. col. 1. C.
5) Ibid. cap. II. pag. 556. col. 1. D.
6) Iob. XL. 20.

Digitized by Google

et fune ligabis linguam eius? Numquid illudes ei quasi avi, et ligabis eum ancillis tuis? Non tu, quasi dicat, ancillis tuis eum ligabis, quem nec ipsi viri fortes ligare potuerunt. Ego tamen per unam ancillam meam eum ligabo, et fortitudine privabo. Haec est illa nobilis ancilla, de qua modo loquimur, beatissima Virgo Maria. »

1013. Cuius eximiam nobilitatem, singularemque de satana deque peccato victoriam Laurentius Iustinianus [1]) tum complectitur, quum adductis [2]) Evangelistae verbis, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,* inquit: « Verbum sponsus, caro sponsa, Virginis uterus thalamus, in quo factum est et de quo egressum est, ut habitaret in nobis. Hoc exprimere citharoeda sanctus voluit quum [3]) in psalmo caneret dicens: *in sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Merito talis eligitur thalamus, in quo divina celebrentur mysteria. Erat quidem beata Virgo thalamus puritate nitidus, moribus ornatus et omni praeditus sanctitate, floribus aspersus, virtutibus decoratus, fragrans castitatis odore, caritate fervens, virginitate redolens, pollens humilitate. Ipsa est gloriosa domina et beata femina, innupta et fecunda, mater et virgo, ancilla et genitrix, quae culpam abstulit et dedit gratiam, quae contulit mundo pacem, hominibus Deum, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam. Ipsa est quae suscepit Verbum, concepit Filium et peperit Christum. Ipsa effecta est porta caeli, paradisi ianua, stella maris, solatium mundi, peccanti refugium, mundi interventrix, interemptrix peccati, diaboli terror, et spiritualibus nequitiis pavor. Haec est Virgo pudicissima, quae chirographum abolevit decreti, et protoparentum abstulit opprobrium. Haec nempe est Virgo sanctissima, quae virtutum omnium ornata decore et gratiarum plenitudine, atque donorum caelestium irradiata fulgore, caelorum regem suo ad se traxit odore. Nimio namque innocentiae ac virginitatis respersa candore, tamquam prae ceteris sanctior, Dei mater efficitur. Haec quidem ab Altissimo adamatur, eligitur a Verbo, fecundatur Spiritu, divina prole ditatur, in Scripturis praefiguratur, a prophetis praenunciatur, praeponitur archangelis, caelesti omnique praefertur militiae. Dignum quippe fuit,

1) De casto connubio Verbi et animae cap. IX. pag. 194. col. 1. B-E. et col. 2. A-C. Quibus similia ex Iona aurelianensi in lib. II. de cultu imaginum pag. 184. D-E. in max. pp. biblioth. T. XIV., et ex Alberto in mariali cap. CI.

2) Ioh. I, 14.

3) Ps. XVIII.

ut talis esset mater unigeniti Dei, plasmatoris omnium, conditoris seculorum. Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiae, quidquid est gloriae, totum fuit in Maria. Magna quum nascitur, maior quum concipit. Ubique sancta, ubique plena, ubique immaculata. »

1014. Merito itaque [a]) Iohannes geometra de Virgine cecinit: « Salve quae labores solvisti, quae nos e tyranni dolis liberasti, tu integritatis iuxta ac libertatis mater. » Et [b]) rursum: « Salve quae expulisti atque in profundum detrusisti spiritum daemoniacae sobolis horrificum et homicidam. » Merito [c]) in Euchologio de Virgine dicitur: « In te laetatur omnis creatura, o gratia plena, angelorum coetus et hominum genus, o sanctum templum et rationalis paradise, virginum decus, e qua Deus ante secula exsistens, Deus noster incarnatus, puer factus est: tuum namque uterum sibi effecit thronum, ventremque tuum caelis reddidit capaciorem. In te laetatur omnis creatura, o gratia plena, tibi gloria. Belligerae agminum ductrici carmina victoriae laudesque triumphales reddo, ut a malis liberata gratiarum actiones et titulos ego civitas tua tibi erigo, o Deipara: verum ut quae inexpugnabili robore polleas, me a cunctis penitus periculis libera, ut tibi canam: salve sponsa viri nescia. » Merito in Paraclitice [d]) Virgo effertur his verbis, *salve daemonum expultrix.* Merito, praeeuntibus Iosepho, Theophane atque Georgio nicomediensi, Deipara [e]) in Menaeis ita celebratur: « Interfice, o imma-

a) Hymn. I. in Deiparam vv. 5-6. pag. 437. A. in app. ad biblioth. pp. graeco-lat. T. III.

Χαῖρε πόνων λύτειρα, δόλων ῥυτεῖρα τυράννου,
Μῆτερ ἁμ' ἀφθορίης, μῆτερ ἐλευθερίης.

b) Ibid. Hymn. III. vv. 32-33. pag. 441. B.

Χαῖρ' ἀποτρεψαμένη καὶ ἐς βυθὸν ὤσασα πνεῦμα
Δαιμονίης φύτλης ἄγριον ἀνδροφόνον.

c) Euchelog. de elevatione panis παναγία nuncupati pag. 866. B-D. Ἐπὶ σοὶ χαίρει, κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις, ἀγγέλων τὸ σύστημα, καὶ ἀνθρώπων τὸ γένος, ἡγιασμένε ναὲ, καὶ παράδεισε λογικὲ, παρθενικὸν καύχημα, ἐξ ἧς Θεὸς ἐσαρκώθη, καὶ παιδίον γέγονεν ὁ πρὸ αἰώνων ὑπάρχων Θεὸς ἡμῶν· τὴν γὰρ σὴν μήτραν θρόνον ἐποίησε, καὶ τὴν σὴν γαστέρα πλατυτέραν οὐρανῶν ἀπειργάσατο· ἐπὶ σοὶ χαίρει, κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις, δόξα σοι.

Τῇ ὑπερμάχῳ στρατηγῷ τὰ νικητήρια, ὡς λυτρωθεῖσα τῶν δεινῶν εὐχαριστήρια, ἀναγράφω σοι ἡ πόλις σου, Θεοτόκε· ἀλλ' ὡς ἔχουσα τὸ κράτος ἀπροσμάχητον, ἐκ παντοίων με κινδύνων ἐλευθέρωσον, ἵνα κράζω σοι, χαῖρε νύμφη ἀνύμφευτε.

d) Paraclit. pag. 381. col. 1. D. Χαῖρε δαιμόνων ἀφάνισις.

e) Men. die XVI. Aprilis Ode ζ'. pag. 66. col. 1. D. Νέκρωσον, ἄχραντε, τὴν ζῶσαν

Digitized by Google

culata, peccatum vivens meamque animam occidens; et tu me dignum redde qui consors sim vitae divinae, o tu quae gaudium peperisti et serpentem interfecisti. In generationibus generationum electa et innocens fuisti, ut quae antiquum maledictum divino tuo partu extinxeris, et mundo benedictionem effuderis. Tortuosissimus serpens initio quidem in Evae aures venenum infudit; tu autem sola, o Dei mater, ut quae eiusdem pepereris eversorem, illud eiecisti. Salve, o innocens, singulare auditum; salve sanctum paradisi lignum divinitus satum; salve malorum daemonum deletio; salve gladius biceps, quae inimici caput [1]) amputasti miro tuo partu, et nos extorres, o sanctissima et superimmaculata, fac revoces. » Merito in hymno acathisto [a]) haec laudum encomia Virgini tribuuntur: « Vis hominumque robur salve, o penitus immaculata, locus sanctificationis gloriae, mors inferni, thalamus undequaque lucidus; salve angelorum exsultatio; salve eorum paradisus qui te fideliter deprecantur. » Merito [2]) Hermannus contractus Virginem salutavit inquiens: « Tu agnum, regem terrae [3]) dominatorem, moabitici de petra deserti ad montem filiae Sion traduxisti. Tuque [4]) furentem Leviathan, serpentem tortuosumque et vectem collidens, damnoso crimine mundum exemisti. » Et merito [5]) beatus Casimirus Virginis laudes extollens scripsit:

καὶ νεκροῦσαν τὴν ψυχήν μου ἁμαρτίαν· καὶ ζωῆς μετασχεῖν ἀξίωσόν με θείας, ἡ τὴν χαρὰν κυήσασα, καὶ νεκρώσασα τὸν ὄφιν.

Ibid. XXIX. Aprilis Ode ϛ'. pag. 122. col. 1. B. *Ἐν γενεαῖς γενεῶν εὐλογημένη καὶ ἁγνὴ πέφυκας, ὡς τὴν ἀρὰν τῷ θείῳ σου τόκῳ νεκρώσασα τὸ πρὶν, καὶ τὴν εὐλογίαν τῷ κόσμῳ πηγάσασα.*

Ibid. die IV. Maii Ode ϛ'. pag. 16. col. 1. A. *Ἰὸν μὲν πρὶν ἀκοαῖς τῆς Εὔας ἐξέχεεν ὁ σκολιώτατος ὄφις· σὺ δὲ μόνη τοῦτον ἐξετινάξω, θεομῆτορ, τὸν ἀναιρέτην τούτου κυήσασα.*

Ibid. die X. Novembris ad Vesp. pag. 69. col. 1. B. *Χαῖρε ξένον ἄκουσμα, ἁγνή· χαῖρε ξύλον ἅγιον τοῦ παραδείσου θεόφυτον· χαῖρε ἐξάλειψις πονηρῶν δαιμόνων· χαῖρε ξίφος δίστομον ἐχθροῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνουσα τῷ ξένῳ τόκῳ σου, παναγία ὑπεράμωμε, ξενωθέντας ἡμᾶς ἀνακάλεσαι.*

a) Hymn. acath. Ode ϛ'. pag. 449. col. 1. E. ad calcem Paraclit. *Ἰσχὺς καὶ ὀχύρωμα ἀνθρώπων χαῖρε, ἄχραντε, τόπε ἁγιάσματος τῆς δόξης, νέκρωσις ᾅδου, νυμφὼν ὁλόφωτε· χαῖρε τῶν ἀγγέλων χαρμονή· χαῖρε ἡ βοήθεια τῶν πιστῶς δεομένων σου.*

1) Eodem pertinent quae habentur in Menaeis Mart. pagg. 17. col. 2. C., 44. col. 1. C., 72. col. 1. D. et Sept. pag. 21. col. 2. A.

2) Thesaur. hymnolog. pag. 32. T. III.

3) Is. XVI. 1.

4) Is. XXVII. 1. Hinc consuetudo fluxit qua tartareus serpens depingitur Virginis triumphantis pedibus contritus.

5) Thesaur. hymnolog. pag. 372. T. II.

» Evae crimen nobis limen paradisi clauserat:
» Haec dum credit et obedit, caeli claustra reserat.
» Propter Evam homo saevam accipit sententiam
» Per Mariam habet viam quae ducit ad patriam.

Et [1]) mox:

» Virgo salve, per quam valvae caeli patent miseris:
» Quam non flexit nec allexit fraus serpentis veteris.

Ac [2]) tandem:

» Eius fructu nos a luctu liberari credimus.
» Pulcra tota sine nota cuiuscumque maculae.

1015. Doctrina igitur fidesque maiorum eo pertinet, ut *duplex* comprobetur *inimicitiae ratio* quae Virginem a serpente longissime separavit. Illam nempe a serpente longissime *inprimis* separavit eiusmodi inimicitiae ratio quam dicere non inepte possumus *intransitivam,* et cui referri in acceptis debet tum quod *odium vetus et digladiabile discidium* utrimque, Deo auctore, exarserit; tum quod *neque suos in Virginem explicare tractus, neque noxium evomere virus, neque venenosis illam afflatibus inficere, neque illectam seducere* satanas potuerit. Quotquot autem peccato obstricti concipiuntur, hi non odio a satana dissident, sed cum ipso tamquam germen cohaerent, et suos in illos satanas explicat tractus, noxium evomit virus, eosdemque veuenosis corrumpit afflatibus, illectosque seducit. Nihil igitur praeterea superest quam ut originalis exsors maculae, ex doctrina atque fide maiorum, concepta Virgo censeatur. Adfuit enim illi Deus inimicitiarum auctor, neque tulit *ut praeparatum aeterno regi hospitium alienus hospes invaderet.*

1016. Hanc inimicitiae rationem altera excipit, cui *inimicitiae actuosae atque efficacis* nomen merito inditur, quamque patres scriptoresque christiani uberrima quadam loquutionum sententiarumque copia significant. Illam namque significant quum Virginem appellant *satanae ruinam, daemonum praedonem, Adami revocationem, solutionem Evae, mulierem fortem et ad quodvis bellorum genus doctissimam.* Illam significant quum Virginis ornamentis accensent quod ipsa *contra serpentem praevaluerit, quod ad nihilum maligni suggestionem deduxerit, quod eius caput contriverit, quod primae matris iniuriam, eo expugnato, vindicarit, quod iniuriam protopa-*

1) Ibid. pag. 378. 2) Ibidem.

Digitized by Google

rentibus illatam compescuerit, et quod fortem armatum bellatrix egregia colligarit, illumque in abyssum proiecerit. Illam significant *sive quum Virginem exhibent quae calce terit colla trilinguia, sive quum Virginem sistunt quae femineis pedibus cernuam proterit viperam.* Illam significant quum Virgini deferunt *quod per ipsam cessaverit maledictio, ablata fuerit corruptio, tristia desierint, laeta floruerint et iacentium genus constiterit.* Illam significant quum Virginis proprium esse tradunt, *quod nos ab implexu serpentis abstraxerit, quod omnia venena domuerit, quod vicerit omni ex parte peccatum, quod peccati originem extinxerit, mortem superarit, vitam attulerit, hominesque cum Deo copularit.* Illam denique significant quum Virginem spectandam proponunt *modo ut diabolo terribilem, modo ut ordinatam exercitus aciem, modo ut castra Dei ad quae hostis non audet accedere, et modo ut inexplicabili robore praeditam, quaeque multo Eva fortior huius expugnatorem debellarit, chirographum in nos scriptum aboleverit, et regno peccati ac mortis finem imposuerit.*

1017. Quis vero haec aut velit aut possit cum iis conciliare Virginis primordiis, quae utpote peccati viru infecta ipsam satanae subiecerint, et miserrimum eiusdem mancipium reddiderint? Nemo plane, quum haec non dissita solum sint, verum etiam sibi mutuo adversentur hostiliterque repugnent. Quare, subductis uti decet rationibus, intelligimus *veritatem de immaculato Virginis conceptu duobus iisque distinctis modis oraculo Geneseos revelatam contineri.* Revelata namque *diserte* continetur prioribus verbis, *inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius.* Eiusmodi namque verbis non minus ostenditur Virgo a quovis cum satana amicitiae foedere semper remotissima, quam eadem significetur *ubique immaculata, et sine nota cuiuscumque maculae numquam non splendens.* Porro utrumque inimicitiae modum complexus est Rupertus tuitiensis [1]) his verbis: « De calceamentis hic [2]) agitur non corporis sed spiritus, in quo discalceatum esse vel discalceatam, summa est ignobilitas et plusquam servilis egestas. Tu autem, o filia principis, bene calceata caput serpentis contrivisti, tu maxime, o princeps et domina, singularis dilecta, et sicut iam dixi, una

1) In Cant. lib. VI. cap. VI. pagg. 60. col. 2. E. et 61. col. 1. A.

2) Cant. VII. 1.

Digitized by Google

columba mea, una genitrici suae. » Revelata deinde continetur verbis insequentibus, dummodo et ea teneatur illorum lectio quam propriam esse occidentalis ecclesiae et virtute ac potestate biblicam demonstravimus, et non aliter accipiantur ac maiorum suffragio accepta fuisse patefecimus. Fac enim primum legas, *ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius:* tum fac non solum iis significari Virginem contra satanam fuisse invictam eiusque telis inaccessam, verum etiam divinitus fuisse selectam ut ipsa protoparentum ignominiam tegeret, satanam profligaret et peccati mortisque regnum pessumdaret; quid, amabo, illustrius quidve praeclarius quam Virginem ab ordine praevaricationis semper fuisse alienissimam, neque ad alium umquam ordinem quam reparationis spectasse, cuius ipsa cum suo semine perque suum semen caussa et principium exstiterit? Nemo autem est qui non videat, Virginem iis ipsis immaculatam ostendi, et nulla umquam peccati labe corruptam exhiberi, quibus ipsa et ab ordine praevaricationis alienissima, et caussa atque origo reparationis, parto de satana triumpho, celebratur.

CAPUT II.

De vaticinio penes Isaiam XI. 1: quae ad Virginem pertinentia ex eo colligantur: maiorum sententiae et commentarii eodem spectantes, quibus intaminata Virginis puritas et nullo vel originali infecta naevo comprobatur.

1018. Virginem quam Deus per Moysen praenunciavit, quamque spectandam exhibuit ceu eximiam singularemque *mulierem*, quae a satana semper divisa et semper pura in lucem semen ederet cum quo et per quod peccati mortisque regnum aboleret, atque hominum genus e captivitate ereptum in filiorum Dei libertatem vindicaret; eamdem *virgae* symbolo adumbratam una cum filio qui *germinis* appellatione exprimitur per Isaiam denuo promisit. De quo Isaiae oraculo constitutum nobis est in praesentia agere, quaeque suppetunt atque opportuna videntur, tribus singillatim articulis complecti. Principio namque ipsum *in se* vaticinium spectabimus, quod de Virgine aptissime sumi, cuius origo eximia fuerit et nescia labis, ostendemus: tum *relatis maiorum commentariis atque*

Digitized by Google

sententiis, superiora confirmabimus: iisque tandem propositis quae *publicis ecclesiae monimentis* continentur, immaculatum Virginis conceptum nova lucis accessione stabiliemus.

ARTICULUS I.

Oraculum quod habetur Is. XI. 1. ad Messiam pertinet: pertinet et ad Virginem Messiae genitricem quae virgae symbolo adumbratur, atque hoc symbolo ita adumbratur ut singularis eius origo atque culpae expers non obscure significetur.

1019. Quod generatim de vaticiniis ad Messiam pertinentibus verissime dicitur, vix ullum ex iis esse quod plurium aut pauciorum interpretum temeritas in alienos ementitosque sensus non detorserit; idipsum et de illo cuius enarrationem adgredimur, nominatim repetamus oportet. Fuerunt enim qui illud non ad Messiam, sed ad Ezechiam vel Zorobabelem aut unice aut saltem proxime referendum esse contenderent. Hoc ex iudaeis contendit [1] Aben-Esra, ex christianis vero [2] praeter Grotium contenderunt [3] Hermannus Van der Hardt, Theophilus Holzapfel [4] et [5] Henricus Iungmannus, quibus auctoribus promissus per vatem heros aut nullatenus aut saltem *proxime* censeri non debet Emmanuel et Christus, sed Ezechias vel Zorobabel. Horum tamen fallax et praepostera opinio quum summo auctoritatis pondere, tum perspicuis rationum momentis convellitur. Illi namque obsistunt atque repugnant uno prope ore iudaei, quemadmodum [6] ex Isaaco Abarbenele liquet, et multo liquet evidentius ex paraphraste chaldaeo qui sic [a] habet: *et egredietur rex de filiis Isai, et Messias ex filiis filiorum eius ex-*

a) Is. XI. 1. וְיִפּוֹק מַבְּנוֹהִי דְיִשַׁי וּמְשִׁיחָא מִבְּנֵי בְנוֹהִי יִתְרַבֵּי׃

1) Comm. in Is. XI. 1. ubi tamen fateri coactus est, *complures interpretes ad Messiam illud referre*.

2) Qui in commentario scribit: « Redit ad laudes Ezechiae, sub quibus sensu sublimiori latent Messiae laudes. »

3) In dissert. philolog. ad Is. XI.

4) In programmate quo disquiritur, quisnam Is. XI. intelligendus sit rex aetatem auream restituturus.

5) In Daniele novo et inaudito modo reserato lib. II. sect. III. cap. VII.

6) In opere, *Praeco salutis*, pagg. 51. seqq. edit. Francofur. MDCCXI. Sane non modo iudaei in Talmud hierosolymit. Massecht Berachot, cap. הוה הקורא, Messiam e regia domo atque e Bethlehem Iuda esse hoc vaticinio probant: neque modo in Berescith Ketannam et Berescith Rabba ad Gen. XLIX. 8. hoc Isaiae capite de Messia sermonem esse testantur; sed praeterea in Midrasch Tillim ad verba Ps. LXXII. 1. *da iudicia tua filio regis*, sic habent: *hic est rex Messias, quia dictum est, et egredietur virga de stirpe Isai*.

crescet. Obsistunt atque repugnant quotquot fuerunt ac sunt catholici interpretes, cum quibus plerique omnes e protestantium sectis conspirant, neque antiquiores dumtaxat, quod [1]) Iohannes Frischmuthus editis dissertationibus ostendit; verum etiam recentiores et recentissimi, cuiusmodi sunt [2]) Reinhardus, Gesenius [3]), Rosenmüllerus [4]) et [5]) Augustus Knobel. Profecto tot tantaque sunt quae prodituro in lucem germini atque futuro regi asseruntur, ut alteri quam Emmanueli convenire nequeant. Praenunciatur enim, quod scite [6]) Rosenmüllerus notat: «Regem illum omnigenis dotibus spiritus divini perfectissime fore [7]) instructum, earumque usu perpetuo gavisurum: in iure dicundo, bonisque malisque, insontibus et noxiis rite discriminandis illum numquam falli: regnum eius [8]) fore pacatissimum: iudaeos [9]) per totum orbem sparsos in terram patriam redituros, depositaque aemulatione et invidia mutua iunctis viribus hostibus communibus oppugnandis operam daturos. Talia vero quis evenisse demonstret sub Hiskia aut Serubbabele? Nulla igitur dubitatio depingi a vate nostro illum principem κατ' ἐξοχὴν *Unctum* (מָשִׁיחַ) appellatum, qualem ab antiquissimis inde temporibus aliquando inter ipsos appariturum sperant hebraei. »

1020. En autem oraculi verba:

וְיָצָא חֹטֶר מִגֶּזַע יִשָׁי וְנֵצֶר מִשָּׁרָשָׁיו יִפְרֶה׃

Haec alexandrini vertunt: καὶ ἐξελεύσεται ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαὶ, καὶ ἄνθος ἐκ τῆς ῥίζης ἀναβήσεται. Neque dissidet vulgatus inquiens: *et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet*. Iamvero יָצָא, quod proprie valet *exiit, prodiit, egressus est*, quodque adhibetur tum [10]) de plantis quae *egredi* dicuntur quum progerminant, tum [11]) de germinibus quae ex insita plantarum vi erumpunt atque subolescunt, quemadmodum sumi potest [12]) significatione *futuri* vel *praesentis;* ita heic nonnisi alterutro sensu accipi debet. Loquitur enim vates de eo quod eventurum erat, et fata domus Iudae assyriorum fatis opponit. Florebant assyrii sibique aeternitatem pollicebantur, publica vero iudaeorum res non periclitabatur solum sed funditus

1) In duabus dissertatt. ad Is. XI. 1. seqq., quae leguntur in thesauro theolog. philolog. T. I. pagg. 763. seqq.
2) Explanat. loci Is. XI. 1-5. pagg. 1. seqq. T. II. opuscul. academic.
3) Comm. ad Is. XI. 1.
4) Schol. ad Is. XI. 1.
5) In Is. XI. 1.
6) L. c.
7) Is. XI. 2.
8) Is. XI. 6-9.
9) Is. XI. 13-14.
10) 1. Reg. IV. 13, Deut. XIV. 22., Iob. XIV. 2., XXVIII. 5, XXXI. 40., Dan. VIII. 9.
11) Iob. V. 6.
12) Cf. Gesenii grammat. §. 134. nn. 4-6.

desitura videbatur. Atqui secus ille decreverat [1]) cuius nutu omnia temperantur: futurum namque erat ut assyriorum viribus fractis, imperioque subverso, res tandem iudaica reviresceret et multo quam antea splendidius emicaret. Sed unde rerum tam mira conversio? Quod Deo moderatore *egredietur*, vel pro ingenio propheticae repraesentationis, *iam egreditur* ex accisa ac ferme enecta Isai stirpe qui omnia non restituat modo, verum etiam provehat et in immensum amplificet.

1021. Indicato eventu metaphorica *egrediendi* loquutione, continuo *subiectum* memoratur, illudque effertur voce חֹטֶר, cui respondet aramaeum nomen חוּטְרָא, syriacum ܚܘܛܪܐ, graecum ῥάβδος, et latinum *virga* vel satius *virgula*, quum verbo חָטַר, non secus ac verbis חָמַל, חָדַל, vicinisque דָּלָה, דָּלַל, זָלַל, תָּלַל insit princeps notio eius quod *lentum* est, *pendulum* ac *mobile*. Hinc Aquila pro חֹטֶר substituit [2]) ῥαβδίον *lentam virgam* aut *virgulam*. Haec autem *virgula* mihi ea ipsa est quae in oraculo [3]) Geneseos הָאִשָּׁה mulier κατ' ἐξοχήν, quaeque in superiori [4]) Isaiae vaticinio הָעַלְמָה *Virgo* nuncupatur. In quam sententiam propterea concedo, quod illa maioribus nostris ita placuerit, ut [5]) Gaspar Sanctius politus interpres scribere non dubitarit, prodituram virgam certissime esse Mariam *communi* [6]) *patrum consensu:* quod imago *virgulae* ex radice Iesse germinantis concinne in Virginem quadret, quae revera ex accisa et prope enecta regia Isai stirpe effloruit: et quod mutuus vaticiniorum habitus hunc maxime sensum commendet. Sicut enim heic חֹטֶר *virgula* cum נֵצֶר *surculo* et *germine;* ita in oraculo [7]) Geneseos הָאִשָּׁה *mulier* cum זֶרַע *semine*, et penes [8]) Isaiam הָעַלְמָה *Virgo* cum עִמָּנוּאֵל *Emmanuele* arctissime copulatur.

1022. Unde autem haec *virgula* proditura esset, quaeque illius origo exstitura declaratur verbis מִגֶּזַע יִשָׁי. Porro גֶּזַע, ἀπὸ τοῦ גָּזַע idem ac גָּדַע *arborem cecidit*, proprie est *truncus arboris caesae*, qui [9])

1) Cf. Is. XXXVI.

2) Nomen חֹטֶר nonnisi semel praeterea occurrit Prov. XIV. 3. בְּפִי־אֱוִיל חֹטֶר גַּאֲוָה, quae Vulgatus reddit *in ore stulti virga superbiae*. Ceterum haec imago nonnihil durior leniri potest si animadvertatur, penes arabes eodem nomine etiam *hastam* significari. Unde Salomonis verba apte redduntur, *in ore stulti hasta superbiae*, qua nimirum alii contemnuntur et maledictis vulnerantur.

3) Gen. III. 15.

4) Is. VII. 14. ubi articulus ה virginem certam illamque δειρμένην demonstrat.

5) In comm. ad Is. XI. 1.

6) De hac consensione integrum erit ex iis arbitrari, quae insequentibus articulis referemus.

7) Gen. III. 15.

8) Is. VII. 14-15.

9) Quamquam, scribit Iohannes David Michaelis in supplementis ad lexica hebraica pag. 291., גֶּזַע vere sit *arbor succisa et trunci pars de ea residua;* non idcirco arguendi sunt alexandrini quod

Digitized by Google

ab alexandrinis ῥίζα *radix*, et ab Aquila, Symmacho et Theodotione κορμός *truncus*, vel potius *trunci residuum* vertitur. Quare huc redit totius membri sensus: *et egredietur* atque prosiliet *virgula ex accisa Isai arbore*, eaque trunci parte quae adhuc supererit. Quibus quantum satis est, singularis virgulae egressus eiusque origo praeter ac supra statas naturae leges ostenditur. Ac multo etiam his clarius ostenditur quae illico succedunt, וְנֵצֶר מִשָּׁרָשָׁיו יִפְרֶה. Est enim נֵצֶר ab inusitata hebraeis radice נָצַר *nituit ac laete viruit*, idemque *proprie* valet ac *germen* et *surculus*, *metaphorice* vero tam [1]) apud scriptores sacros quam [2]) profanos, *soboles* et *filius*. Porro יִפְרֶה, ex פָּרָא=פָּרָה *ferre* atque inde *fructum ferre*, notat *fructum feret*, *fructuosus erit*. Ergo subiecta integro membro potestas haec est: *et surculus ex radicibus eius* (Isai) *fructuosus erit*, novique ex eo surculi atque stolones propagabuntur. Iam si propria translatis atque res ipsae suis imaginibus substituantur, hanc oraculum sententiam fundit: *ex prostrata ac pene deleta Isai stirpe exsistet Virgo, atque ex eadem prodibit* [3]) *Emmanuel novae sobolis auctor*. Nihil vero hac coniunctione Virginis cum Emmanuele opportunius, nihilque validius quo illius origo singularis appareat, et illius primordia eximia ac plane sancta videantur. Singularis apparet origo, quum ex trunco acciso atque emortuo virens ramus ex sese non prodeat. Et eximia ac omnino sancta apparent primordia, quum hine quidem eius sint primordia, quae Israelem reficiet, et e qua flos divinus erumpet; inde vero non aliter Emmanuel tamquam princeps exhibeatur novae sobolis auctor, regnique divini contra satanae regnum institutor, ac Virgini eius-

Is. XI. 1. et XL. 24. eiusmodi nomen ῥίζαν verterint: est enim pars arboris succisae infimae radici adhaerens, quam possis aeque bene ad hanc atque ad truncum referre. Brevius Kimchi, quo auctore גֶּזַע est *arbor succisa cuius radix adhuc in terra superest*.

1) « Amant, *verba sunt Reinhardi l. c. pagg.* 4-5., hanc translationem scriptores sacri quum de prole loquuntur. Noster ipse (Isaias) auctum novis incrementis populum Deo carum appellat נצר seu *arbusculum* cap. LX. 21. Plane autem hoc modo de nobili quadam Davidis sobole vaticinatur Ieremias cap. XXIII. 5. et XXXIII. 15., eamque צמח דויד simili translatione dicit. Etiam in psalmis frequentatur haec imago, et exornatur saepe mirifice. Dominatur enim per integrum fere psalmum LXXX., et venustatem magnam habet in loco psalmi CXXVIII. ubi v. 3. hominis probi ac pii uxor comparatur cum *vite ferace*, liberi autem cum *virgulis oleaginis* feliciter succrescentibus. Atque hoc modo intellexerim quoque Zachariae formulam apud Lucam cap. I. 78., ubi ἀνατολὴ ἐξ ὕψους est *divina proles, demissa caelo progenies*; nam ἀνατολή et alibi *surculum* significat, ut in illo Zachariae prophetae cap. IV. 12. ἰδοὺ ἀνήρ, ἀνατολὴ ὄνομα αὐτοῦ, coll. cap. III. 8. et Ezech. XVI. 7., eoque modo verbum ἀνατέλλειν occurrit Hebr. VII. 14. »

2) Exempla penes scriptores profanos frequentia referunt Wetstenius ad Luc. I. 78., et Silvester De Sacy *Mémoires sur diverses antiquités de la Perse* p. 94.

3) Qui sicut heic נצר ita alibi Is. IV. 21., Zach. III. 8., VI. 12. et Ierem. XXIII. 5. nuncupatur vel absolute צמח, ἀνατολή, *germen*, vel צמח צדיק, ἀνατολὴ δικαία, *germen iustum*, aut etiam צמח יהוה, ἀνατολὴ τοῦ κυρίου, *germen Domini*.

dem genitrici hoc ipsum altero loco deferatur, quae propterea ab antiqua sobole et serpentis semine, quo fieri vehementius potest, longissime separatur.

ARTICULUS II.

De maiorum commentariis quibus divinum penes Isaiam oraculum cap. XI. 1. enarratur: eo mirifica quadam conspiratione pertinent ut virgam de Virgine accipiendam esse demonstrent: quas dotes Virgini asserant, et quo pacto has inter immaculatum eiusdem conceptum enumerent.

1023. Quum primum de commentariis cogitavi, quibus patres scriptoresque christiani propositum ex Isaia vaticinium enarrarunt, mentem continuo subiit Hieronymi interpretatio quam ille [1]) his plane verbis orditur: « Usque ad principium visionis vel ponderis Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos, omnis haec prophetia de Christo est, quam per partes volumus explanare, ne simul proposita atque disserta, lectoris confundat memoriam. » Tum [2]) pergit: « Virgam et florem de radice Iesse, ipsum Dominum iudaei interpretantur: quod scilicet in virga [3]) regnantis potentia, in flore pulcritudo monstretur. « Quibus, uti decebat, historice praestitutis [4]), subdit: « Nos autem virgam de radice Iesse sanctam Mariam virginem intelligamus, quae nullum habuit sibi fruticem cohaerentem, de qua et supra [5]) legimus: *ecce Virgo concipiet et pariet filium.* Et florem Dominum Salvatorem, qui dicit [6]) in cantico canticorum: *ego flos campi, et lilium convallium.* » Hinc ad ea accedens [7]) quae sibi philologia et eruditio vindicant, ait: « Pro *radice,* quam soli LXX. transtulerunt, in hebraico scriptum habet *geza* (גזע), quod Aquila et Symmachus et Theodotio κορμὸν interpretati sunt, idest, *truncum.* Et pro flore qui [8]) hebraice dicitur *neser* (נצר), *germen*

1) Comm. in Is. lib. IV. cap XI. pag. 155. B. opp. T. IV.

2) Ibid. pag. 155. B-C.

3) Quod chaldaicum nomen חוּטְרָא respondens hebraico חֹטֶר, notet etiam baculum regium, idemque valeat ac שֵׁבֶט, aliquot ex iudaeorum interpretibus, atque hos inter ipse etiam chaldaeus paraphrastes, חֹטֶר reddiderunt מַלְכָּא regem. Quam tamen interpretationem ad vocabuli proprietatem non esse expressam, philologi norunt.

4) L. c. pag. 155. C-D.

5) Is. VII. 14.

6) Cant. II. 1.

7) L. c. pagg. 155-156. C-E.

8) Graeca vox ἄνθος, qua usi sunt alexandrini, monente Hesychio, notat etiam βλάστησιν *germinationem* et *surculum.* Quare iidem nomen נֵצֶר Is. LX. 21. reddiderunt φύτευμα.

transtulerunt, ut ostenderent quod multo post tempore babylonicae captivitatis, nullo de stirpe David antiqui regni gloriam possidente, quasi de trunco Maria, et de Maria Christus exortus sit. Illud quod in evangelio Matthaei omnes quaerunt ecclesiastici, et non inveniunt ubi [1]) scriptum sit, *quoniam nazarenus vocabitur*, eruditi hebraeorum de hoc loco assumtum putant. Sed sciendum quod hic *neser* (נצר) per *sade* (צ) literam scribatur, cuius proprietatem et sonum inter *z* et *s* latinus sermo non exprimit. Est enim stridulus, et strictis dentibus vix linguae impressione profertur: ex qua etiam Sion urbs scribitur. Porro nazaraei, quos LXX. *sanctificatos*, Symmachus *separatos* transtulerunt, per *zain* (ז) scribuntur elementum. » Denique [2]) concludit: « Super hunc igitur florem, qui de trunco et de radice Iesse per Mariam virginem repente consurget, requiescet spiritus Domini, quia in ipso [3]) complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter: nequaquam per partes, ut in ceteris sanctis, sed iuxta evangelium quod hebraeo sermone conscriptum legunt nazaraei: *descendet super eum omnis fons Spiritus sancti.* »

1024. Quemadmodum ergo *virgae* nomen ad Virginem Hieronymus refert, ita expositionem hanc suam tum vaticiniorum comparatione quum christianorum interpretum suffragio munit atque confirmat. Et de maiorum quidem suffragio mihi videor affirmare posse, tanta illud testium nube comprobari, ut commune atque universale [4]) non immerito existimetur. Virgam enim de Virgine acci-

1) Matth. II. 23

2) L. c. p. 157. A.

3) Ioh. III. 43. et Coloss. II.

4) Quod dum affirmo, nolim quispiam credat *omnes omnino* in unam eamdemque mentem conspirasse. Aliter namque sensit caesariensis Eusebius, qui comm. in Is. XI. 1. pag. 400. in nova patrum graecorum collect. Tom. II. ῥάβδον *virgam* intellexit de Christo, qui *omnes sublimes contereret et humiliaret*. Aliter sensit Cyrillus alexandrinus comm. in Is. lib. II. Tom. I. pag. 191. opp. Tom. II. inquiens: ῥάβδον δή σὺν ὠνόμαζε τὸν ἐκ ῥίζης Ἰεσσαὶ κατὰ σάρκα Χριστόν· καὶ μὴν πρὸς τούτῳ, καὶ ἄνθος, καὶ διὰ μὲν τῆς ῥάβδου κατά γε τὸ εἰκὸς τὸ βασιλικὸν ἔχων ἀξίωμα, πλαγίως ὑποσημαίνεται. *Proinde virgam nominavit Christum de radice Iesse iuxta carnem, et praeterea etiam florem: et per virgam eum regiam dignitatem habere, oblique subindicari videtur.* Aliter sensit Procopius christianus sophista, qui comm. in Isaiam pag. 178. edit. Curterii, relatis oraculi verbis subdit: ἀντὶ δὲ τοῦ ἐκ ῥίζης, ἀπὸ κορμοῦ συμφώνως ἑρμήνευσαν οἱ λοιποί· καὶ γὰρ ἦν ἡ φυλή, καὶ πατριά, ἐξ ἧς ἦν ὁ Χριστός, ὥσπερ τις κορμὸς οὐκ ἔτι κλάδους ἔχων, τῶν ἐκ διαδοχῆς τοῦ Δαβὶδ βασιλέων ἐκλελοιπότων μετὰ τὴν ἅλωσιν τὴν ὑπὸ τῶν ἀσσυρίων· τὴν δὲ ῥάβδον, ῥαβδίον Ἀκύλας ἐξέδωκε, τοῦ Χριστοῦ δηλῶν τὸ κατὰ σάρκα μέτριόν τε καὶ ταπεινόν. *Quo loco ubi radicem habemus, magno consensu truncum reliquos vertisse reperias. Erat enim tribus ipsa, illaque adeo unde Christus prodiit familia non minus quam truncus aliquis ramorum honore spoliatus: quum iam inde ab assyriaca expugnatione in familia Davidis regum desiisset successio. Ubi autem virgam legimus, virgulam dixit Aquilas, ut Christi in carne summissionem et abiectionem significaret.* Et aliter ex latinis sensit pictaviensis Hilarius qui tractat. in Ps. II. n. 37. pag. 52. opp. T. II. sic habet: « Ipsum autem Dominum nostrum ob doctrinae suae utilem ac moderatam praedicationem *virgam* nuncupatum, ita accepimus dicente Esaia: *exiet*, inquit, *virga de radice Iesse.* » Sed hoc paucorum dissidium, nulloque idoneo argumento communitum neque impedit neque impedire potest, quominus interpretatio de Virgine communis atque sincera iudicetur.

Digitized by Google

piunt [1]) Iustinus, Hippolytus [2]), Tertullianus [3]), Novatianus [4]) et [5]) Methodius. Huic acceptioni aperte favent [6]) Lactantius, Caesarius [7]) Gregorii nysseni frater, auctores tum [8]) consultationum Zacchaei christiani et Apollonii philosophi, tum [9]) altercationis inter Theophilum christianum et Simonem iudaeum, itemque [10]) Ambrosius. Eamdem adiecto calculo tuentur [11]) Augustinus, Chrysippus [12]) et Hesychius [13]) hierosolymitani, Gregentius [14]), Maximus taurinensis [15]), Theodoritus [16]), Leo magnus [17]) et gemini cognominis [18]) Gregorius. Neque aliter censent [19]) Modestus hierosolymitanus, Isidorus hispalensis [20]), Hildephonsus toletanus [21]), Andreas cretensis [22]), Iohannes damascenus [23]), Germanus constantinopolitanus [24]), Etherius [25]) et Beatus. Cum

1) Apolog. II. n. 22. pag. 84. ubi Iustinus duo simul vaticinia iungit, alterum ex Num. XXIV. 17, et alterum ex Is. XI. 1-10. Rursum in dialogo cum Tryphone nn. 86-87. pagg. 301-302.

2) Demonstrat. de Christo et Antichristo §. VIII. pag. 420. E. apud Gallandium T. II.

3) De carne Christi cap. XXI. pag. 223. C. ubi ut Christum vere ex Maria conceptum ostendat, inquit: « An quis ipse est *flos de virga* proiecta ex radice Iesse: radix autem Iesse, genus David: virga ex radice, Maria ex David: flos ex virga, filius Mariae qui dicitur Iesus Christus, ipse erit et fructus? Flos enim fructus: quia per florem et ex flore omnis fructus eruditur in fructum. Omnis gradus generis ab ultimo ad principalem recensetur, ut iam nunc carnem Christi non tantum Mariae sed et David per Mariam, et Iesse per David sciant adhaerere. »

4) De Trinitate cap. IX. pag. 293. B-C. apud Gallandium T. III.

5) De Symeone et Anna §. X. pag. 815. B-C. apud Gallandium T. III. Heic autem manifesta ad Isaiae oraculum allusione Virgo dicitur ἡ ῥίζα τοῦ ὡραιοτάτου ἄνθους, *radix floris speciosissimi.*

6) Div. Institutt. lib. IV. cap. XIII. pag. 295. D-E. apud Gallandium T. IV. Ubi Lactantius ad Christum imagine *floris* expressum refert quae occurrunt Orac. sibyll. lib. VI. v. 8, et in app. ad eadem oracula v. 68.

Ἀνθήσει δ' ἄνθος καθαρόν.

7) Dial. IV. respons. ad interrogat. CLXXXIII. pag. 139. B-C. apud Gallandium T. VI.

8) Consultat. Zacchaei christ. et Apollonii philosophi lib. II. cap. IX. pag. 229. apud Gallandium T. IX. « In virga Mariae venerabilis monstratur integritas; in odore floris et gratia signatus est Christus, ipso in canticorum canticis *(cap. II. 1.)* hoc dicente: *ego sum flos campi et lilium convallium.* »

9) Altercat. inter Theophilum christ. et Simonem iudaeum, auctore Evagrio, pag. 252. E. apud Gallandium T. IX. « Virga enim Maria virgo fuit, quae ex semine David processit, ex qua Christus flos patriarcharum secundum carnem nascitur. »

10) In Luc. lib. II. n. 24. pag. 1289. E-F. opp. T. I. et de benedictionibus patriarch. cap. IV. n. 19. pag. 579. B-C.

11) De symbolo sermo ad Catech. cap. IV. n. 4. pag. 420. A. opp. T. VI.

12) Orat. de Virginis laudibus pag. 424. E. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II.

13) Orat. de Virginis laudibus pag. 421. D-E. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II.

14) Disput. cum Herbano iudaeo pag. 626. C-D. apud Gallandium T. XI.

15) Hom. V. de paschate pag. 27. G.-H. in max. pp. biblioth. T. VI.

16) Comm. in Is. XI. 1. p. 249. opp. T. II. P. I.

17) Serm. IV. in Domini nativit. pag. 995. G. in max. pp. biblioth. T. VII. « In qua virga (Is. XI. 1) non dubie beata virgo Maria praedicta est, quae de Iesse et David stirpe progenita, et Spiritu sancto fecundata novum florem carnis humanae utero quidem materno, sed partu est enixa virgineo. »

18) Comm. in I. Reg. cap. I. pag. 9. B-E. opp. T. III. P. II.

19) Encom. in beatam Virginem pagg. 17-21.

20) In Num. cap. XV. n. 19. p. 414. opp. T. V.

21) De assumpt. Deiparae serm. V. pag. 583. G. et serm. VI. pag. 585. B-D. in max. pp. biblioth. T. XII. et in collect. pp. tolet. T. I. pagg. 335-356-266-284-388. Accedunt quae ibidem scribit Hildaphonsus de perpetua virginit. s. Mariae capp. IV-VI. pagg. 119-126., quaeque tradit auctor coronae b. Mariae capp. XVII-XXII. pag. 421-428. Illa adde quae in Nicephori antirrheticis contra Eusebium n. XXXVI. §. I. pag. 427. T. I. spicileg. solesmensis traduntur.

22) Orat. in Deiparae nativit. pag. 180. A-B. apud Gallandium T. XIII.

22) Hom. II. in Deiparae nativ. §. II. pag. 250. C-D.

24) Orat. in Deiparae praesentat. p. 1418. C-E. apud Combefisium Auctar. T. I.

25) Adver. Elipandum lib. I. §. XXXI. p. 297. C-E. apud Gallandium T. XIII.

his insigniter concinunt [1]) Paulus diaconus, Rhabanus maurus [2]), Fulbertus carnotensis [3]), Ambrosius anspertus [4]), Nerses claiensis [5]), Hildebertus cenomanensis [6]), Petrus Damiani [7]), Anonymus canisianus [8]), Bernardus [9]), Adamus abbas Perseniae [10]), Honorius augustodunensis [11]), Amedeus lausannensis [12]), et ut finem faciam, Emmanuel [13]) paleologus. Si qua igitur Scripturarum interpretatio haberi merito potest auctoritate maiorum suffulta, eiusmodi profecto videri illa debet, qua *virgae* nomen in oraculo per Isaiam edito ad Deiparam refertur. Sed quorsum haec ad praerogativas quod attinet Deiparae, et ad illam nominatim qua eius conceptus immaculatus celebratur? Responsio sua veluti sponte ex iis dimanabit maiorum commentariis, quos e pluribus delectos subiicimus. Itaque [a]) Hippolytus relato [14]) Iacobi vaticinio, illud cum eo componit atque ex eo illustrat quod [15]) penes Isaiam habetur, inquiens: « Catulum leonis vocavit propheta, qui ex Iuda et Davide secundum carnem factus est, non quidem ex Davidis factus [16]) semine, sed qui de Spiritu sancto concipiatur et ex sancto germine e terra procedat. Quod ita Esaias effert:

a) Loc. cit. Σκύμνον λέοντος εἰπὼν ὁ προφήτης τὸν ἐξ Ἰούδα καὶ Δαυὶδ κατὰ σάρκα γεγεννημένον, μὴ ἐκ σπέρματος Δαυὶδ, ἀλλ' ἐξ ἁγίου πνεύματος συλλαμβανόμενον, καὶ τοῦτον ἐκ βλαστοῦ ἁγίου ἐκ γῆς προερχόμενον. Ἡσαΐας μὲν γὰρ λέγει· ἐξελεύσεται ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαὶ, καὶ ἄνθος ἐξ αὐτῆς ἀναβήσεται· τὸ μὲν ὑπὸ τοῦ Ἡσαΐου ἄνθος εἰρημένον, ὁ Ἰακὼβ βλαστὸν εἴρηκε· πρῶτον γὰρ ἐβλάστησεν, εἶτα ἤνθησεν ἐν τῷ κόσμῳ.

1) Serm. in Deiparae assumpt. pag. 268. B-D. apud Martenium vet. script. T. IX.

2) Lib. adver. iudaeos cap. XIX. pag. 444. B-D. apud Martenium in thesauro anecdot. T. V.

3) Serm. de Deiparae nativit. pag. 38. D. in max. pp. biblioth. T. XVIII.

4) Serm. de Virginis purificat. pag. 225. D-E. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VI. et apud Martenium vet. script. T. IX. pag. 237. D-E.

5) In evang. Matthaei pag. 53. opp. T. II.

6) Serm. III. in Domini nativit. p. 283. C-D.

7) Hom. XLVI. in Deiparae nativit. pag. 114. A-C. opp. T. II.

8) Dialog. contra iudaeos cap. XXXIII. pagg. 288-289. apud Canisium lectt. antiq. T. IV.

9) Hom. II. in evang. *Missus est*, pag. 400. A-C. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VI.

10) Epist. XXI. ad comitissam carnotensem pagg. 755-756. apud Martenium in thesauro anecdot. T. I.

11) Sigillum beatae Mariae cap. VII. pag. 1224. in max. pp. biblioth. T. XX.

12) Hom. I. de Virginis laudibus pag. 1268. F-G. in max. pp. biblioth. T. XX.

13) Orat. in Deiparae dormit. pag. 59. edit. Maraccii in Caesaribus marianis. His autem testibus suo merito adduntur Eusebius alexandrinus serm. X. περὶ τὴν Χριστοῦ γέννησιν, pag. 677. apud Mai in spicileg. rom. T. IX., Nicephorus constantinopolitanus in apologetico pro sanctis imaginibus pag. 205. apud eumdem in nova pp. biblioth. T. V. P. II., Bruno astensis sentent. lib. V. cap. I. pag. 554. opp. T. II. et Anselmus orat. LV. ad sanctam virginem Mariam pag. 274.

14) Gen. XLIX. 8-12.

15) Is. XI. 1.

16) Atqui Rom. I. 3. De Christo legimus: περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα. *De filio eius, qui factus est ex semine David secundum carnem.* Utique factus est ex semine David secundum carnem, si ratio habeatur susceptae naturae, quam ex Davide per Mariam Unigenitus accepit; sed factus non est ex semine David secundum carnem, si propitiationis modus sordesque propagatae naturae considerentur. Legesis Tillemontii mem. eccl. T. III. pag. 678. not. VI.

Digitized by Google

egredietur virga de radice Iesse, et flos ex ipsa ascendet. Quod ab Esaia flos dictum est, id Iacob appellavit germen. Primum namque germinavit, deinde floruit in mundo.» Spectari igitur Deipara haud secus potest ac veluti βλάστος ἅγιος *sanctum germen*, germen ab omni labe solutum et e quo Emmanuel virtute Spiritus sancti conceptus sanctam carnem acciperet. Consentit [1]) Ambrosius qui enarrans [2]) Elisabeth salutationem, *benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui*, scribit: «Novit sermonem suum Spiritus sanctus, nec unquam obliviscitur. Et prophetia non solum rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum. Quis est iste fructus ventris, nisi ille de quo [3]) dictum est: *ecce hereditas Domini, filii, merces fructus ventris?* Hoc est, hereditas Domini filii sunt, qui merces sunt fructus illius qui de Mariae ventre processit. Ipse fructus ventris est, flos radicis, de quo bene prophetavit Esaias [4]) dicens: *exiet virga de radice Iesse, et flos ex radice eius ascendet.* Radix enim est familia iudaeorum, virga Maria, flos Mariae Christus, qui veluti bonae arboris fructus pro nostrae virtutis processu nunc floret, nunc fructificat in nobis, nunc rediviva corporis resurrectione reparatur.» Enarrans [5]) autem [6]) Iacobi vaticinium, *ex germine, fili mi, adscendisti*, ait: «Mirifice et incarnationem eius expressit dicens: *ex germine, fili mi, adscendisti;* eo quod tamquam frater terrae in alvo Virginis germinavit, et ut flos boni odoris ad redemptionem mundi totius maternis visceribus splendore novae lucis emissus ascenderit, sicut Esaias [7]) dicit: *exiet virga de radice Iesse et flos ex radice eius adscendet.* Radix familia iudaeorum, virga Maria, flos Mariae Christus. Recte virga, quae regalis est generis, de domo et patria David, cuius flos Christus est qui foetorem mundanae colluvionis abolevit, et vitae aeternae odorem infudit.» Iungitur ergo Virgo cum Emmanuele uti *virga cum suo flore,* nec uti virga quaevis, sed uti virga quae sit *arbor bona,* e qua flos Christus *ad foetorem mundanae colluvionis abolendum,* et mundi peccatum tollendum germinavit. Haec autem *arboris bonae* appellatio, atque *haec cum Christo arctissima coniunctio* prohibent quominus Virgo foetore mundanae colluvionis afflata, aut virga [8]) culpae spinis inhorrescens censeatur.

1) L. c.
2) Luc. I. 42.
3) Ps. CXXVI. 3.
4) Is. XI. 1.
5) L. c.
6) Gen. XLIX. 8. seqq.
7) Is. XI. 1.
8) In antiquis Breviariis adscriptam Ambrosio

Digitized by Google

1025. Et sane vetustus auctor sermonis qui [1]) a maurinis inter eos numeratur quos Ambrosio adscribi consuevisse constat, quique [2]) Maximo taurinensi tribui reipsa debet, verba faciens [3]) de Christi ieiunio ait: « Hoc autem quadragenario numero se ipse Dominus exercuit, non ut profectum ipse caperet, sed ut profectum salutis nobis ostenderet. Nec enim erat in illo spina peccati, quae verteretur in florem; ipse enim erat flos natus non de spina, sed de virga, sicut ait [4]) propheta: *exibit virga de radice Iesse et flos de radice eius ascendet:* virga enim erat Maria, nitida, subtilis et virgo, quae Christum veluti florem integritate sui corporis germinavit. » Numquam igitur *ad spinas* Maria pertinuit, sed *virga* semper fuit *nitida atque subtilis,* et cuiusmodi eam esse oportebat, e qua *flos Christus* erumperet. Quod Chrysippus hierosolymitanus presbyter luculentissime significavit, quum [a]) orationem de Virginis laudibus his omnino verbis exorsus est: « Virgam Iesse semper virentem, quae universo hominum generi vitam pro fructu attulit, omni quidem tempore

a) Loc. cit. Τὴν ἀειθαλῆ ῥάβδον Ἰεσσαὶ, τὴν ὅλῳ τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει καρποφορήσασαν τὴν ζωὴν, ἐν παντὶ μὲν πρέπει χρόνῳ μακαρίζειν, θαυμάζειν, ἀνευφημεῖν.

legimus hanc sententiam, *haec est virga, in qua nec nodus originalis nec cortex actualis culpae fuit.* Hanc ipsam sententiam usurpatam videmus in Officiis conceptionis tum quod Leonardus Nogarolia Sixto IV. obtulit anno MCDLXXVI., tum quod Bernardinus de Busto circa annum MCDLXXXIX. evulgavit. Porro Bernardinus de Busto non in Officio solum atque in *Mariali* P. II. serm. V. de concept. pag. 19. hac sententia usus est, sed illis praeterea auctoritatem conciliavit testimonio Michaelis de Carcano qui claruit circa annum MCDLX., quiqua publice solemniterque confirmavit, *istam auctoritatem se vidisse in quodam libello sancti Ambrosii antiquissima, adeo quod nimia vetustate incipiebat consumi.* Forte fuit commentarius ab Ambrosio in Isaiam editus, cuius ipsemet meminit lib. II. comm. in Luc. cap. II., cuius meminit Augustinus de nuptiis et concupisc. lib. I. cap. XXXV. et con. duas epist. Pelag. lib. IV. cap. XI., quique in praesentia desideratur.

1) Serm. XXVII. de sancta quadragesima XII. p. 430. opp. T. II. in app.

2) Sic enim habet romanus operum Maximi editor in admonitione sermoni praefixa p. 110: « Ab usitato editorum ordine hic recedimus, ut hanc homiliam inter priores *de quadragesima* referamus. Nos non tam aliquorum codicum auctoritas permovet, quam ipsius homiliae ratio. Nam sanctus Maximus de ieiunii quadragesimalis praecepto adimplendo agit. Profecto titulus codicis vaticani 1278. p. 9. est huiusmodi: *in dominica quadragesimae sermo s. Maximi episcopi;* alterius quoque codicis vaticani 6452. p. 3. *in dominica quadragesimae sermo s. Maximi episcopi.* In reliquis quot codices, tot diversae inscriptiones. Nam vaticanus 1268. p. 56. praefert, *de ieiunio quadragesimae:* codex 90. sanctae Crucis in Ierusalem homil. XXXIX. *de sancta quadragesima:* duo codices modoetienses, *in quadragesima sermo beati Maximi episcopi:* item codex bobiensis L. †, lucensis 85. *in dominica in quadragesima:* laurentianus I. plut. XIV. p. 108. a tergo, *sermo sancti Maximi unde supra,* ac praecedit homiliam *in die cinerum:* codex bibl. sancti Marci venet. DLIII. p. 200. *item de quadragesima sermo sancti Maximi episcopi:* codex tandem taurinensis, *item de quadragesima sermo III.* Si tot, tantaeque auctoritates mss. codicum benedictinos monachos congregat. s. Mauri non latuissent, profecto certius hac de homilia iudicium pronunciassent. Cum vero ipsis tres tantum praesto fuerint codices, remigianus et duo germanenses, qui inscriptum s. Maximi nomen gerebant, dubitanter de eo pronunciarunt. Vid. edit. opp. s. Ambros. Paris. 1690. T. II. p. 429. in praef. serm. XXVIII. Itaque corrigenda inscriptio est in veteribus editionibus opp. s. Ambrosii, parisien. 1569. et 1603, et romana 1590. »

3) Hom. hiem. XXXVIII. de quadragesima II. pag. 112. C-E.

4) Is. XI. 1.

Digitized by Google

beatam praedicare, admirari et laudibus extollere convenit. » Neque enim *semper* Deipara viruisset, si quando rigore culpae arefacta viriditatem omnem perdidisset.

1026. Haec autem ab ea numquam deperditam, satis innuit [1]) Gregorius gestis et nomine magnus, qui ut principio ostendat Virginem cum *monte* iure suo, suaque praerogativa conferri, scribit: « Potest autem huius montis nomine beatissima semper virgo Maria Dei genitrix designari: mons quippe fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros usque ad solium deitatis erexit? Huius enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias [2]) vaticinans ait: *erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.* Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit. » Tum [3]) pergit: « Nam sicut *mons* altitudinem, ita *domus* designat habitationem. Mons quippe et domus apte dicitur, quae dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Unigenito in quo recumberet, sacrum praeparavit uterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra angelorum altitudinem, hanc divina fecunditas non levaret. Et domus Domini non fieret, si in eius ventre per assumptam humanitatem Verbi divinitas non iaceret. » Quibus [4]) e vestigio addit: « Sed recte mons frugifer dicitur, de qua optimus fructus, idest novus homo generatur, quam certe in fecunditatis suae gloria pulcram ornatamque propheta respiciens [5]) ait: *egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* De huius namque montis fructu David Deo exsultans [6]) ait: *confiteantur tibi populi Deus, con-*

1) L. c. « De auctore huius commentarii, *ut in praefatione maurini notant*, tres omnino sunt sententiae. Prima est, Gregorium magnum pro vero indubitatoque ipsius parente habendum esse. Hanc sequuti sunt quotquot in edendis doctoris eximii operibus a centum et quinquaginta fere annis, excepto dumtaxat uno Gussanvillaeo omnium novissimo, desudarunt. Secunda sententia huic omni ex parte contraria est Petri Gussanvillaei commentarium hunc ex gregorianorum operum censu prorsus expungentis, licet ipsius nomen in gussanvillaeana editione, quod hic non dissimulandum, adhuc retinuerit. Fatetur tamen vir aequissimus dignissimam esse Gregorio commentationem hanc in librum 1. Regum, quod satis innuit his verbis quibus eius iudicium censoriumque decretum absolvitur: *utinam tam pium, tam sanctum opus sancto Gregorio vindicare possemus, salva veritate.* Tertia sententia inter utramque fere media et laudatum commentarium ex homiliis a sancto Gregorio habitis de libro 1. Regum, collectum et consarcinatum esse a Claudio eius discipulo monasterii classensis abbate. In hanc sententiam propendent plerique viri docti, maxime Thomassinus discipl. ecc. P. II. lib. II. cap. XXVIII. n. 2. et Ludovicus Ellies du Pin biblioth. nov. script. eccles. T. IV. seu seculo VI. in Gregorio magno. Hac media via tutissimi ibimus. »

2) Is. II. 2.

3) Ibidem.

4) Ibidem.

5) Is. XI. 1.

6) Ps. LXVI. 6.

fiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum. Terra quippe fructum suum dedit, quia quem Virgo peperit, non concepit materiali opere, sed sancti Spiritus obumbratione. Hinc eidem regi et prophetae a Domino [1]) dicitur: *de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hinc Isaias [2]) ait: *erit fructus terrae sublimis.* Nam quem Virgo genuit, non solum homo sanctus fuit, sed etiam potens Deus. De hoc fructu ad eamdem beatam Virginem, Elisabeth salutante [3]) dicitur: *benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* » Ac demum [4]) concludit: « Recte igitur mons Ephraim dicitur, quae dum ineffabili dignitate divinae generationis attollitur, in eius fructu arida humanae conditionis germina reviresceunt. » Fieri autem nullatenus potuit, ut universali transgressione innodata vitio originalis culpae inficeretur, *quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit: quae meritorum verticem supra omnes angelorum choros usque ad solium deitatis erexit: quae praedestinata caelitus fuit, ut optimum fructum, novumque hominem generaret: quae numquam nisi cum suo flore iuncta atque cohaerens exhibetur: et quae in suo semine perque suum semen effecit ut arida humanae conditionis germina revirescerent.*

1027. Quare de ipsa loquens [a]) Modestus hierosolymitanus scribit: « Tamquam semper florens virga Iesse progerminavit in carne divinum germen Patris, cuius magnitudo infinita et incomprehensibilis pulcritudine, ubertate et communione fructuum, caelestes delectat sanctas potestates, chorumque sanctorum, ut cum fiducia prae omnibus ipsius videant iucunditatem. » Si qui ergo nosse ament, cuiusmodi virga fuerit Deipara, hi oculos in germen convertant quod ex ea prodiit. Ex ea autem prodiit *divinum germen Patris.* Fuit ergo Deipara non indigna tanto germine virga, fuit *virga semper florens* nec umquam peccati labe vitiata. Hinc [5]) auctor libri de ortu et obitu patrum scribit: « Maria, quae inter-

a) Loc. cit. Ὡς ἀειθαλὴς ῥάβδος Ἰεσσαὶ προσανεβλάστησεν ἐν σαρκὶ θεόφυτον ὄντα τοῦ πατρὸς, οὗ τὸ μέγεθος ὑπεράπειρον καὶ ἀκατάληπτον, τέρπον τῇ ὥρᾳ καὶ μεθέξει τῆς ἐπικαρπίας τὰς οὐρανίους ἁγίας δυνάμεις, καὶ τὸν χορὸν τῶν ἁγίων, ἰδεῖν ἐν παῤῥησίᾳ ὑπὲρ πάντας τὴν αὐτοῦ τερπνότητα.

1) Ps. CXXXI. 11.
2) Is. IV. 2.
3) Luc. I. 42. Ibidem.
4) Loc. cit.
5) De ortu et obitu patrum n. 36. pag. 386., inter opp. Isidori hispalensis T. VII. app. XX.

pretatur *Domina*, vel *illuminatrix*, aut *stella maris* sive *stella*, stirpe clara, David regis filia, Iesse virga, rosa sine spina, oliva alma, columna aurea, solis aurora, feminarum regina, Salvatoris sponsa, Dei vivi filia, principis ancilla alti, hortus conclusus, fons signatus, Trinitatis thalamus, mater Domini omnipotentis, mater solis et floris, mater agni et leonis, mater vitae et vitis, mater lucis et pacis, mater viae et veritatis, mater servi et regis, mater Dei et hominis, mater pastoris et panis, templum Dei, sacrarium Spiritus sancti. » A qua descriptione mirum quantopere abhorreat originalis lues quae Virginem depravarit. Hac enim lue depravata Virgo neque *virga sine spinis* merito censeretur: neque filia [1]) Dei vivi κατ' ἐξοχὴν diceretur: neque iis celebraretur aucta denis quibus ad Deum quam proxime accedens creaturas prorsus omnes infinito propemodum intervallo superaret.

1028. Immo neque conferri in ipsam possent, quae Germanus constantinopolitanus antistes usurpat. Principio enim [a]) Zachariae Annam alloquenti dum ea Virginem triennem obtulit, haec tribuit verba: « Benedicta radix tua, o summe veneranda: gloriosus uterus tuus, o viro amata: supergloriosa oblatio tua, o Deo dilecta. » Tum eumdem [b]) sistit Zachariam ita Virgini gratulantem: « Adesdum meae absolutio prophetiae: huc ades Domini ordinationum finis: ades obsignatio eius testamenti, ades ipsius consiliorum terminus: ades declaratio eius sacramentorum: ades universorum speculum prophetarum: ades collectio male dissonantium: ades coniunctrix olim dissidentium: ades firmamentum in terra nutantium: ades instauratio iam inveteratorum: ades splendor in tenebris iacentium: ades maxime novum divinumque donarium: ades terrigenarum omnium Domina. » Fuit igitur Virgo [2]) *radix in ipso benedicta,* atque ita

a) Orat. in Deiparae praesentat. l. c. Εὐλογημένη ἡ ῥίζα σου, πάντιμε· δεδοξασμένη ἡ μήτρα σου, φίλανδρε· καὶ ὑπερένδοξος ἡ προσαγωγή σου, φιλόθεε.

b) Ibidem. Δεῦρο πλήρωσις τῆς ἐμῆς προφητείας· δεῦρο τέλεσμα τῶν συνταγῶν κυρίου· δεῦρο σφράγισμα τῆς αὐτοῦ διαθήκης· δεῦρο τὸ πέρας τῶν αὐτοῦ βουλευμάτων· δεῦρο δήλωσις τῶν αὐτοῦ μυστηρίων· δεῦρο δίοπτρα τῶν προφητῶν ἁπάντων· δεῦρο συλλογὴ κακῶς διαφωνούντων· δεῦρο σύναψις τῶν πάλαι διεστηκότων· δεῦρο στήριγμα τῶν κάτω νενευκότων· δεῦρο καινισμὸς τῶν πεπαλαιωμένων· δεῦρο τὸ σέλας τῶν ἐν σκότει κειμένων· δεῦρο δώρημα καινότατον καὶ θεῖον· δεῦρο δέσποινα τῶν γηγενῶν ἁπάντων.

1) Neque enim alio sensu videtur dici *filia Dei vivi*, nisi qui e regione alteri respondeat quo universi Adae posteri *irae filii* nuncupantur.

2) Haec respondent verbis de Christo dictis, *benedictus fructus ventris tui*; et rursum, *beatus venter qui te portavit*.

Digitized by Google

benedicta ut numquam vetustatem persenserit, numquam in tenebris iacuerit, numquam a Deo discreparit; sed contra tamquam *donum maxime novum ac divinum* emerserit, ut divinae oeconomiae finem imponeret, sanctum Dei testamentum obsignaret, hominesque cum Deo rursum coniungeret. Quare ex duobus alterutrum statuatur oportet, vel idoneas deesse imagines quibus immaculatus Virginis conceptus mentis oculis subiiciatur, vel eas a Germano fuisse adhibitas quae illum luculentissime repraesentent. Neque dissimiles videri illae possunt quas [1]) Paulus diaconus usurpavit de Virgine scribens: « Hanc egregiam Virginem gloriosissimus prophetarum Isaias ante multa annorum curricula praesago spiritu praevidens [2]) dixit: *egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Et quam decenter, carissimi, beata haec Virgo et mater *virgae* appellatione signata est, quae et perfecti operis intentionem ad superna emicuit, et vitiositatis nodis funditus carens, flexibilis per humilitatem effulsit. Inde non immerito florem protulit, quia totius orbis campos sacris floribus decoravit. Flos namque singularis est Dominus noster Iesus Christus, sicut ipse [3]) aiens in canticorum loquitur cantico: *ego flos campi et lilium convallium.* » Audin' Virginem *vitiositatis nodis funditus caruisse?* Atqui his funditus non caruisset, si ex vitiata Adami radice, vitiatus et ipsa surculus germinasset. Accepit ergo ab Adamo naturam, sed ideo naturae vitium non accepit, quod esset Christum florem prolatura.

1029. His autem ultro fidem adiungent qui animum ad ista adverterint quibus [4]) Petrus Damiani natalem Virginis diem extollit inquiens: « Hodie prodiit ex utero matris quae templum fieri meruit divinitatis. Hodie impleta est prophetia illa quam eximius prophetarum Esaias quasi praeco factus ad adventum reginae mundi magna voce [5]) clamabat dicens: *egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* Et bene haec incomparabilis Virgo *virga* dicitur, quae et per intentionem [6]) desiderii ad superna emicuit, et per sinceritatem boni operis distortae nodositatis vitium non incurrit. De qua virga redemptor noster quasi flos ascendit, qui martyribus et confessoribus suis totius orbis campos veluti rosis et liliis decoravit.

1) L. c.
2) Is. IX. 1.
3) Cant. II. 1.
4) L. c.
5) Is. XI. 1.
6) Haec ad illa expressa sunt quae ex Paulo diacono retulimus.

Digitized by Google

Singularis namque flos sanctae ecclesiae ipse est, sicut de semetipso in Canticis canticorum loquitur [1]) dicens: *ego flos campi et lilium convallium.* » Et [2]) mox: « Lilium vocatur Christus, lilium dicitur et mater Christi, sicut in eodem cantico [3]) subinfertur: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sicut lilium inter spinas, sic beatissima virgo Maria enituit inter filias: quae de spinosa propagine iudaeorum nata, candescebat munditia virgineae castitatis in corpore, flammescebat autem ardore geminae caritatis in mente, flagrabat passim odore boni operis, tendebat ad sublimia intentione continua cordis. » Huc igitur redit Virginis imago, ut ea sit credaturque *virga quae per sinceritatem boni operis distortae nodositatis vitium non incurrerit, quae sicut lilium inter spinas enituerit, quaeque de spinosa propagine iudaeorum nata* nihil prorsus spinarum contraxerit. Haec autem imago est Virginis, quae nec ullo umquam fuerit actuali peccato corrupta, nec umquam originis labe vitiata. Quod postremum multo etiam evidentius expressit [4]) Petrus Damiani scribens: « Germinat igitur virga Iesse de tortuosa radice generis humani, et de patriarcharum arbore in altitudinem et rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem, filiorum tenebras nescit, infructuosa quaeque non habet. » Ad Virginem ergo quod attinet, mirifice cohaerent *vita immaculata* et *origo immaculata:* et si ipsa *infructuosa quaeque non habet, omnem pariter ignorat humani generis nodositatem, et filiorum* qui ex Adamo propagantur, *tenebras nescit.* Quod antiquus auctor sermonis de sancta Maria toletano Hildephonso tributi ea perspicuitate confirmat, ut vix maior expeti posse videatur. Postquam enim [5]) benignum explicavit consilium, quo Deus protoparentes condidit, eximiisque donis cumulavit, illico [6]) subdit: « Sed auctor mortis hanc reparationem [7]) invidens, fontem rudem humani generis, tamquam rivulos nativitatis per arva spargeret, venenum suae mortis immiscere festinavit. Sic ergo genus humanum, quasi unam arborem adhuc in radice teneram, tamquam in propaginis prole prodire, vitiavit. Inde est ergo, quod radix vitiata quotidie indesinenter frondet, frondesque eius indesinenter per mortem marce-

1) Cant. II.
2) Ibidem.
3) Cant. II.
4) Serm. XI. de Virginis annuntiat. p. 25. B-C. opp. T. II.
5) Serm. de s. Maria pag. 384. col. 2. A-C. in collect. pp. tolet. T. I.
6) Ibid. pag. 384. col. 2. C-E.
7) Reparationem significat angelorum qui ceciderant per homines obtinendam.

Digitized by Google

scunt: et saepe contingit quod aurum fulgens reperiatur in luto, et ex pungenti spina pulcra rubens oriatur et rosa. Hoc enim operante providentia divina, ex radice vitiata sine vitio [1]) prodiit virga quae intelligitur beatissima virgo Maria, attestante Isaia propheta qui dixit: *exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet.* » Audis cuiusmodi in sua origine fuerit Virgo? Reliqui prorsus homines sunt *instar luti*, ipsa *uti aurum fulgens* apparuit: reliqui prorsus homines sunt *pungentis instar spinae*, ipsa *uti pulcra atque rubens rosa* effloruit: reliqui prorsus homines ex radice vitiata vitiati subolescunt, ipsa *sine vitio* prodiit.

1030. De quo Virginis ornamento non minus egregia habet Adamus Perseniae abbas, qui [2]) sermonem de annuntiatione his verbis orditur: « *Egredietur* [3]) *virga de radice Iesse, et flos de radice*

1) Ad quam Virginis originem nullo infectam vitio haec pertinent quibus illam Anselmus exorat orat. LV. pag. 284: « Da mihi virtutem te cum precibus obnixe laudandi, per merita tuae sacratissimae nativitatis, quae nata es in mundum universae christianitati gaudium, spes vitae et solatium. Quando nata es, Virgo sanctissima, tunc illuminatus est mundus. Stirps beata, radix sancta, et benedictus fructus tuus, quae sola meruisti Spiritu sancto plena Virgo Deum concipere, Virgo Deum portare, Virgo parere, Virgo post partum permanere. Sancta Dei genitrix, florens ut lilium, ora tuum dulcem natum pro me misero peccatore. » Atque haec denuo pertinent quibus eam alloquitur auctor coronae b. Mariae cap. XXII. pag. 428. in collect. pp. tolet. T. I. inquiens: « Tu virga Iesse gracilis, extenuata caelestibus disciplinis, virga aromatizans fragrantiam caritatis et sanctitatis, virga dominationis et virtutis, confusionem in domo Nabucodonosor, idest, diaboli fecisti, cum virgam tyrannicam eius confregisti, extinguens Holofernem ipsius principem, principatum et dominationem eius a nobis evacuando, crudele iugum eius a facie olei fecisti computrescere, et ab oppressione nostra sceptrum durissimum deperire. Et ideo beatissima ab omnibus praedicaris, per quam salus datur mundo, gaudium caelo, honor et gloria Deo, pax peccatoribus, spes lapsis, lux caecis, ecclesiae gratia et benedictio, iustis perpetua beatitudo. »

2) Serm. in Deiparae annuntiat. pagg. 11-12. edit. Maraccii.

3) Is. XI. 1. De quo Isaiae oraculo in adiectis adnotationibus pagg. 158-161. Maraccius scribit: « Hunc Esaiae locum ad Mariam Deiparam virginem spectare affirmant Tertullianus in lib. de carne Christi et lib. IV. adver. Marcionem, s. Gregorius Thaumaturgus Orat. I. in annunt. b. Virginis, s. Ambrosius in lib. de benedict. patriarcharum cap. IV. et in lib. de institut. virginum cap. IX., s. Augustinus serm. II. de tempore, et lib. III. de symbol. ad catech. cap. IV., s. Ioh. Chrysostomus in Ps. XXII., s. Leo papa serm. IV. de nativit. Domini, s. Ephraem syrus in orat. de laud. Virginis, s. Hieronymus in cap. IX. Isaiae, et in epist. ad Eustochium de custod. virginitatis, s. Gregorius magnus in lib. I. Reg. cap. I., s. Germanus constantinopolitanus orat. in natal. Deiparae, Cosma hierosolymitanus hymno I. in theogoniam, Damascenus orat. I. et II. de nativit. Virginis, Chrysippus in orat. de Deipara, Eusebius emisenus hom. in festo visitationis, Paulus diaconus serm. II. de beata Virgine, Ambrosius anspertus hom. in festo purificationis, Georgius nicomediensis orat. de praesent. Deiparae, Idiota in contemplat. b. Virginis, Isidorus hispalensis in comm. super lib. Num. cap. XV., et in allegoriis N. T., s. Hildephonsus serm VI. de assumpt. et in lib. de virginit. s. Mariae cap. III., Iohannes Geometra serm. in annunciat. b. Virginis, Vigilius tridentinus lib. III. adver. Eutychem, Eusebius serm. II. de laudibus Virginis, Venantius Fortunatus eleg. in laud. s. Mariae, Eleutherius tornacensis serm. in festum Annunciationis, s. Anselmus in tract. de concept. b. Virginis, s. Bruno carthusianus serm. I. de laud. Virginis, Rupertus abbas lib. II. in Isaiam cap. VI., lib. I. in Cant., lib II. in Matth., et lib. XI. de victoria verbi Dei cap. VIII., b. Petrus Damianus serm. in annunciat. et serm. in assumt. b. Virginis, Amedeus lausannensis hom. VIII. de laudibus Virginis, s. Bernardus hom. II. de adventu, hom. II. super *Missus est*, serm. in *signum magnum*, et serm. II. in die pentecostes, Petrus blesensis serm. I. in adventu Domini, Philippus abbas lib. I. in Cant. cap. XVI., Honorius augustodunensis in sigillo b. Mariae, Fulbertus carnotensis in versiculis de b. Virgine, Radulfus ardens hom. I. in annunciat. et hom. I. in nativit. b. Mariae, Innocentius Papa III. in encomio de beatissima Virgine Maria, Albertus magnus in biblia Mariae, in

Digitized by Google

eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini. Senescente iam seculo, auctor seculi ad reparandum hominem apparere dignatus est. Antiquabatur et senescebat miser mundus, et propinquabat ad interitum. Pereunti mundo mira se novitate antiquus dierum opposuit, iuxta [1]) Ieremiae vaticinium novum faciens super terram, ut femina circumdaret virum gremio uteri sui. Dum itaque per hanc novitatem nostrae vetustatis senium detersit, in nova nos immortalitatis suae luce reparavit. Reparavit inquam misericorditer quod creavit potenter. » Iamvero [2]) pergit: « Huic tanto operi necessaria erat virga de radice Iesse, ex qua nasceretur fructus qui gustatus non inferret mortem, sed reformaret ad vitam. In antidotum ergo prioris arboris, cuius fructus mortem intulit, de virgulto davidicae stirpis hanc vitam fructificans virga processit: virga haec virgo Maria est, fructus virgae Virginis partus. In tantam arborem crevit haec virga, ut communis salutis fructum proferens, dum mater omnipotentis efficitur, et angelorum regina et seculorum Domina praedicetur. « Sed ita ne ut ipsa quoque *in suis primordiis* ad senectutem miseri mundi spectarit? Ita ne [3]) ut ipsa quoque detergendum nostrae vetustatis senium contraxerit? Nihil profecto minus, quum proprium *nostrae virgae decus* fuerit, ut primae arboris esset *antidotum,* et una cum germinante ex ipsa fructu pereunti mundo salutem conciliaret. » Quare Virginem alibi [4]) Adamus invocans ait: « O virgam de radice Iesse! O Virginem omni laude dignissimam, quae dum absque sui defloratione hunc florem protulit angelorum, corda et hominum suavitate mirifica satiavit! Hacc nobis est inter seculi fluctus, inter maris procellosi naufragia praesidium singulare.

Is. prophetam et in postillis super cap. X. Lucae, s. Thomas aquinas serm. I. in annunciat. Virginis, s. Bonaventura in speculo b. Virginis cap. III., et in exposit. super *salve regina*, Hugo de s. Victore lib. IV. erudit. theolog. miscell. II. tit. XXVII., Hugo de s. Caro in cap. XI. Isaiae, s. Antoninus in summa theolog. III. p. tit. XXXI. capp. III-IV., Trithemius abbas lib. I. de miraculis b. Virginis in Dittelbach. cap. X., Iohannes Picus carthusianus lib. I. in Cant. cap. XIII., b. Thomas a Villanova conc. II. de nativit. b. Virginis, s. Birgitta in serm. de excellent. b. Virginis cap. XI., Richardus a s. Laurentio lib. V. de laud. Virginis col. 281., Mauritius de villa probata in corona b. Virginis serm. III., et ut alios omittam, Richardus a. Victoris qui de comparatione Mariae *ad virgam* et Christi *ad florem* insignem tractatum composuit. Hinc Ecclesia graeca in Menaeis die XXIV., Martii Mariam vocat *virgam mysticam, quae germinavit florem divinum de radice Iesse palam exortum.* Et ibidem die XXV. Iulii, *virgam praefloridam et omni praedicatione maiorem, quae ex se attulit florem qui numquam marcescit.* » Hucusque Maraccius, qui licet sincera subditiciis nothisque commisceat, illud tamen praeclare ostendit, Isaiae oraculum mira quadam christianorum conspiratione de Emmanuele iuxta ac de Virgine fuisse intellectum.

1) Ierem. XXXI.

2) L. c. pag. 12.

3) Sunt hae originalis culpae periphrases.

4) Epist. XXI. ad Comitissam carnotensem pagg. 755-756. apud Martenium in thesauro anecdot. T. I.

Digitized by Google

Ipsa est naufragis portus, desolatis solatium, moestis consolatio, reparatio perditis, languentibus medicina. Est enim haec virga flexibilis, porrecta, gracilis, recta, levis, fructifera, fertilis, odorifera et suavis: flexibilis per misericordiam: porrecta per excellentiam: gracilis per humilitatem: recta per aequitatem: *levis per peccati immunitatem:* fructifera per fecunditatem: fertilis per virtutum plenitudinem: odorifera per opinionem: suavis per amorem. In istam respice, amplectere istam, istam lauda et dilige, quia cui Maria advocata esse voluerit, contra omnes inimicitias praevalebit. » Sunt igitur numero quidem innumerae, praestantia vero incomparabiles dotes, quibus Virgo enitescit; sed *peccati immunitas* harum omnium basis est supremumque fundamentum. Huic fundamento innixa Virgo in eam excrevit altitudinem, quam suspicere quidem stupentes possumus, dimetiri autem non possumus.

1031. Alia lubens sepono quae huc facile ex orationibus transferri possent [1]) Basilii seleuciensis, Pseudo-Epiphanii [2]) et [3]) Nicetae paphlagonis; iisque memet contineo quae tradunt Georgius nicomediensis et vulgatus Anselmus. Georgius itaque postquam [4]) Ioachimi et Annae virtutes ad caelum evexit, abruptum tantisper orationis filum resumens [a]) pergit: « Quippe decebat ut demum *(quo Maria intelligitur)* omni in creatis comparatione maius ex super-

a) Loc. cit. pagg. 1063. C-E. Ἔδει γὰρ ἐξ ὑπερεχούσης ἐκλογῆς τὴν ἀσύγκριτον ἐν γεννητοῖς παραχθῆναι δωρεάν· ἔδει ἐξ ἀφθόνων ἀρετῶν τὸν ὑπεράγιον ἐπιβρύσαι πλοῦτον· ἔδει ἐκ ῥίζης εὐγενοῦς εὐγενέστατον ἐκφυῆναι βλαστόν· ἐξ ἀγαθῆς ὀσφύος ἀγαθώτατον ἀναδοθῆναι κλῆμα, τὸ ἀειθαλὲς τοῦ γένους ἐγκαλλώπισμα· τὸ ὑψιγενὲς τοῦ μυστηρίου στέλεχος, ἐξ οὗ τὸ τῆς ἀθανασίας ἀναδραμὸν ἄνθος, τὴν ἀΐδιαν διέπνευσεν εὐωδίαν· οὗ ὁ καρπὸς ζωὴ καὶ ἀφθαρσία καὶ διαμονὴ τοῖς μετέχουσι πᾶσιν ἐγγίνεται.

1) Orat. in sanctiss. Deiparam pag. 590. C. apud Combefisium Auctar. T. II.

2) Orat. de laudibus Virginis pag. 292. inter opp. Epiphanii T. II. Iuverit etiam contulisse quae Maroccius in libro de Pontificibus maximis marianis adducit tum cap. LI. pag. 94. ex Innocentio III., tum cap. LXVII. pag. 136. ex constitutione qua Bonifacius IX. festum Visitationis ab Urbano VI. institutum comprobavit, et in qua post alia legimus: « Igitur pii Patris qua nos dilexit caritas, temporis veniente plenitudine, Verbum aeternum sub forma servi carnem nostrae mortalitatis assumere decrevit, ut eadem mortem nostram moriendo destrueret, ac damnationis sententiam simul et maculam, quem per reatum primi hominis, generis humani posteritas incurrisse noscebatur, clemens Verbi aeterni bonitas aboleret. Quapropter de claro stirpe regia davidica praeelegit Virginem in cuius utero, mystico spiramine Verbum ipsum carnem susciperet, ut egrederetur iuxta verbum propheticum, virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascenderet, et requiesceret Spiritus Domini super eum; perfectam reginam, inclytam matrem eligens quae tanto regi digna fuit sui corporis thalamum praeparare, de quo tamquam sponsus prae filiis hominum procederet speciosus. Virgo regia, venustissima a Domino conservata, flos sanctitatis, vas caelestis gratiae mundissimum, omnium virtutum floribus redimita, cuius pulchritudinem sol et luna mirantur, redemptorem gentium Virgo concepit, datura lucem gentibus sub mortis caligine constitutis. »

3) Orat. in Deiparae nativit. p. 437. A. apud Combefisium Auctar. T. III.

4) Orat. in Deiparae conception. et nativit. pagg. 1062-1063. apud Combefisium Auctar. T. I.

Digitized by Google

excellenti electione prodiret: decebat ut ex effluenti virtutum penu sanctissimae illae scaturirent divitiae: decebat ut ex ingenua radice summe ingenuum pullularet germen, ex bonis lumbis optimus palmes surgeret, semper virens vigensque illa generis gloriatio, pulcherrimum illud naturae germen, altigenus ille sacramenti ramus ex quo ascendens immortalitatis flos aeternam odoris suavitatem perspiravit, cuius fructus efficitur vita et incorruptio ac perseverantia iis qui eiusdem participes fiunt. » Hoc igitur a reliqua Adami propagine Virgo distat, quod quum illa *expoliata* atque *saucia* concipiatur, haec ex effluenti virtutum penu *ditissima* prodiit: quod quum illa *deformis* atque *captiva* primum existat, haec tamquam *pulcherrimum germen* et *surculus maxime ingenuus* erupit: et quod quum illa *peccati halitu* corrupta oriatur, haec *numquam nisi vivax ac florens* apparuit. Qua oppositione Virginis conceptus cuiusvis expers labis et penitus immaculatus ad evidentiam usque demonstratur.

1032. Cuius evidentiae splendore perculsus vulgatus Anselmus [1]) post alia de Virgine scribit: « De ipsa quippe multis seculis ante ortum eius vel conceptum, Isaiam [2]) Spiritu sancto afflatum dixisse constat: *egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini.* Haec itaque *virga* quae talem ex se protulit florem, nullo dissentiente, Virgo Maria fuit; et flos qui de radice eius ascendit, benedictus filius super quem et in quo omnis plenitudo divinitatis essentialiter requievit. Haec igitur Virgo tanti filii dignissima parens quum in alvo suae parentis naturali lege conciperetur; quis non concedat Dei sapientiam a fine usque ad finem pertingentem, cuncta implentem, cuncta regentem, novo quodam et ineffabili gaudio caelum, terram et omnia quae in eis sunt, perfudisse; ac ineffabili iubilatione pro sui reintegratione, quam per illam sibi eventuram divina et occulta inspiratione praevidebant, perlustrasse? Sed quum ipsa conceptio fundamentum fuerit habitaculi summi boni, si peccati alicuius ex primae praevaricationis origine maculam traxit, quid dicemus? Utique voce divina dicitur [3]) ad Ieremiam: *priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de ventre, sanctificavi te, et*

1) Tract. de concept. beatae Mariae Virginis pag. 500. B-E.

2) Is. XI. 1.

3) Ierem. 1. 5.

Digitized by Google

prophetam in gentibus dedi te. De Iohanne quoque angelus qui eum nasciturum pronunciabat, asseruit [1]) quod Spiritu sancto repleretur adhuc ex utero matris suae. Si igitur Ieremias quia in gentibus erat propheta futurus, in vulva est sanctificatus; et Iohannes Dominum in spiritu et virtute Eliae praecessurus, Spiritu sancto est ex utero matris repletus: quis dicere audeat singulare totius seculi propitiatorium, ac Filii Dei omnipotentis dulcissimum reclinatorium mox in suae conceptionis exordio Spiritus sancti gratiae illustratione destitutum? Testante vero [2]) Scriptura, *ubi Spiritus, ibi libertas:* a servitute igitur omnis peccati libera fuit, quae omnium peccatorum propitiatori aula, in qua et ex qua personaliter homo fieret, Spiritus sancti praesentia et operatione construebatur. »

ARTICULUS III.

De liturgicis ecclesiasticisque monimentis quibus caeleste oraculum Is. XI. 1. de Virgine intelligendum esse significatur: periphrases et commentarii quibus Virginis dotes explanantur, atque illa inprimis explanatur quae praerogativa immaculati conceptus comprehenditur.

1033. Christiana interpretatio caelestis penes Isaiam oraculi, quam superiori articulo complexi sumus et perspicuo maiorum suffragio comprobavimus, uberiori quadam lucis accessione perfunditur splendidiusque innotescit, si ad ea animus advertatur quae liturgicis atque ecclesiasticis monimentis continentur. Aegre enim alterum reperias Scripturae effatum, quod in hisce monimentis aut usurpetur frequentius, aut maiori consensione ad Deiparam referatur. Ut enim a latina ecclesia initium ducam, Isaiae vaticinium usurpatur et ad Virginem luculenter refertur [3]) in Missali gothico et [4]) gallicano, in [5]) Gregorii Sacramentario et [6]) in Missali mozarabico: itemque usurpatur et ad Virginem refertur tum [7]) in vulgatioribus sequentiis tum in hymnis celebrioribus. Hinc illa [8]) Venantii Fortunati:

1) Luc. I. 15.

2) II. Cor. III. 17.

3) Missa in assumpt. Deiparae pag. 547. apud Muratorium in liturg. rom. vet. T. II.

4) Missa in invent. s. Crucis pag. 866. Ibid.

5) Ibid. dominica IV. post Theophaniam p.297.

6) Ad gradual. in missa votiv. a purificat. ad pascha, et in confract. in missa nativit. et purificat.

7) Videsis thesaurum hymnolog. T. II. p. 32-67-165-212-235-245-328., itemque mone Lateinische hymnen des Mittelalters, pagg. 41-192-196.

8) Hymn. de nativit. Domini p. 268. opp. P. I. lib. VIII.

» Radix Iesse floruit, » Fecunda partum protulit
» Et virga fructum edidit. » Et virgo mater permanet.

Et [1]) rursum allusione minime obscura:

» Quod Eva tristis abstulit » Intrent ut astra flebiles,
» Tu reddis almo germine: » Caeli fenestra facta es.

1034. Latinam ecclesiam graeca excipit, cuius nescio an ullum extet publicum monimentum, in quo Isaiae oraculum de Virgine acceptum et ad Virginem manifeste relatum non occurrat. Occurrit enim [2]) *in Officio coronationis:* occurrit [3]) in vetusto quadragesimali Officio quod Quirinus edidit: occurrit [4]) in Anthologio et [5]) in Octoecho: occurrit [6]) in Triodio et [7]) in Pentecostario: occurrit [8]) in Paraclitico; in Menaeis autem vix ullus est mensis, in quo Virgo Isaiae oraculo ad ipsam relato non celebretur. Hoc namque oraculo celebratur [9]) mense septembri, hoc [10]) mense octobri, hoc [11]) mense novembri, hoc [12]) mense decembri, atque hoc reliquis mensibus [13]) martio, maio [14]) et [15]) iulio.

1035. Latinos, graecosque imitati sunt Syri, quemadmodum perspicuum ex his est [a]) quae in eorumdem officio leguntur: « Salve templum Dei et thronus crystallinus, salve velum Moysis, salve hortus Salomonis, salve civitas filii Iesse, salve vas Elisaei, salve fidelium murus, salve fons benedictionum, salve tu e qua natum est germen Patris caelestis, salve quae secundum carnem genuisti omnium creaturarum Salvatorem. » Imitati sunt Armenii, ut quis-

a) Offic. Maronit. ad primam sabbati pag. 486.

ܫܠܡ ܠܟܝ ܗܝܟܠܗ ܕܐܠܗܐ ܘܬܪܘܢܘܣ ܕܩܪܘܣܛܠܠܘܣ . ܫܠܡ ܠܟܝ ܗܘܦܩܐ
ܕܡܘܫܐ . ܫܠܡ ܠܟܝ ܓܢܬܗ ܕܫܠܝܡܘܢ . ܫܠܡ ܠܟܝ ܡܕܝܢܬܗ ܕܒܪ ܐܝܫܝ . ܫܠܡ
ܠܟܝ ܡܐܢܐ ܕܐܠܝܫܥ . ܫܠܡ ܠܟܝ ܫܘܪܐ ܕܡܗܝܡܢܐ . ܫܠܡ ܠܟܝ ܡܒܘܥܐ ܕܒܘܪܟܬܐ .
ܫܠܡ ܠܟܝ ܕܡܢܟܝ ܐܬܝܠܕ ܨܡܚܗ ܕܐܒܐ ܫܡܝܢܐ . ܫܠܡ ܠܟܝ ܕܝܠܕܬܝܗܝ ܒܒܣܪ
ܠܦܪܘܩܐ ܕܟܠ ܒܪܝܬܐ ܀

1) Hymn. de s. Maria pag. 264.

2) Ἀκολουθία τοῦ στεφανώματος, pag. 388. A. apud Goarium in Euchologio.

3) Sabb. hebd. III. Ieiun. Ode ς'. pag. 268

4) Pagg. 24-26.

5) Pagg. 17-75.

6) Pagg. 20-62-96-190-222-316-322-344-346.

7) Pagg. 57-65-145.

8) Pagg. 14-48-77-116-147-228-235-309-320-378-434-443.

9) Pagg. 37-50-51-54-55-56-57-58-59-60-64-65-67-68-70-73-83-133.

10) Pagg. 75-113.

11) Pagg. 124-148-155-156-159-169-185.

12) Pag. 37.

13) Pag. 101.

14) Pagg. 24-43-57-94.

15) Pag. 87.

Digitized by Google

que ex his facile deprehendet quae [1]) scribit Gregorius narecensis: « Beata es tu in linguis puris labiorum electorum, o tu flos Iesse e quo fructus vitae nostrae: quae sola licet coalescens quatuor diversis elementis, expers tamen fuisti communis mortalium sortis, neque pondere gravata es insitae natura passionis, sed radiis cherubim quibus igneum os est, decorata refulges. Quare celeri cursu in locum inaccessum progrediens, in superiorem ethera o Dei mater adduceris. » Atque ipsi etiam imitati sunt Copti, quod recepta in ecclesiasticis eorumdem libris [2]) Theotochia abunde commonstrant. Si qua igitur Scripturae interpretatio auctoritate christiani nominis munita et validissime asserta existimari potest ac vero etiam debet, eiusmodi profecto haec ipsa est, qua in edito per Isaiam oraculo *virgae* nomen ad Deiparam refertur et de Deipara intelligitur.

1036. Quantopere autem haec interpretatio conferat ad ostendendas Virginis dotes, illamque nominatim praerogativam aperiendam, quae immaculato eiusdem conceptu continetur; partim constare ex iis debet quae modo attulimus, et partim ex iis innotescet quae continuo depromemus. Et re sane vera potuit ne infici originis culpa quae ut *fons benedictionum* celebratur, quaeque *una* perhibetur *expers communis mortalium sortis*, et *sola nescia insitae cupiditatis?* Id profecto nemo prudens affirmarit. Atqui haec ipsa sunt quae Armenii et Syri Virgini deferunt, quaeque illi tamquam propria idcirco vindicant, quod ea fuerit *virga* e qua Christus salutis germen effloruerit. Dignitas igitur *virgae*, cuius Emmanuel flos fuerit, ex commentariis maiorum, librisque ecclesiasticis cum praerogativa immaculati conceptus intime sociatur penitusque cohaeret.

1037. De qua copulatione neque pauca neque obscura praesto nobis sunt quae in medium praeterea adducamus. Etenim [3]) Venantius Fortunatus ad Isaiae vaticinium respiciens inter alia de Virgine canit:

» Praedicens olim, ut de matre tonantis honore,
Radicis florem iessea Virgo daret.
» Virgo haec virga fuit, de qua flos Christus obortus,
Cuius odor vivax membra sepulta levat.
» Ecce dies venient et David suscito germen,
Et regnabit rex, atque erit hic sapiens.

1) Orat. de laudibus Deiparae §. VIII.
2) Pagg. 62-68-206-248.
3) Poema in laudem Virginis, pagg. 278-279-284. opp. P. I. lib. VIII. cap. VI.

» Hoc germen iustum Virgo est, et rex suus infans,
Iudicium faciens, arbiter, orbis herus.
» Virgineo coetu, dux sexu prima secundo,
Praelata astrigeris sola puella choris.
» Figmentum figuli super omnia vasa decorum,
Atque creaturae fulgida massa novae.

Haec igitur sunt decora cum *virgae* dignitate conserta, ut Virgo sit credaturque *germen quod ipsemet Deus excitavit, germen iustum, germen astrigeris praelatum choris, figmentum super omnia divini artificis vasa decorum, et fulgida massa novae creaturae.* Nihil autem horum est, quod labem communis praevaricationis non excludat, et nihil quod originalem puritatem atque innocentiam non ultro praeseferat.

1038. Quod [a]) in Anthologio Andreas cretensis non minori evidentia confirmat inquiens: « Gloria tibi qui hodie sterilem *(Annam)* gloria affecisti; peperit enim secundum promissionem virgam semper virentem, ex qua germinavit Christus, flos vitae nostrae. » Et plenius infra [b]) his verbis: « Qui mirabilia operatus es in utero sterili, qui infrugiferum Annae sinum aperuisti, eique fructum contulisti; tu Deus sanctus, tu Virginis filius, tu ex hac carnem suscepisti, ex hac semper virente Virgine atque Deipara. Qui abyssum obsignas, illamque reseras, qui aquam in nubibus producis atque imbrem impertiris; tu, Domine, largitus es ut ex infructuosa radice, Anna sancta, illibatus fructus virga Deipara germinaret. Tu insolubilia orbita-

a) Antholog. die VIII. Septembris Ode ε'. pag. 24. col. 2. D. *Δόξα σοι τῷ δοξάσαντι τὴν στεῖραν σήμερον· ἔτεκε γὰρ τὴν ῥάβδον τὴν ἀειθαλῆ ἐξ ἐπαγγελίας· ἐξ ἧς ἀνεβλάστησε Χριστὸς τὸ ἄνθος τῆς ζωῆς ἡμῶν.*

b) Ibid. Ode η'. pag. 26. col. 2. C-E. *Ὁ ποιήσας παράδοξα τῇ στειρωθείσῃ γαστρὶ, ὁ ἀνοίξας Ἄννης ἄγονον μήτραν, καὶ καρπὸν αὐτῇ δούς· σὺ θεὸς ἅγιος, σὺ υἱὸς τῆς παρθένου καὶ θεοτόκου.*

Ὁ σφραγίζων τὴν ἄβυσσον, καὶ ἐξανοίγων αὐτὴν, ὁ ἀνάγων ὕδωρ ἐν ταῖς νεφέλαις, καὶ διδοὺς ὑετόν· σὺ ὁ δοὺς κύριε ῥίζης ἐκ τῆς ἀκάρπου ἐξανθῆσαι Ἄννης τῆς ἁγίας, ἄχραντον καρπὸν, τὴν ῥάβδον τὴν θεοτόκον.

Σὺ ὁ λύσας τὰ ἄλυτα τῆς ἀπαιδίας δεσμά· σὺ ὁ δοὺς τῇ στείρᾳ γόνιμον τόκον καὶ καρπὸν εὐκλεῆ· ἧς υἱὸς γέγονας καὶ βλαστὸς ἀνεφύης· ἣν μητέρα ἔσχες κατὰ σάρκα, ἐν τῇ πρὸς ἡμᾶς οἰκτίρμων ἐπιδημίᾳ.

Γεωργὲ τῶν φρενῶν ἡμῶν, καὶ φυτουργὲ τῶν ψυχῶν ἡμῶν· σὺ ὁ ἄκαρπον γῆν εὔκαρπον δείξας· σὺ τὴν πάλαι ξηρὰν, γόνιμον εὔσταχυν, ἄρουραν καρποφόρον ἀπειργάσω, Ἄνναν τὴν ἁγίαν, ἄχραντον καρπὸν ἀνθῆσαι τὴν θεοτόκον.

Digitized by Google

tis vincula resolvisti, tu concessisti sterili partum fecundum, fructumque gloriosum, cuius filius factus es et e quo germen natus, quem matrem secundum carnem habuisti quum ad nos misericors venires. Cultor mentium et nostrarum auctor animarum, tu infructuosam terram fertilem demonstrasti, tu agrum iampridem aridum reddidisti uberem fructiferum atque fecundum, Annam inquam sanctam quae illibatum fructum Deiparam edidit. » Haec autem praeclarum atque omnibus expletum numeris oraculi commentarium repraesentant. Si enim principio quaeras quid penes Isaiam sit גֶּזַע, tibi illico reponetur eiusmodi nomine Annam significari *aridam, sterilem, infecundam*. Si deinde quaeras qui fieri potuerit ut ex eo trunco sterili atque arescente quidpiam germinaret, continuo audies id *ex superna promissione eaque Dei virtute repeti oportere, qua Deus miraculorum auctor* celebratur. Si tandem quaeras quid non citra eximiam Dei operationem germinarit, intelliges *virgam* prodiisse, sed *illibatam semperque virentem*. At neque Virgo ex infecundo Isai trunco prodiisset *illibata*, si peccati *labem* contraxisset: neque ex eodem prodiisset *semper virens* atque laeta, si venefico culpae halitu fuisset adusta.

1039. Quae ab innocentia Virginis vehementissime abhorrere, denuo testantur Graeci [a]) in Triodio ubi illam his verbis deprecantur: « O virga quae divinum florem produxisti, o arca et lucerna et urna undequaque aurea, o sancta mensa ferens vitae panem tamquam filium tuum et Deum, exora eum una cum sancto Praecursore ut eorum misereatur eosque servet qui te Deiparam profitentur. » Ac multo testantur evidentius ubi, praeeunte [b]) Theodoro studita, Virginis laudes sic efferunt: « O undequaque illibata et innocens, te virgam ex radice Isai et Davidis proavi germinantem extollimus, quoniam salvas animas nostras. » Et [c]) rursum: « Salve Dei sponsa,

a) Triod. pag. 96. col. 2. A. Ἡ τὸ ἄνθος τὸ θεῖον ῥίζα βλαστήσασα, κιβωτὲ καὶ λυχνία, καὶ στάμνε πάγχρυσε, ἁγία τράπεζα ζωῆς τὸν ἄρτον φέρουσα, ὡς υἱόν σου καὶ θεὸν, ἐκδυσώπησον αὐτὸν σὺν τῷ ἁγίῳ προδρόμῳ τοῦ οἰκτειρῆσαι καὶ σῶσαι τοὺς θεοτόκον ὁμολογοῦντάς σε.

b) Ibid. pag. 190. col. 1. C-D. Σὲ τὴν ἐκ ῥίζης Ἰεσσαὶ καὶ Δαυὶδ τοῦ προπάτορος ἐκβλαστήσασαν ῥάβδον, πανάχραντε ἁγνὴ μεγαλύνομεν, ὅτι σώζεις τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

c) Ibid. pag. 322. col. 2. B. Ἰατῆρα τῶν ἁπάντων ἡ κυήσασα, χαῖρε θεόνυμφε· ἡ ῥάβδος ἡ μυστικὴ ἄνθος τὸ ἀμάραντον ἡ ἐξανθήσασα· χαῖρε δέσποινα, δι' ἧς χαρᾶς πληρούμεθα, καὶ ζωὴν κληρονομοῦμεν.

Digitized by Google

quae universorum medicum peperisti: virga mystica quae immarcescibilem florem edidisti: salve Domina per quam replemur gaudio et vitam hereditate consequimur. » Quibus ista [a]) respondent: « Virgo mater illibata, virga Iesse e qua ortus est Christus vivificus mortalium flos: per quam redempti sumus a corruptione et mortalitate. Te, o innocens, omnes laudamus. » Si qui ergo nosse ament, cuiusmodi *virga* sit Deipara, hi animo recolant oportet, eam esse *virgam e qua flos immarcescibilis Christus germinavit, virgam innocentem, undequaque auream penitusque illibatam, et virgam per quam a corruptione et mortalitate redempti replemur gaudio, vitamque hereditate nanciscimur.* Virga autem quae talis sit, quae tanta cum Christo coguatione iungatur, quae corruptionem mortalitatemque devicerit, quaeque vitam et incorruptionem vicissim contulerit; nequit citra manifestam verborum sententiarumque pugnam, aut corruptioni culpae, aut stimulo mortis, cuiusmodi peccatum est, obnoxia existimari.

1040. Et obnoxia sane non fuit, quod Graeci splendidissime profitentur quum [b]) in Pentecostario, duce Andrea cretensi canunt: « Laetetur Isai, et ipse quoque David exultet, ecce enim Virgo, virga illa a Deo plantata protulit Christum florem sempiternum. » Quis porro autumet peccati labe corruptam τὴν θεόφυτον ῥάβδον *virgam a Deo plantatam,* et cuius ipsemet Deus eximia quadam ratione auctor extiterit? Nemo plane. Quapropter Graeci illam in Paraclitico [c]) *beatissimam* dicunt his verbis: « O Virgo virga orta es ex radice Isai, tu quae beatissima salutarem iis protulisti fructum qui fide ad filium tuum clamant: Deus patrum nostrorum es benedictus. »

1041. Addam nonnulla ex Menaeis praecerpta, quae quum eodem conspirent, sententiam ac fidem graecae ecclesiae liquidius patefaciunt. Itaque, auctore Theophane, in illis [d]) legimus: « Te, o

a) Ibid. pag. 344. col. 2. A-B. Παρθενομῆτορ ἄχραντε, ἡ ῥίζα τοῦ Ἰεσσαὶ, ἐξ ἧς Χριστὸς ἀνέτειλε τὸ ζωηφόρον ἄνθος τῶν γηγενῶν· δι' ἧς ἐλυτρώθημεν φθορᾶς καὶ θνητότητος· σὲ ὑμνοῦμεν πάντες, ἁγνή.

b) Pentecostar. pag. 65. col. 1. A. Εὐφραινέσθω Ἰεσσαὶ, χορευέτω καὶ Δαυὶδ, ἰδοὺ γὰρ ἡ παρθένος, ἡ θεόφυτος ῥάβδος ἐβλάστησε τὸ ἄνθος, τὸν ἀείζωον Χριστόν.

c) Paraclit. pag. 378. col. 1. D. Ῥάβδος ἔφυς, παρθένε, Ἰεσσαὶ ἐκ τῆς ῥίζης ἡ παμμακάριστος καρπὸν ἀνθηφοροῦσα σωτήριον τοῖς πίστει τῷ υἱῷ σου κραυγάζουσιν· ὁ τῶν πατέρων θεὸς εὐλογητὸς εἶ.

d) Men. die XVII. Nov. Ode γ'. pag. 124. col. 1. C-D. Ῥάβδον βλαστήσασαν Χρι-

Digitized by Google

innocens, agnoscimus virgam quae Christum protulit florem immortalitatis, te aureum thuribulum divinae naturae carbonem in ulnis gestantem, o puella a Deo maxime beatificata. » Tum alibi [a]) legimus: « Hodie regia [1]) purpura ex radice Davidis oborta incipit proferre mysticum Isai florem, e quo Christus Deus noster et nostrarum salvator animarum effloruit. » Petentibus igitur cuiusmodi credi Virgo debeat, reponendum est, credi illam oportere *summis a Deo bonis auctam ac locupletatam*. Petentibus autem cuiusmodi primum extiterit, reponendum est, ipsam prodiisse *veluti mysticum Isai florem, eumque non indignum qui Christum Deum nostrum proferret*. Haec autem originem spectandam sistunt non maculatam et infectam, sed candidam et eximia prorsus puritate nitentem.

1042. De quo originis nitore egregia omnino sunt quae mense septembri frequentantur. Germano namque praecinente [b]) de Virgine dicitur: « Ex radice Iesse atque ex lumbis Davidis hodie nobis [2]) paritur Dei filia Maria: propterea universum gaudet et renovatur, simulque caelum et terra laetantur. Laudate eam tribus gentium. Ioachim exsultat, et Anna panegyrim agitans clamat: sterilis parit Deiparam nostraeque vitae altricem. » Haec eadem alibi [3]) iterata occurrunt, quibus ista [c]) ex Theophane respondent: « Ex-

στὸν, τὸ ἄνθος τῆς ἀφθαρσίας, καὶ χρυσοῦν θυμιατήριον πάντες σὲ γινώσκομεν, ἁγνὴ, θείας οὐσίας φέρουσαν ἐν ταῖς ἀγκάλαις, κόρη, ἄνθρακα θεομακάριστε.

a) Men. die IX. Decem. ad Vesp. Ech. β'. pag. 70. col. 3. E. Σήμερον ἐκ ῥίζης τοῦ Δαυὶδ βασιλικὴ πορφυρὶς ἐκβλαστήσασα τοῦ Ἰεσσαὶ βλαστάνειν ἀπάρχεται τὸ ἄνθος τὸ μυστικὸν, ἐν ᾧ Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν ἐξήνθησεν, ὁ σώζων τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

b) Men. die VII. Septemb. ad Vesp. pag. 49. col. 1. C. Ἐκ τῆς ῥίζης Ἰεσσαὶ καὶ ἐξ ὀσφύος τοῦ Δαυὶδ ἡ θεόπαις Μαριὰμ τίκτεται σήμερον ἡμῖν· διὸ καὶ χαίρει ἡ σύμπασα καὶ καινουργεῖται· συγχαίρει τε ὁμοῦ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ· αἰνέσατε αὐτὴν αἱ πατριαὶ τῶν ἐθνῶν· Ἰωακεὶμ εὐφραίνεται, καὶ Ἄννα πανηγυρίζει κραυγάζουσα· ἡ στεῖρα τίκτει τὴν θεοτόκον καὶ τροφὸν τῆς ζωῆς ἡμῶν.

c) Men. die VII. Septem. pag. 50. col. 1. E. Ἀγαλλιάσθω οὐρανὸς, γῆ εὐφραινέσθω· ὁ τοῦ θεοῦ γὰρ οὐρανὸς ἐν γῇ ἐτέχθη, ἡ θεόνυμφος αὕτη ἐξ ἐπαγγελίας, ἡ στεῖρα βρέφος θηλάζει τὴν Μαριάμ· καὶ χαίρει ἐπὶ τῷ τόκῳ Ἰωακεὶμ, ῥάβδος λέγων ἐτέχθη μοι, ἐξ ἧς τὸ ἄνθος Χριστὸς ἐβλάστησεν ἐκ ῥίζης Δαυίδ· ὄντως θαῦμα παράδοξον!

Ibid. Ode δ'. pag. 50. col. 2. C. Ὡς κατάκαρπον ἐλαίαν τὴν ἐκ ῥίζης βλαστήσασαν Ἰεσσαὶ, παρθένε, Ἄννα σὲ βλαστάνει βλαστάνουσαν τὸν ἐλεήμονα λόγον, οὗ τὸ ἔλεος καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ παντὸς προπορεύεται.

1) Hac metaphorica loquutione designatur *Anna*.

2) Nihil evidentius quam *pariendi* verbum amplissime sumi, eoque utramque nativitatem *in utero* atque *ex utero* significari.

3) Men. die VIII. Septem. ad Matut. pag. 58. col. 1, C. et die X. ad Matut. pag. 78. col. 2. A.

sultet caelum, terra laetetur: Dei namque caelum [1]) natum in terra est, illa Dei sponsa ex promissione. Sterilis laetat infantem Mariam, et Ioachim gaudet de partu inquiens: mihi virga nata est, e qua flos Christus e radice David germinavit. Stupendum revera miraculum. Te, o Virgo, Anna profert tamquam olivam fructiferam ex virga Iesse germinantem, quae proferet Verbum misericors, cuius misericordia et veritas semper progreditur. Ex infructuosa radice prodiisti, malique spinam divino tuo supra naturam germine funditus abscidisti, o Dei genitrix Virgo semper beata. Sterili collatus est fructus Dei filia Maria: quam olim divini prophetae in spiritu praeviderunt, illam nos hodie in gremio Annae laetam videntes cum fideli Ioachim ad spiritale convivium conveniamus, et qui longe absunt vocemus dicentes, nunc mundi revocatio ex infructuoso sinu germinavit, porta divina et mater verae vitae. »

1043. Concinunt quae [a]) subdimus: « Ioachim et Anna lactantur quod primitias salutis nostrae genuerint, unicam Deiparam. Cum hisce et nos hodie festum agimus beatam celebrantes innocentem Virginem quae ex illa Isai radice germinavit. Hodie ex Anna orta est virga, germen divinitus datum, Dei genitrix, hominum salus: e

Ibid. Ode ϛ'. pag. 51. col. 1. E. Ἀκάρπου ῥίζης ἐβλάστησας, καὶ πρόῤῥιζον κακίας τὴν ἄκανθαν τῷ ὑπὲρ φύσιν σου θείῳ βλαστῷ ἐναπέτεμες, θεογεννῆτορ κόρη ἀειμακάριστε.

Ibidem pag. 51. col. 2. D. Τῇ στειρευούσῃ καρπὸς ἐδόθη ἡ θεόπαις Μαρία· ἣν προεῖδον ποτὲ θεῖοι προφῆται ἐν πνεύματι, ταύτην ἡμεῖς σήμερον ὁρῶντες ἐν τοῖς κόλποις τῆς Ἄννης σκιρτῶσαν σὺν τῷ πιστῷ Ἰωακεὶμ νοητῶς πρὸς ἑστίασιν συνέλθωμεν, καὶ τοὺς πόῤῥω καλέσωμεν λέγοντες· τοῦ κόσμου νῦν ἡ ἀνάκλησις ἐξ ἀκάρπου γαστρὸς ἀνεβλάστησεν, ἡ θεία πύλη, καὶ μήτηρ τῆς ὄντως ζωῆς.

a) Men. die VIII. Septembr. ad Vesp. min. Ech. α'. pag. 54. col. 2. E. Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννα πανηγυρίζουσι τὴν ἀπαρχὴν τεκόντες τῆς ἡμῶν σωτηρίας, τὴν μόνην θεοτόκον· οἷς καὶ ἡμεῖς συνεορτάζομεν σήμερον, τὴν ἐκ τῆς ῥίζης ἐκείνης τοῦ Ἰεσσαὶ μακαρίζοντες παρθένον ἁγνήν.

Ibid. pag. 55. col. 1. A. Ἐξ Ἄννης σήμερον ῥάβδος φυτὸν θεόσδοτον, ἡ θεοτόκος ἔφυ, σωτηρία ἀνθρώπων· ἐξ ἧς ὁ τῶν ἁπάντων δημιουργὸς γεννηθεὶς ὑπὲρ ἔννοιαν, τὴν τοῦ Ἀδὰμ ἐκκαθαίρει ὡς ἀγαθὸς πᾶσαν λύμην ἀγαθότητι.

Ibid. ad Vesp. maior. pag. 55. col. 2. A. Σήμερον ὁ τοῖς νοεροῖς θρόνοις ἐπαναπαυόμενος θεὸς θρόνον ἅγιον ἐπὶ γῆς ἑαυτῷ προητοίμασεν· ὁ στερεώσας ἐν σοφίᾳ τοὺς οὐρανούς, οὐρανὸν ἔμψυχον ἐν φιλανθρωπίᾳ κατεσκεύασεν· ἐξ ἀκάρπου γὰρ ῥίζης φυτὸν ζωηφόρον ἐβλάστησεν ἡμῖν τὴν μητέρα αὐτοῦ. Ὁ τῶν θαυμασίων θεὸς, καὶ τῶν ἀνελπίστων ἐλπὶς, κύριε, δόξα σοι.

1) Haec totidem verbis repetuntur die VIII. pag. 58. col. 1. D.

qua universorum creator supra quam intelligi mente possit genitus, utpote bonus benignitate sua omnem Adami luem expurgat. Hodie Deus qui super intelligibiles thronos conquiescit, thronum sanctum sibimetipsi super terram praeparavit: qui caelos in sapientia stabilivit, animatum caelum in sua erga homines benignitate adornavit. Ex infructuosa namque radice germen vitam afferens oriri nobis fecit, matrem suam. Deus mirabilium, et spes desperantium, Domine tibi sit gloria. » Eodem haec pertinent quae [a]) Germanus habet: « Hodie sterilis infecunda Anna manibus iucunde plaudat: fulgeant terrestria, tripudient reges, sacerdotes in benedictionibus exsultent, universus mundus festum agat. Ecce namque regina et immaculata Patris sponsa ex radice Iesse germinavit. Non amplius mulieres filios in doloribus parient, gaudium namque effloruit, et vita hominum in mundo diversatur. Dona Ioachim non amplius repelluntur: lamentationes namque Anuae versae sunt in gaudium dicentis, congaudeat mecum omnis electus Israel. Ecce enim tribuit mihi Dominus animatum palatium divinae gloriae suae in commune laetitiam et gaudium et animarum nostrarum salutem. » Eodem haec [b]) quae Sergius hagiopolitanus scribit: « Agite fideles omnes ad Virginem concurramus. Ecce enim nascitur quae ante uterum praedestinata fuit Dei nostri mater virginitatis thesaurus, Aaronis virga germinans ex radice Iesse, prophetarum annunciatio, et iustorum Ioachim atque Annae surculus. Nascitur itaque, et mundus una cum ipsa renovatur. Paritur, et suum ecclesia decus

a) Ibid. pag. 57. col. 2. C-D. Στεῖρα ἄγονος ἡ Ἄννα σήμερον χεῖρας κροτείτω φαιδρῶς· λαμπροφορείτω τὰ ἐπίγεια· βασιλεῖς σκιρτάτωσαν· ἱερεῖς ἐν εὐλογίαις εὐφραινέσθωσαν· ἑορταζέτω ὁ σύμπας κόσμος· ἰδοὺ γὰρ ἡ βασίλισσα καὶ ἄμωμος νύμφη τοῦ πατρὸς ἐκ τῆς ῥίζης τοῦ Ἰεσσαὶ ἀνεβλάστησεν· οὐκ ἔτι γυναῖκες ἐν λύπαις τέξονται τέκνα· ἡ χαρὰ γὰρ ἐξήνθησε, καὶ ἡ ζωὴ τῶν ἀνθρώπων ἐν κόσμῳ πολιτεύεται· οὐκ ἔτι τὰ δῶρα τοῦ Ἰωακεὶμ ἀποστρέφονται· ὁ θρῆνος γὰρ τῆς Ἄννης εἰς χαρὰν προεκρίθη, συγχάρητέ μοι λεγούσης πᾶς ἐκλεκτὸς Ἰσραήλ· ἰδοὺ γὰρ δέδωκέ μοι κύριος τὸ ἔμψυχον παλάτιον τῆς θείας δόξης αὐτοῦ, εἰς κοινὴν εὐφροσύνην καὶ χαρὰν καὶ σωτηρίαν τῶν ψυχῶν ἡμῶν.

b) Ibid. pag. 57. col. 2. D-E. Δεῦτε ἅπαντες πιστοὶ πρὸς τὴν παρθένον δράμωμεν· ἰδοὺ γὰρ γεννᾶται ἡ πρὸ γαστρὸς προορισθεῖσα τοῦ θεοῦ ἡμῶν μήτηρ, τὸ τῆς παρθενίας κειμήλιον, ἡ τοῦ Ἀαρὼν βλαστήσασα ῥάβδος ἐκ τῆς ῥίζης τοῦ Ἰεσσαὶ, τῶν προφητῶν τὸ κήρυγμα, καὶ τῶν δικαίων Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης τὸ βλάστημα. Γεννᾶται τοίνυν, καὶ ὁ κόσμος σὺν αὐτῇ ἀνακαινίζεται· τίκτεται, καὶ ἡ ἐκκλησία τὴν ἑαυτῆς εὐπρέπειαν καταστολίζεται· ὁ ναὸς ὁ ἅγιος, τὸ τῆς θεότητος δοχεῖον, τὸ παρθενικὸν ὄργανον, ὁ βασιλικὸς θάλαμος, ἐν ᾧ τὸ παράδοξον τῆς ἀποῤῥήτου ἑνώσεως τῶν συνελθουσῶν ἐπὶ Χριστῷ φύσεων ἐτελεσιουργήθη μυστήριον· ὃν προσκυνοῦντες ἀνυμνοῦμεν τὴν τῆς παρθένου πανάμωμον Γέννησιν.

Digitized by Google

induit. Templum sanctum, divinitatis sedes, virgineum organum, regius thalamus, in quo stupendum ineffabilis unitionis duarum naturarum in Christum concurrentium mysterium perfectum est. Hunc adorantes extollimus generationem Virginis omni ex parte immaculatam. » Eodem haec [a]) quae Andreae cretensi debentur: « Te, o semper Virgo, beatam celebrat omnis creatura, te hodie ex Anna genitam, virgam [1]) intemeratam ex Isai radice, e qua flos Christus germinavit. » Eodem haec [b]) quae Theophanem habent auctorem: « Ex radice Davidis prophetae sanctum par edidit virgam [2]) sacratissimam, Virginem intemeratam, quae nobis sacratissimum florem Christum sine semine protulit. » Neque alio tandem haec [c]) spectant quae Georgius nicomediensis canit: « Ex infructuosa Anna hodie prodiit flos Deipara, quae omnes mundi fines divino odore perflat, et sempiterno gaudio creaturas replet; illam ut quae sit mortalibus potior digne celebramus ac benedicimus. »

1044. Quae omnia si mutuo, quemadmodum par est, contulerimus, illico assequemur eam Virginis *nativitatem* celebrari quam *passivam* nominamus, quaeque tum *nativitatem in utero*, tum *nativitatem ex utero* complectitur. Et celebratur sane *nativitas passiva,* quum festum *de germine* agatur quod ex Anna effloruit: celebratur autem nativitas tam *in utero* quam *ex utero*, quum hinc de nativitate ex utero sumi necessario debeant quae Annae *partum* oculis subiiciunt; inde vero nonnisi ad nativitatem in utero referri possint quae de nativitate *ex lumbis Davidis atque*

a) Men. die VIII. Septemb. Ode γ'. pag. 59. col. 1. E. Σὲ μακαρίζει, ἀειπάρθενε, πᾶσα κτίσις ἐξ Ἄννης σήμερον γεννηθεῖσαν, τὴν ἐκ ῥίζης Ἰεσσαὶ ῥάβδον ἄχραντον τὸ ἄνθος Χριστοῦ βλαστήσασαν.

b) Men. die IX. Septemb. Ode ζ'. pag. 70. col. 2. C. Ἐκ ῥίζης βλαστήσασα δυὰς ἁγία Δαυὶδ τοῦ θεόφρονος τὴν ῥάβδον τὴν πανίερον, παρθένον τὴν ἄχραντον τῷ κόσμῳ τέτοκεν ἄνθος ἱερώτατον ἡμῖν Χριστὸν ἀσπόρως ἐξανατέλλουσαν.

c) Men. die XI. Septemb. Ode θ'. pag. 83. col. 1. E. Ἐκ τῆς ἀκάρπου σήμερον Ἄννης ἄνθος προῆλθεν ἡ θεοτόκος ἅπαντα εὐωδίας ἐνθέου πληροῦσα πέρατα κόσμου, καὶ χαρᾶς ἀιδίου ἐμπιπλῶσα τὴν κτίσιν, ἣν ὑμνοῦντες ἀξίως εὐφημήσωμεν ὡς οὖσαν τῶν γηγενῶν ὑπερτέραν.

1) Virginem quam heic Andreas dicit ῥάβδον ἄχραντον, *virgam intemeratam*, pag. 60. col. 2. C. vocat τὴν ῥάβδον τὴν ἀειθαλῆ, *virgam semper virentem*, et pag. 64. col. 2. C. ἄχραντον καρπόν, τὴν ῥάβδον τὴν θεοτόκον, *intaminatum fructum*, *virgam Deiparam*.

2) Videsis etiam Sophronium hierosolymitanum Anacreont. εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς θεοτόκου, vv. 45. seqq. pag. 50. apud Mai in spicileg. rom. T. IV., Iohannem damascenum Can. εἰς τὸν ἅγιον Βλάσιον. Ode α'. pag. 735. ibidem T. IX., et Nersetem claiensem in Matthaeum pagg. 53. opp. T. II.

Digitized by Google

Ioachimi ingeminantur. Solemne igitur [1]) Graecis fuit ac porro est eiusmodi virgineae nativitatis festum agere, quod ad utramque simul nativitatem in utero atque ex utero pertineat, et quo utraque nativitas *digna cultu* demonstretur. Nihil autem quod non sit purum, nihil quod non sit sanctum aut cultu dignum videri potest, aut tale quod institutis festis solemniter celebretur. Persuasum igitur Graecis fuit ac porro est, utramque Virginis nativitatem in utero atque ex utero puram sanctamque credi oportere. Et re sane vera ab iisdem quaeratur, sive *cuiusmodi* sit *obiectum* quod cultu et religione prosequuntur, sive *quos* illi *effectus* asserendos esse arbitrentur. Concors omnium vox est in celebranda Virginis nativitate non alteri cultum religionemque deferri nisi ei, quae in sua nativitate, tam in utero quam ex utero extiterit *Dei filia, germen divinitus datum, ante uterum praedestinata ut esset Dei mater, regina et immaculata sponsa Patris, templum sanctum, divinitatis sedes, animatum palatium, Dei caelum, primitiae salutis, oliva fructifera, virga intemerata, innocens, sacratissima, semperque beata ac plane digna quae eodem cum Christo mystici floris appellatione decoraretur*. At vero quid hisce purius, quid sanctius aut quid ab omni culpae labe remotius? Neque mirum quando Virginis nativitas in utero atque ex utero caussa fuit, *propter quam omnia divino odore afflata revirescerent, omnia refingerentur, omnia gestirent laetitia, mali spina funditus abscinderetur, reseraretur caeli porta, vitae altrix appareret, et pro Eva mortis matre parens verae vitae sufficeretur*. Hi namque effectus ex ea nativitate proficisci minime poterant, quae esset peccato infecta, et qua peccati mortisque regnum propagaretur. Superest igitur ut utraque Virginis nativitas, atque ipsius adeo conceptio immaculata praedicetur.

1045. Quam non obscure immaculatam praedicat ipsa quoque Coptorum ecclesia [a]) canens: « Ave Maria columba pulcra, quae nobis Deum verbum peperit. Tu es flos incensi, qui germinavit ex ra-

a) Theotoch. pag. 62-63.
Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ : ϯϭⲣⲟⲙⲡⲓ ⲉⲑⲛⲉⲥⲱⲥ : ⲑⲏ ⲉⲧⲁⲥⲙⲓⲥⲓ ⲛⲁⲛ ⲙ̀Ⲫϯ ⲡⲓⲗⲟⲅⲟⲥ ⳾ Ⲛ̀ⲑⲟ ⲡⲉϯϩⲣⲏⲣⲓ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲓⲥⲑⲟⲓⲛⲟⲩϥⲓ : ⲑⲏⲉⲧⲁⲥⲙⲓⲉⲓ ⲉ̀ⲃⲟⲗ-ϧⲉⲛ ̀ⲑⲛⲟⲩⲛⲓ ⲛ̀Ⲓⲉⲥⲥⲉ ⳾

1) De his plura et luculentiora dabimus sectione septima.

dice Iesse. » Et [a]) rursum: « Salve radix sancta prophetica, salve immarcescibilis apostolorum corona. » Quibus hac ad Deum fusae preces [b]) respondent: « Condona mihi iniquitates meas propter agnam innocentem Mariam, radicem et genus Davidis psaltis, habitaculum puritatis. » Et eius quidem puritatis, cuius gratia *potior universis mortalibus* haberetur, ac prorsus digna de qua Iacobus claiensis [1]) scriberet: « Hodie completa est facta patriarchis promissio de omnibus gentibus in ipsorum semine benedicendis; siquidem ex eorumdem radice effloruit Virgo sancta, quae in lucem edidit Verbum tollens peccata protoparentis. Eum itaque glorificemus qui nobis benedictam in mulieribus impertiit. »

CAPUT III.

De Esthere Virginis typo: quae ad hunc habitum inter utramque comprobandum necessaria sint: de Ps. CXVII., eiusque duplici sensu historico et spiritali: tam prioris quam posterioris materies definitur, et quod propositum initio fuerat, idoneis argumentis vindicatur: tandem ex omnium summa colligitur, ad praesignatas in Bibliis Deiparae dotes immaculatum eiusdem conceptum pertinere.

1046. Nemo est catholicorum qui [2]) *universim* non probet duplicem Scripturarum sensum, *immediatum et mediatum, litteralem et spiritalem, historicum et mysticum*, alterum [3]) quem exprimere Spiritus sanctus *directe* intendit ac *proxime*, et verba *directe* praeferunt, atque etiam *proxime* si propria sint, *remote* autem si sint translata: et alterum [4]) quem sub litterali sensu delitescen-

a) Ibid. pag. 206.

Ⲭⲉⲣⲉ ϯⲛⲟⲩⲛⲓ ⲉ̅ⲑ̅ⲩ̅ ⲙ̀ⲡⲣⲟⲫⲏⲧⲓⲕⲟⲛ : ⲭⲉⲣⲉ ⲡⲓⲭⲗⲟⲙ ⲛ̀ⲁⲧⲗⲱⲙ ⲛ̀ⲁⲡⲟⲥⲧⲟⲗⲓⲕⲟⲛ ⳾

b) Ibid. pag. 248.

Ⲭⲱ ⲛⲏⲓ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲛ̀ⲛⲉⲡⲁⲛⲟⲙⲓⲁ : ⲉⲑⲃⲉ ϯϩⲓⲏⲃ ⲛ̀ⲁⲧⲕⲁⲕⲓⲁ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϯⲑⲉⲟⲧⲟⲕⲟⲥ : Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϯⲛⲟⲩⲛⲓ ⲛⲉⲙ ⲡⲓⲅⲉⲛⲟⲥ ⲛ̀ⲧⲉⲆⲁⲩⲓⲇ ⲡⲓϩⲩⲙⲛⲟⲇⲟⲥ : Ⲫⲙⲁⲛϣⲱⲡⲓ ⲛ̀ⲧⲟⲩⲃⲟ ⳾

1) Hymn. in Deiparae nativit. T. III. Breviar. armen. pag. 761, Cf. similia apud Ioachimum Schröderum in notis ad confess. fidei arm. pag. 261.

2) Cavendum namque est ne cum *figuristis* sentiamus, nihilque in veteris testamenti libris contineri arbitremur quod *typicum* non sit, quodque praeter sensum *immediatum et litteralem* non item sensum referat *spiritalem ac mediatum*. Cf. Lyranum prol. II. ad postill. Bibliorum, Fleuryum diss. V. sur l'histoire eccles. §§. XI-XII. et Patritium de interpretat. Scriptt. lib. I. cap. XIV., nn. 372. seqq.

3) Hunc Hebraei dicunt הַפְּשָׁט, at Graeci *κατὰ ῥητόν*.

4) Eiusmodi sensus a Graecis quidem *μυστικός*, ab Hebraeis vero appellatur הַדְּרָשׁ. Praeclare Aqui-

Digitized by Google

tem exprimere quidem Spiritus sanctus *directe* intendit etsi *remote*, verba autem non efferunt nisi *oblique* ac *remote*, rebusque quas ea significant interiectis. Immo haec duplicis sensus distributio ipsis quoque novatoribus probata semper sic fuit, ut si non admodum multos [1]) excipias quos ne christianos quidem iure appelles, plerique omnes [2]) illam et expolierint accurate, et ubi opus esset, rite usurpaverint. Cum hac vero duplicis sensus partitione consertum est, ductas e divinis litteris probationes non uno genere comprehendi; sed quum aliae ex priore sensu eoque immediato ac literali dimanent, aliae contra ex posteriore eoque spiritali ac mediato dependent. Neque enim fas est, sive sensum spiritalem ac mediatum cum eo quem *accommodatum* [3]) vocant, turpiter commiscere: sive probationibus quidem adquiescere quae fuerint [4]) ex litterali sensu depromptae, illis autem fidem abnuere quas spiritalis sensus scite collectus praebuerit. Hic enim aeque ac ille sensus est Spiritus sancti: hoc aeque ac illo Deus per prophetas loquutus est: huic aeque ac illi ratio inest et dignitas competit verbi Dei: et hunc aeque ac illum [5]) Christus et apostoli ad caelestes comprobandas veritates adhibuerunt.

1047. Quapropter immaculati conceptus praerogativa eo argumenti genere vindicata, quod ex litterali immediatoque sensu efflorescit; animum subiit cogitatio diligenter investigandi, essent nec ne in Scripturis quae spiritali mediatoque sensu eodem pertinerent, idemque Deiparae decus eximiumque ornamentum patefacerent. Atque duo se mihi continuo obtulerunt, quibus *in affir-*

nas in S. 1. p. q. 1. a. X: « Auctor sacrae Scripturae est Deus, in cuius potestate est ut non solum voces ad significandum accommodat, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum qui est sensus historicus vel literalis; illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super literalem fundatur et eum supponit. » Ut enim scribit Quodlibeto VII. a. XIV. « Auctor rerum non solum potest verba accommodare ad aliquid significandum, sed etiam res potest disponere in figuram alterius; et secundum hoc in sacra Scriptura manifestatur veritas dupliciter. Uno modo, secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit sensus literalis; alio modo, secundum quod res sunt figurae aliarum rerum, et in hoc consistit sensus spiritualis. Et sic sacrae Scripturae plures sensus competunt. » Porro sicuti ibid. ad 1. « Sensus spiritualis semper fundatur super literalem, et procedit ex eo » ita dicendum est ibid. a. XVI. « Quod spiritualis sensus sacrae Scripturae accipitur ex hoc, quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud. »

1) *Rationalistas* potissimum intelligo, quibus spiritalis sensus non est nisi inanis lusus ingenii, et a Scripturis alienissimus.

2) Ex his multos laudat Iohannes Ranolder herm. biblic. in praelim. cap. II. §§. 11. seqq.

3) Ad quem pleraque omnia ex iis spectant quae sectione IV. adduximus, quaeque vim probandi omnem non ex Scripturis sed ex ecclesiasticis monimentis mutuantur.

4) Quales illae sunt quae duobus capitibus superioribus continentur.

5) Huc spectant quae Patritius habet de Evangeliis lib. III. diss. XVII. quae inscribitur: *Quorsum veterum Scripturarum auctoritatem adhibuerint, earumque testimonia attulerint scriptores novi testamenti.*

Digitized by Google

mantem sententiam non minimum [1]) impellebar. In eam namque impellebar Scripturarum ductu ac serie, quae nonnisi aegerrime patitur ut ornamenta secundae Evae nullis adumbrata typis censeantur, quum tantus sit horum apparatus quo praesignatam expressamque credimus secundi Adami oeconomiam. Atque in eam deinde impellebar suffragio et testificatione [2]) maiorum, qui nullum fecisse finem videntur deflorandi ex Scripturarum pratis typos, quibus decora Virginis propria declararent. His uti decebat permotus quum insigniora gesta bibliis consignata, nobilioresque in illis descriptas personas memoria meeum reputarem; succurrit Esther, eoque succurrit circumfusa splendore, iisque distincta characteribus ut visus mihi sim in ea deprehendisse cum Virginis typum, tum illius dotis praemonstrationem, qua Virginem nullo laesam originis peccato celebramus. Cui opinioni eo tenacius adhaesi quo evidentius intellexi, ipsam viris piis doctisque [3]) iampridem placuisse, multoque validius communiri quo penitius Scripturarum examen su-

1) Accessit consilium et auctoritas viri cl. Camilli Tarquinii in hoc romano collegio institutt. canonicarum antecessoris, qui sicuti nobis auasit ut hoc argumentum expoliremus, ita non pauca suggessit quibus plurimum iuvaremur.

2) Quam unanimem maiorum testificationem illa ostendunt, quae tota sectione III. in medium proferuntur.

3) Quibus annumerandi prae aliis sunt Bonaventura in speculo b. Mariae lect. III., Ambrosius Catharinus in disput. pro imm. Virginis concept. lib. III. pag. 101., Petrus Canisius de Maria Deipara virgine lib. I. cap. II. pag. 12., lib. II. cap. XVI. pag. 241., lib. III. cap. XII. pag. 315. et Thomas Strozzius in controversia de concept. Virginis lib. I. cap. VIII. pagg. 55-58. Dabo Catharini verba quibus lectorem compellans ait: «Respice ad mulierem formosissimam Esther quae, repudiata Vasti ab Assuero rege, deligitur ad instaurationem nuptiarum, propter quam cunctis servis et principibus regale nimisque splendidum apparatur convivium, et data est requies universis. Nonne in hac Esther, idest abscondita et custodita, agnoscis Mariam absconditam illam quidem et servatam ab omni diaboli commixtione? Quam Assuerus, idest beatus et beatificans, repudiata antiqua Eva, sibi deligit in primariam sponsam, cui nobile paratur convivium, ubi principes et servi omnes qui in ecclesia continentur, accumbunt? Hoc enim est mensa crucis. Haec est illa Esther quae sola in convivio Aman, idest pessimi satanae, detestata omnes eius delicias, idest pomi antiqui pulcritudinem et suavitatem, abstinuit ne coinquinaretur contagio. Haec illa Esther quae in tanto Iudaeorum discrimine regias quae illam decebant vestes deponens, lugubriaque pro illis assumens vestimenta, cinere ac cilicio sacratissimum suum caput obvolvit, aureos atque ambrosios dissolvit ac deturpat crines, et indigne lacerat, et replens miserabili planctu omnia, nullum capit de propria certaque salute ac felicitate solatium; sed supplex pro nobis adorans ait: *tu scis Domine necessitatem meam quod abominer signum superbiae et gloriae meae, quod est super caput meum in diebus ostentationis meae, et detester illud quasi pannum menstruatae, et non portem in diebus silentii mei, et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, nec biberim vinum libaminum, et numquam laetata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in praesentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham*. Haec Esther innocens pro nobis nocentibus orans, exorabat. Haec illa Esther quae tertia die regio perfulgens habitu, seque ipsam prae deliciis et corporis teneritudine non sustinens, ancillis comitata duabus ut alteri quidem innitteretur, altera vero pedisequa in humum defluentis vestimenta sustineret, sic ornata incedens et roseo perfusa colore, sola fidens audet, cunctis praetergressis ostiis atque custodiis, regium penetrare conclave. Et sola ardentes Assueri oculos, et minacem vultum plenumque furoris pectus sustinere potens, commune edictum ne quis atrium suae maiestatis interius ingrederetur antequam rex ipse elevatam virgam in signum clementiae suae ostenderet, capitalem poenam singulari praerogativa evasit. Hoc certe erat edictum illud, quod cum sese ab omnibus abscondisset iratus rex ob antiquum flagitium, in penetralis beatitudinis suae, nulli hominum lice-

scipitur. In id igitur incumbam ut aliquot articulis rem totam exsequar, novoque argumento praerogativam immaculati conceptus sin minus persuadeam, suadeam saltem atque illustrius explanem. Ad opus tamen ipsum non antea venio, quam verbis Richardi victorini, non secus ac galeato quodam prologo, insequentem tractationem protexerim. Sic itaque habet [1]) Richardus: « Nec illud tacite praetereo, quod quidam quasi ob reverentiam patrum nolunt ab illis omissa attentare, ne videantur aliquid ultra maiores praesumere. Sed inertiae suae eiusmodi velamen habentes otio torpent, et aliorum industriam in veritatis investigatione et inventione derident, subsannant, exsufflant. Sed qui habitat in caelis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. Nos autem a patribus pertractata cum omni aviditate suscipiamus, et ab ipsis omissa cum omni alacritate perquiramus, et sagaciter inventa cum omni liberalitate in commune proferamus, ut impleatur quod scriptum est, *pertransibunt plurimi, et multiplex erit sapientia.* »

ARTICULUS I.

De Psalmo CXVII., eiusque aetate atque argumento: et de aetate quidem ostenditur, illam merito soluta babylonica captivitate recentiorem haberi: de argumento autem efficitur, nullum assignari posse commodius, nullumque verius liberatione populi Israelis per Mardochaeum.

1048. Israelitarum moribus receptum fuit, ut insigniora Dei beneficia quibus acquisitionis populus a periculis et ab hostibus

ret ante conspectum ipsius comparere, ni prius virga illa sua, nimirum humanitas, in signum clementiae extenderetur in cruce. Sed haec Esther non se nudam sentiens Dei gratia, sed prae omnibus caritate tuta sacraque incedens, ac primae innitens ancillae quae summa erat fiducia de sponso suo, et altera sustinente vestimenta defluentia ne humi deciderent, haec erat humilitas suarum omnium custos virtutum; sola ingredi audet penetralia regis. Unde haec tibi, obsecro, tanta fiducia, o Maria? En ipse rex toto spiritu mansuetudinis in te conversus, at effusus toto caritatis impetu de solio suae maiestatis exsiliens, te unicam in suis ulnis complexus, sustentans ne caderes, alioqui procul dubio casura, dulciter tibi, o carissima, blanditur dicens: *quid habes Esther? ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris; non enim pro te sed pro hominibus* (aut ut alibi legitur) *pro omnibus haec lex est constituta.* Heus contradictores, heic vos appello, assistite coram rege Assuero. Quid dicitis? Nempe quod mortua est Maria in Adam. Et Assuerus pronunciat illam liberam a morte. Vos struitis syllogismos et dicitis: omnes homines in Adam mortui sunt, ergo et Maria quae fuit homo. Sed audite regium verbum, et inauditam sententiam. *Pro omnibus* (sive) *pro hominibus constituta est haec lex, sed non pro te, Esther mea.* Audite quae non discuntur in physicis aut dialecticis: non est inter omnes aut inter homines regina, sed super omnes et supra hominem, sicut dixit uterque doctor et Augustinus et Hieronymus: supra quam homo est virgo, gratia tamen non natura. Ideo indignum erat, ut computaretur regina cum servis: ideo illi soli dictum est, *accede et tange sceptrum*, cuius contactu ipsa certe plene ac integre salvata est. » Pie enimvero, sed nisi argumentis fulciantur, minus ad persuadendum accomodate.

1) In prologo ad visionem Ezechielis.

ereptus bonisque auctus floruit, non modo annalibus historiaeque credita servarentur, verum etiam canticis hymnisque celebrata ad ultimos usque nepotes propagarentur. Atque huc sane pertinent plerique omnes Davidis psalmi, quos ob relatas de inimicis victorias, pacatumque regnum inspiratus vates elucubravit: huc pertinet Moisis canticum, quo parta ex Aegyptiorum tyrannide salus praedicatur: atque huc pertinent Deborae et Iudith hymni, quibus de Sisara deque Holopherne triumphi faustis vocibus extolluntur. Nescio autem an cogitari animo possit sive exitium eo gravius quod Israeli universo ex Amani crudelitate imminebat, sive beneficium eo splendidius quo Deus Israelem per Mardochaeum servavit. Iam lata erat lex, et iam dictus dies quo in amplissima Persarum ditione quotquot ex Abrahami semine degebant, morte mulctarentur; quum conversis illico rerum vicibus, singulari Numinis tutela, opemque Mardochaeo atque Esthere conferentibus, factum est ut una cum saevae conspirationis auctore eiusdem asseclae exterminarentur, electus vero populus respiraret, summisque expetita votis libertate frueretur. Cum moribus igitur atque Israelitarum historia consentaneum inprimis est arbitrari, eximium adeo facinus perpetuis fuisse litteris commissum, hymnisque eucharisticis celebratum. Et novimus sane idcirco librum Estheris, Deo inspirante, fuisse conscriptum, neque absurde suspicamur, hymnum etiam aliquem prodiisse, quo mirificae liberationis recordatio omnium ore frequentaretur. Quae suspicio illos quoque commovisse dicenda est, qui [1]) non aliam psalmo CXV. materiem subiecerunt, neque aliud assignarunt argumentum, quam quod ex hac ipsa historia peteretur.

1049. Ceterum mens nobis non est suspicionibus etsi probabilibus diutius indulgere, proindeque e vestigio ad rem propius accedentes in examen vocamus, praesto nec ne sint indicia ad fidem pariendam idonea, quibus utraque controversia dirimatur: utrum psalmus aliquis fuerit editus, quo Israelis per Mardochaeum et Estherem liberatio caneretur: et utrum ex pluribus omnino psalmis definiri ille nominatim possit, qui hac occasione in lucem venerit. Scilicet tenendum est, *editum revera fuisse psalmum, quo relata de Amano ceterisque Israelis hostibus victoria celebraretur,*

1) Cf. De Wette in h. ps.

et hunc psalmum ab eo censeri diversum non posse quem latini et graeci centesimumdecimumseptimum, Hebraei vero centesimumdecimumoctavum appellant. Quae ne leviter dicta videantur, tria nobis ostendenda proponimus: et *principio* quidem tempus conscripti psalmi CXVII. ab aetate Mardochaei et Estheris nullatenus dissidere: *deinde* vero eiusmodi esse psalmi materiem et argumentum, quod quum nihil ab historia Mardochaei et Estheris dissonum praeferat, iis contra coalescit quae cum eadem aptissime conveniunt: ac *postremo* tantam esse psalmi historiaeque conspirationem, ut nullus supersit locus sive nodis qui in aliis sententiis impediti, sive difficultatibus quae in eisdem molestae passim occurrunt. Opinio autem hisce distincta notis atque hisce praedita characteribus, non tam opinio et hypothesis, quam certa sententia explorataque thesis suo merito habetur. Id igitur restat, ut tria quae proposuimus capita, eodem quo enunciata sunt ordine demonstremus.

1050. Itaque de priori capite, deque psalmi CXVII. aetate animadverti debet, insigni quadam *externorum internorumque argumentorum* consensione effici, non posse illum antea editum censeri, quam Israelis populus fuerit a babylonica captivitate solutus. Hanc enim de psalmi aetate sententiam proposuit [1]) Origenes, et hanc sequutus deinde est Theodoritus [a]) inquiens: « Hic etiam hymnus [2]) est ab his qui salutem a Deo consequuti sunt oblatus. Iudaei enim post reversionem, quum omnes finitimi in unum coacti essent, pristinam illis prosperitatem invidentes, atque etiam gentes alias et barbaras convocassent, ac deinde plagis a Deo illatis profligati essent secundum Ioelis et Ezechielis et Michaeae et Zachariae vaticinationem, hunc hymnum gratiarum actionis Deo offerunt. » Eidem sententiae suffragatur duplex graecus anonymus alter a Corderio et alter ab Agellio laudatus, quorum ille [b]) sic habet: « Hic

a) In ps. CXVII. pagg. 1427-1428. opp. T. I. P. II. Ὕμνος καὶ οὗτός ἐστιν ὑπὸ τῶν τῆς σωτηρίας ἀπολελαυκότων τῷ Θεῷ προσφερόμενος. Ἰουδαῖοι μὲν γὰρ μετὰ τὴν ἐπάνοδον, τῶν πλησιοχώρων ἁπάντων κατὰ ταυτὸν ἀθροισθέντων, φθονούντων αὐτοῖς τῆς προτέρας εὐημερίας, καὶ μέντοι καὶ ἔθνη ἕτερα καὶ βάρβαρα συναγειράντων, εἶτα θεηλάτοις ἀναλωθέντων πληγαῖς κατὰ τὴν Ἰωὴλ καὶ Ἰεζεκιὴλ καὶ Μιχαίου καὶ Ζαχαρίου προφητείαν, τοῦτον τὸν ὕμνον χαριστήριον προσφέρουσι τῷ Θεῷ.

b) Ad argum. ps. CXVII. penes Corderium pag. 338. Τὰ μετὰ τὴν ἐπάνοδον προθε-

1) In exposit. pp. graec. in psalmos apud Corderium pag. 347.

2) Haec ab iis non differunt quae in Corderii catena Origeni tribuuntur.

etiam praecinit ea quae post reditum contigerunt. Quum enim templum aedificaturi essent, a finitimis gentibus earumque sociis prohibebantur, donec Deus ipsis miraculo victoriam concessit, hostibus ex spectro quodam sibi invicem manus inferentibus et infinitas divitias relinquentibus, ita ut iis templum luculenter aedificaretur. » Gemina posterior [1]) scribit, a quo alii penes Corderium [2]) in commentariis ne minimum quidem discedunt. Neque ex latinis discedunt sive venerabilis Beda, sive ii non pauci [3]) qui Bedae inhaerendum vestigiis existimarunt. En Bedae [4]) verba: « Reductum de Babylone populum a finitimis gentibus opprimi non potuisse testatur, atque ad laudandum Deum se mutuo cohortantium schema componitur. Aliter, vox Christi de se dicentis. » Priscis psalmorum enarratoribus plerique omnes ex recentioribus suffragantur, qui nullis licet curis pepercerint, eo tandem devenerunt, ut psalmum babylonico exilio posteriorem iudicarint. Quae quidem fuit non eorum dumtaxat opinio, quos [5]) Genebrardus et [6]) Lorinus appellant, verum etiam [7]) Knappii, Venemae [8]), De Wette [9]), Rosenmülleri [10]) atque [11]) ipsius etiam Hengstenbergii, qui suum in psalmos commentarium novissime vulgavit.

1051. Accedunt *interni characteres*, e quibus inde primum ductum volo, quod qui a nobis dissident et psalmum recentius scriptum inficiantur, illum Davidi prope unanimes asserunt, eiusque aetate vulgatum contendunt. Sed si psalmi auctor habendus est David, qui fit ut inscriptione careat qua ipsi vindicetur? Psalmi namque davidici iidemque vetustiores titulum praeferunt, inscriptionisque defectus nota est minime negligenda [12]) recentioris aevi.

σπίζει καὶ οὗτος· μέλλοντες γὰρ οἰκοδομῆσαι τὸν ναὸν, ἐκωλύοντο ὑπὸ τῶν περιοίκων ἐθνῶν καὶ τῶν συμμάχων αὐτῶν, ἕως παραδόξως αὐτοῖς νίκην ὁ θεὸς ἐδωρήσατο, ἐκ φάσματός τινος ἐκείνων ἀλλήλους διαχειρισαμένων, καὶ πλοῦτον καταλιπόντων ἄπειρον, ὡς μετὰ περιουσίας οἰκοδομηθῆναι τὸν ναόν.

1) Penes Agellium in comm. ad ps. CXVII. pag. 324.

2) L. c. pagg. 342. seqq.

3) De his videndus Calmet ad ps. CXVII.

4) Argum. in ps. CXVII. pag. 1003. opp. T. VIII.

5) In ps. CXVII.

6) Comm. in ps. CXVII.

7) Apud Dathium in ps. CXVIII. pag. 379.

8) Comm. in psalmos pag. 130. T. VI.

9) Comment. über die Psalmen, ad hunc Psalmum.

10) Schol. ad ps. CXVIII. pag. 1703.

11) Comment. über die Psalmen, ad hunc Psalmum.

12) Nescio utrum ad hanc notarum classem ea quoque referenda sit, quo psalmi davidici et antiquiores prioribus psalterii partibus, recentiores vero posterioribus comprehensi perhibentur.

Digitized by Google

Praeterea hoc distant vetustiores psalmi a recentioribus, quod hi soleant non pauca ex illis decerpta complecti. Nemo autem inficias eat, non omnino pauca esse quae in psalmum CXVII. ex aliis dimanarunt. Eiusmodi namque sunt quae leguntur [1]) commate primo, eiusmodi quae leguntur [2]) commatibus secundo et quarto, eiusmodi quae leguntur [3]) commate sexto, et praetermisso [4]) commate decimoquarto, eiusmodi sunt quae leguntur [5]) commate septimo. Ad haec, norunt hebraicae poeseos cultores, ἐπανάληψιν, exquisitamque eorumdem incisorum repetitionem, quae vix aut ne vix quidem in priscis hymnis adhibetur, in illis contra infrequentem haud esse, quos recentius tulit aevum sicuti genio minus pollens, ita arti plenius indulgens. Sed haec ipsa incisorum affectata propemodum iteratio tam evidenter extat in psalmo CXVII., ut ne adnotanda quidem esse videatur. Opportune [6]) Cassiodorius: « Quocirca intueamur hunc psalmum speciosa fronte relucentem; in ipsis quippe principiis quatuor versus pari fine conclusit, ut evangelico numero totum mundum uni Domino laudes debere reddere, adhortatione quadrifaria commoneret. Hos intercalares non possumus dicere, quia nullos alios miscet, sed unifines eos apto forsitan nomine vocitamus, qui simili verborum consonantia terminantur. Hoc et in centesimo tricesimo quinto psalmo per omnes versus absolute facturus est. » Et [7]) infra: « Recordemur hunc psalmum non incassum velut quibusdam fulgureis coloribus esse contextum. In capite enim quatuor versus unifines posuit, et iterum in fine primum versum psalmi decora iteratione geminavit, atque iterum quem vicesimum primum posuit, eumdem pene ultimum repetiit, ut quasi vestis illa Pontificis aureis quibusdam filis et vermiculata pulcritudine contexta fulgeret. » Denique distributio posteritatis Abrahami in domum Aaron, in Israelem atque in timentes Dominum, quum in vetustioribus psalmis numquam appareat, indicium continet minime obscurum illius aevi, quo non amplius tota unius imperio regebatur, et quo e gentibus plures Iudaeorum sacra complexi, nomine timentium Dominum insigniebantur. Adhibetur autem haec distributio [8]) in nostro psalmo, eiusque usus suadet, scite

1) Ps. CXVII. 1. coll. pss. CIV-CV-CVI.
2) Ps. CXVII. 2-4. coll. ps. CXV. 9-11.
3) Ps. CXVII. 6. coll. ps. LVI. 5.
4) Ps. CXVII. 14. coll. ex. XV. 2.
5) Ps. CXVII. 7. coll. ps. LIV. 6.
6) In argum. ps. CXVII. pag. 393. opp. T. II.
7) Ibidem in conclus. psalmi pag. 397.
8) Ps. CXVII. 2-3-4.

illum ad sequiorem aetatem revocari. Quapropter tempus compositi psalmi tale est, quod cum aetate liberati ab Amano Israelis egregie conspirat.

1052. Sed ea ne pariter est psalmi *materies*, quae similem cum Mardochaei atque Estheris historia concentum repraesentet? Eiusmodi revera esse intelligemus si semel nobis innotuerit, *negative* quidem, nihil psalmo contineri quod a nobilissimo Mardochaei et Estheris facinore abludat; *positive* vero, argumenta psalmi ac historiae ita cohaerere seseque mutuo excipere, ut in unam eamdemque summam concurrant. Porro nemo est veterum ac nemo recentiorum qui non ultro fateatur et doceat, psalmum esse ἐπινίκιον, carmenque eucharisticum, quo grates Deo pro impenso beneficio referuntur, et pro eo quidem beneficio quod tribus maxime dotibus enituerit. Quod I. fuerit *eximium, singulare, maximum*, quemadmodum ostendunt tum [1]) emphasis laudationis et ingeminata toties [2]) divinae pietatis benevolentiaeque commemoratio, tum [3]) ipsa beneficii descriptio atque subiecta oculis pictura. Quod II. *ad universam gentem* spectarit, quemadmodum ostendunt hinc quidem ii qui ad habendas Deo gratias cientur, quique sunt [4]) domus Aaron, Israel, et timentes Dominum; inde vero quae dicuntur sive [5]) de voce salutis et exultationis quae in tabernaculis iustorum resonuerit, sive [6]) de festo solemnique die qui in gratam accepti muneris recordationem ab omnibus frequentaretur. Postremo III. quod beneficium ex sese maximum et ad universam gentem spectans *egregio cuidam heroi secundum Deum tribui oportuerit*. Quem sane characterem spectandum exhibent non minus [7]) primae personae pronomina, singularisque verborum numerus, quam quae ita [8]) efferuntur: *lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli*. Atqui multis non est opus ut quisque sentiat, beneficium hisce distinctum characteribus ne lato quidem ungue ab eo discedere, quod libro Estheris narratur. Hoc namque fuit summum ac plane mirificum: fuit universale et ad totum Israelis populum spectans: et fuit eiusmodi quod Deus non citra Mardochaei operam concessum voluit. Tantum ergo abest ut

1) Ps. CXVII. 1.
2) Ibid. vv. 1-5.
3) Ibid. vv. 5. seqq.
4) Ibid. vv. 2-4.
5) Ibid. v. 15.
6) Ibid. v. 27.
7) Ibid. vv. 6. seqq.
8) Ibid. v. 22.

Digitized by Google

materies psalmi ab historia discrepet, ut cum ea satius plenissime conveniat.

1053. Ad quam illustrandam expoliendamque consensionem e re fuerit *adiuncta* perpendere, in quibus Israelis populus tum versabatur, quum auctus beneficio fuit quod psalmo extollitur. Nimirum [1]) versabatur in tribulatione, eaque ab hominibus profecta [2]) inimicis, potentibus, numero [3]) innumeris, furore [4]) aestuantibus, atque in id inhiantibus ut [5]) universum Israelem internecione delerent, ex Israelitis vero [6]) unum eumque perillustrem praecipua rabie prosequerentur. Huc certe redit expressa in psalmo imago populi, quem Deus suo favore complexus est. Sed haec est ipsissima imago, quae libro Estheris exhibetur. In eo namque [7]) Amanum habes inter aulicos optimatesque potentissimum, acerrimum [8]) Hebraeorum inimicum, cuius astu doloque [9]) ad universos Persarum satrapas mittuntur litterae, quibus [10]) Israelitae omnes morti addicuntur: tum habes unum [11]) prae ceteris Mardochaeum inexplebili Amani odio obnoxium, et ad crucem [12]) subeundam destinatum. Consensus igitur psalmi et historiae sic eminet, ut oculos suo splendore percellat. Qui multo etiam percellentur vehementius, si in modum rationemque intendantur, qua depulsa fuit pernicies et faustitas Israeli comparata. Quum enim hebraica res conclamata penitus videretur, nullumque ab hominibus exspectari iam praesidium posset, adfuit Deus, eoque modo adfuit qui plane geminus in historia atque in psalmo declaratur. Sicut enim [13]) in illa commemorantur preces ab Esthere et Mardochaeo populo indictae; ita [14]) in hoc spes omnis in Dei nomine eiusque invocatione collocatur. Sicut [15]) in illa ad vivum depingitur subitum Numinis auxilium, quo effectum est ut Mardochaei exaltatio ab Assuero decerneretur, eiusque animus, adnitente Esthere, benevolus ac propensus in Israelem evaderet; ita in hoc celebratur [16]) Dei opus quo trepidos suscepit, perditis [17]) salutem attulit, unumque [18]) prae omnibus deiectum ad supremam di-

1) Ps. CXVII. 5.
2) Ibid. vv. 6-9.
3) Ibid. vv. 10-11.
4) Ibid. v. 12.
5) Ibid. vv. 13-17-18.
6) Ibid. v. 22.
7) Esth. XIII. 3.
8) Ibid. III. 5. seqq.
9) Ibid. III. 13.
10) Ibid. III. 6-13.
11) Ibid. III. 6.
12) Ibid. VII. 9.
13) Ibid. IV. 16.
14) Ps. CXVII. 5.
15) Esth. VI. 11. VII. 6. seqq.
16) Ps. CXVII. 6-7.
17) Ibid. vv. 10. seqq.
18) Ibid. v. 22.

Digitized by Google

gnitatem evexit. Et sicut in illa ultimum [1]) Amani exitium, summa [2]) Israelis felicitas, festaque [3]) liberationis ultionisque commemoratio describuntur; ita in hoc neque [4]) silentio premitur sumpta de hostibus vindicta, neque [5]) Israelis gaudia solemnisque celebritas reticentur. Plurima igitur, ne dicam omnia, tam in psalmo quam in historia eodem pertinent, et ad unum idemque factum non obscure referuntur.

1054. De qua quidem psalmi historiaeque affinitate, et argumenti utrique subiecti cognatione atque harmonia nullus plane supererit ambigendi locus, si quae historia continentur iis e regione opponantur quae psalmus complectitur. Eiusmodi enim comparatio evincet, aut nihil esse alteri simile, quod paradoxum fuit stoicorum, aut historiae psalmique argumenta sibi adamussim responderc. Quare seposito [6]) psalmi exordio, ita se habet mutua singularum partium conspiratio.

Esth. XI. 8-11. ***Fuitque dies illa tenebrarum et discriminis, tribulationis et angustiae, et ingens formido super terram. Conturbataque est gens iustorum timentium mala sua, et praeparata ad mortem. Clamaveruntque ad Deum.***

X. 9. ***Gens mea, Israel est, quae clamavit ad Dominum, et salvum fecit Dominus populum suum.***

XIII. 8. ***Mardochaeus autem deprecatus est Dominum.***

XIV. 12. ***Memento Domine, et ostende te nobis in tempore tribulationis nostrae, et da mihi fiduciam Domine rex deorum et universae potestatis.***

Ps. CXVII. 5. *De tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus.* Eodem pacto [a]) Alexandrini, neque aliter ad sensum quod attinet hebraica [b]) veritas: *de angustia vocavi Dominum, exaudivit me in latitudine* [7]) *Dominus,* atque ex angustiis me educens in libero patentique loco constituit.

a) Ps. CXVII. 5. Ἐκ θλίψεως ἐπεκαλεσάμην τὸν κύριον, καὶ ἐπήκουσέ μου εἰς πλατυσμόν. Symmachus: καὶ ἐπήκουσέ μου εἰς εὐρυχωρίαν.

b) Ps. CXVIII. 5. מִן־הַמֵּצַר קָרָאתִי יָּהּ עָנָנִי בַמֶּרְחָב יָהּ׃

1) Esth. VII. 10.

2) Ibid. VIII. 8. seqq.

3) Ibid. IX. 27. seqq.

4) Ps. CXVII. 11-12.

5) Ibid. vv. 15. seqq.

6) Constat autem prioribus quatuor psalmi versibus, qui in codicibus kennicotianis et rossianis non paucis ad praecedentem hymnum referuntur. Hinc in plerisque Machazorim mss. et editis, itemque Ordinibus iudaic. precum maiores initialesque litterae novi psalmi occurrunt commate quinto.

7) *Exaudire in latitudine* idem valet ac *in latitudinem educere*, atque ex angusto arctoque loco liberare. Probari igitur admodum nequit paraphrasis anonymi apud Corderium pag. 339: Τὸ εἰς πλατυσμὸν· ἀντὶ τοῦ, πλείονά μοι παρέσχεν ὧν ᾔτησα. *Illud* in latitudinem *significat, plura mihi concessit quam petieram.*

Esth. XIII. 9-11. *Et dixit* (Mardochaeus): *Domine Domine rex omnipotens; in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. Tu fecisti caelum et terram, et quidquid caeli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuae.*

XIV. 1-3-14-19. *Esther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum quod imminebat. Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adiuva me solitariam, et cuius praeter te nullus est auxiliator alius. Nos autem libera manu tua, et adiuva me nullum aliud auxilium habentem nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam. Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, et libera nos de manu iniquorum, et erue me a timore meo.*

Ps. CXVII. 6-7. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, et ego despiciam inimicos meos.* Reddunt eumdem sensum [a]) Alexandrini, qui [b]) in textu evidentior occurrit: *Dominus* [1]) *mihi, non timebo quid faciet mihi homo. Dominus mihi* [2]) *in adiutoribus meis, et* [3]) *ego videbo in osoribus meis* poenam quam merentur et exitium quo tu in illos animadvertes.

Esth. XIII. 3-12-14. *Unus* (verba sunt Assueri) *qui sapientia et fide caeteros* (consiliarios) *praecellebat, et erat post regem secundus Aman nomine. Cuncta nosti* (verba sunt Mardochaei Deum exorantis), *et scis quia non pro superbia et contumelia et aliqua gloriae cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum;*

Ps. CXVII. 6-8. *Non timebo, quid faciat mihi homo. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.* Hoc autem comma ab Alexandrinis similiter [c]) redditum, hebraice [d]) sic habet:

a) Ps. CXVII. 6-7. Κύριος ἐμοὶ βοηθὸς, *καὶ οὐ φοβηθήσομαι τί ποιήσει μοι ἄνθρωπος· κύριος ἐμοὶ βοηθὸς, κἀγὼ ἐπόψομαι τοὺς ἐχθρούς μου.*

b) Ps. CXVIII. 6-7. יְהֹוָה לִי לֹא אִירָא מַה־יַּעֲשֶׂה לִי אָדָם ׃ יְהֹוָה לִי בְּעֹזְרָי וַאֲנִי אֶרְאֶה בְשֹׂנְאָי ׃

c) Ps. CXVII. 8. *Ἀγαθὸν πεποιθέναι ἐπὶ κύριον, ἢ πεποιθέναι ἐπ' ἄνθρωπον.*

d) Ps. CXVIII. 8. טוֹב לַחֲסוֹת בַּיהֹוָה מִבְּטֹחַ בָּאָדָם ׃

1) *Dominus mihi*, pro me, meisque partibus favens, ut ps. LVI. 10.

2) Aben-Esra et Kimchi praefixum ב habent loco עם, incisumque vertunt: *Dominus mihi, meisque auxiliatoribus adest.* Sunt quibus ב est *inter*, verbaque interpretantur: *Dominus est inter adiutores meos.* Auctore tandem Henrico Michaelis, constructio redolet arabismum, ב est signum nominativi, atque sensus huc redit: *Dominus adiutor meus.*

3) Sicuti particula ו potestatem habet *concludendi*, ita phrasis, *videre in osoribus meis*, ex ingenio linguae pss. XXII. 18., LIV. 9., LIX. 11., XCII. 12., CXII. 8. tantumdem valet ac *oculis prope usurpare vindictam de osoribus a Deo sumptam.* Egregie Theodoritus: *ἐλπίζω γὰρ τῆς παρ' αὐτοῦ ῥοπῆς ἀπολαύων, τὸν ὄλεθρον τούτων ἰδεῖν ὅτι τάχιστα. Spero enim ab ipso opem nactus, stragem illorum quamprimum me visurum.*

Digitized by Google

sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.

Esth. XIII. 5. *Et nunc Domine rex Deus Abraham miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, et hereditatem tuam delere.*

Esth. XIV. 2-3. *Multi bonitate principum et honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam; et non solum subiectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt, moliuntur insidias.*

Esth. XIII. 4-7. *Indicavit* (Aman) *mihi* (Assuero) *in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, et contra omnium gentium consuetudinem faciens, regum iussa contemneret, et universam concordiam nationum sua dissensione violaret. Quod eum didicissemus, vi-*

bonum est se recipere [1]) *ad Dominum, quam* [2]) *confidere in homine.*

Ps. CXVII. 7. *Et ego despiciam inimicos meos.* Quibus haec [3]) omnino respondent; *in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

Ps. CXVII. 9. *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.* Graece [a]) eodem pacto, ac vix aliter [b]) hebraice: *Bonum est se recipere ad Dominum, quam spem suam in principibus collocare.*

Ps. CXVII. 10. *Omnes gentes circuierunt me.* Ad unguem consentiunt [c]) versio alexandrina et [d]) textus hebraicus, idque unum

a) Ps. CXVII. 9. Ἀγαθὸν ἐλπίζειν ἐπὶ κύριον, ἢ ἐλπίζειν ἐπ' ἄρχουσι.

b) Ps. CXVIII. 9. טוֹב לַחֲסוֹת בַּיהוָה מִבְּטֹחַ בִּנְדִיבִים׃

c) Ps. CXVII. 10. Πάντα τὰ ἔθνη ἐκύκλωσάν με.

d) Ps. CXVIII. 10. כָּל־גּוֹיִם סְבָבוּנִי

1) Verba חָסָה et בָּטַח comparata sic sunt, ut illud apte reddatur *confugit, se recepit sub umbram alicuius atque in eius* tutelam, hoc vero plenius significet *speravit, confisus est, securus fuit.* Dicitur ergo melius ac tutius esse sub umbram Dei se recipere, quam vel firmissimo hominum auxilio inniti.

2) Haec respondent *formulae comparatae*, qua hebraei carent. Liquet igitur quo sensu accipi haec debeant quae penes Corderium pag. 350. Eusebius scribit: Οὐ κατὰ σύγκρισιν ταῦτα προάγει ἀλλ' ἔθος τῇ γραφῇ τούτῳ κεχρῆσθαι τῷ τρόπῳ καὶ ἐπὶ τῶν ἀσυγκρίτων, διὰ τὴν ἀσθένειαν τῶν τότε ἀκουόντων· οὐκ ἄρα συγκρίνων τοῦτό φησιν, ἀλλὰ συγκαταβαίνων ἐκείνοις· διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ἕτερος προφήτης ἔλεγεν· ἐπικατάρατος πᾶς ὁ ἐλπίζων ἐπ' ἄνθρωπον· οὐδὲν γὰρ εὐτελέστερον ταύτης τῆς ἐλπίδος· ἡ δὲ εἰς Θεὸν ἐλπὶς οὐκ ἰσχυρὰ μόνον ἐστίν, ἀλλὰ καὶ ἀσφαλής, οὐκ ἔχουσα μεταβολήν. *Non haec dicit per comparationem, sed consuevit Scriptura uti hac figura in iis etiam quae comparationem non admittunt, propter eorum qui tunc audiunt imbecillitatem. Non hoc ergo dicit comparans, sed se ad illorum captum demittens. Et ideo alius quoque propheta* (Ier. XVII. 5.) *dixit*, maledictus omnis qui sperat in homine: *nihil est enim ea spe debilius. Spes autem in Deum non modo est valida, verum etiam* (Eccli. II. 11.) *tuta, ut quae nullam habeat mutationem.*

3) Ps. XLIII. 6.

dentes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque iussionibus contraire et turbare subiectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam; iussimus ut quoscumque Aman, qui omnibus provinciis praepositus est, et secundus a rege, et quem patris loco colimus, monstraverit, eum coniugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis: nullusque eorum misereatur, quartadecima die duodecimi mensis Adar anni praesentis: ut nefarii homines uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbaverant.

monendum est quod neminem latet, pronomen *omnes* potestate sumi distributa, deque gentibus iis omnibus adhiberi, quas inter hebraicus populus ab hereditariis sedibus misere extorris versabatur.

Esth. XIV. 8-12. *Et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute, sed robur manuum suarum, idolorum potentiae deputantes, volunt tua mutare promissa, et delere hereditatem tuam, claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi et altaris tui, ut aperiant ora gentium, et laudent idolorum fortitudinem et praedicent carnalem regem in sempiternum. Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed converte consilium eorum super eos, et eum qui in nos coepit furere, disperde.*

Ps. CXVII. 11-12. *Circumdantes circumdederunt me. Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis.* Vix differunt [a]) Alexandrini, sed Symmachus [b]) primum incisum reddit, *circumdederunt me et rursum undique circumdederunt* [1]) *me*. Consentit Hieronymus: *circumdederunt me, et obsederunt me.* Alterum vero incisum penes Hieronymum sic habet: *extinctae sunt* (gentes) *quasi ignis spinarum.* Neque aliter [c]) penes Aquilam et Symmachum. Lectio textus [d]) haec est: *circumdederunt me, etiam circumdederunt me. Circumdederunt me sicut apes, exstincti* [2]) *sunt* (hostiles populi) *sicut ignis spinarum.*

a) Ps. CXVII. 11-12. Κυκλώσαντες ἐκύκλωσάν με· ἐκύκλωσάν με ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον· καὶ ἐξεκαύθησαν ὡς πῦρ ἐν ἀκάνθαις.

b) Symmach. Ἐκύκλωσάν με, καὶ πάλιν περιεκύκλωσάν με.

c) Aq. et Symm. Καὶ ἀπεσβέσθησαν ὡς πῦρ ἀκανθῶν.

d) Ps. CXVIII. 11. סַבּוּנִי גַם־סְבָבוּנִי v. 12. סַבּוּנִי כִדְבֹרִים דֹּעֲכוּ כְּאֵשׁ קוֹצִים

1) Verissime Anonymus penes Corderium pag. 339. Ὁ διπλασιασμὸς τὴν ἐπίτασιν σημαίνει. Βούλεται γὰρ εἰπεῖν, ὅτι ἄγαν με περιεστοίχισαν. *Geminatio intensionem designat. Vult enim dicere, quod valde me circumdederunt.*

2) Censuit Cappellus et Alexandrinos qui ha-

Esth. VIII. 11-14. *Quibus* [1] *imperavit rex, ut convenirent Iudaeos per singulas civitates, et in unum praeciperent congregari ut starent pro animabus suis, et omnes inimicos suos cum coniugibus et liberis et universis domibus interficerent atque delerent, et spolia eorum diriperent. Et constituta est per omnes provincias una ultionis dies, idest, tertiadecima mensis duodecimi Adar. Summaque epistolae haec fuit, ut in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subiacebant imperio, notum*

Ps. CXVII. 10-11-12. *Et in nomine Domini, quia ultus sum* [2]) *in eos.* Quae verba ter repetuntur. Alexandrini ter [a]) habent: *et in nomine Domini ultus sum eos.* Idest, Theodorito [b]) interprete, *ego autem Dei imploratione munitus, illorum aciem profligavi.* Versio autem Symmachi [c]) haec est: *et in nomine Domini confregi eos.* A quibus non admodum discedit hebraicus textus in quo [d]) legimus: *in nomine Domini, quia abscindam eos.* Idest suppleri debet ante particulam כִּי verbum *spe-*

a) Ps. CXVII. 10-11-12. Καὶ τῷ ὀνόματι κυρίου ἠμυνάμην αὐτούς.

b) Comm. in Ps. CXVII. 11. pag. 1430. Ἐγὼ δὲ τῇ τοῦ Θεοῦ ἐπικλήσει φραξάμενος, τὴν ἐκείνων ἐσκέδασα φάλαγγα.

c) Symm. Καὶ τῷ ὀνόματι κυρίου διέθρυψα αὐτούς.

d) Ps. CXVIII. 10-11-12. בְּשֵׁם יְהוָה כִּי אֲמִילַם

bent ἐξεκαύθησαν, et Vulgatum qui reddit *exarserunt*, et Chaldaeum qui interpretatur דְלָקִין *ardent*, in suis codicibus legisse בָּעֲרוּ, permutatione litterarum figura similium, τοῦ ב et כ, item τοῦ ר et ד. Sed Buxtorfius in Anti-Crit. pag. 680. sic illi occurrit: « Videntur illi, quod quibusdam verbis in hac lingua accidit, verbum דָּעַךְ in coniugatione hac *Pyhal* contraria significatione accepisse, ita ut quod in *Kal* significat *extinguere*, in *Pihel* et *Pyhal* significet *ardere, comburi*. Praeterea si totam sententiam consideremus, sensus eodem redire videtur. Videntur enim voluisse dicere: *exarserunt subito, adeoque extincti sunt, non secus atque spinarum ignis mox exardescit ac deflagrat seu extinguitur.* Lectionem hodiernam sane exprimunt ex veteribus Aquila, Symmachus, Hieronymus, Syrus. Masora autem adiecta sua nota confirmat. » Praeiverat Agellius inquiens: « Hostilem impetum brevi duraturum aptissime duabus rebus comparavit, quae violenter irruunt, sed quarum impetus cito desinit, at vires non iam aliis nocent quam se ipsas consumunt. Apes enim vehementi impetu insiliunt, sed ubi aculeos defixerint, ipsae moriuntur; et ignis si spinas corripuerit, illico per totum crepitatione terribili omnia pervadit, sed sonitus ille et flamma spinis exustis cito conquiescunt, ita ut ne carbo quidem ex incendio relinquatur, *Exarserunt*, ἐξεκαύθησαν, sic LXX. verterunt, quod alii interpretes dixerunt ἀπεσβέσθησαν *extincti sunt.* Haec autem contraria inter se videntur, *exardescere* et *extingui*; nec tamen contraria sunt, sed conveniunt. Significatur enim hebraico verbo illa flammae proxima quaeque corripientis mobilitas, et de spinis ad spinas celer transitus, quum primis ardere cessantibus, sequentibusque ac vicinia ignem ad se rapientibus, currens per omnia flamma celeriter cuncta consumit. » Videsis criticas Houbigantii notas, quibus Cappelli suspicionem tuetur.

1) Indicantur *veredarii*, ii nimirum cursores qui mutatis opportune equis festinant.

2) Sic habet in notis criticis Houbigantius: אמילם, Hieronymus et graeci interpretes sequuntur scriptionem אגמלם, *retribuam eis*, vel *ulciscar in eos*, quam quidem credimus esse germanam, אמילם, adulterinam. Certe verbum מול *succidere*, nuspiam translate usurpatur, nisi enuntiata illa re ex qua translatio ducitur, ut est *herba* quae succiditur, aut *flos*, aut quid simile. » Profecto confidentius, quum מול, et chaldaice מהל, sit absolute *praecidit, amputavit, circumcidit*, et in Hiphil, *excidit, delevit.* Ceterum Alexandrini sensu contenti verbum ἠμυνάμην similis significationis adhibuerunt.

Digitized by Google

fieret, paratos esse Iudaeos ad capiendam vindictam de hostibus suis.

IX. 1. *Igitur duodecimi mensis tertiadecima die, quando cunctis Iudaeis interfectio parabatur, et hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Iudaei superiores esse coeperunt, et se de adversariis vindicare.*

IX. 5-22. *Itaque percusserunt Iudaei inimicos suos plaga magna, et occiderunt eos, reddentes eis quod sibi paraverant facere. In ipsis diebus se ulti sunt Iudaei de inimicis suis, et luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt.*

Esth. X. 9-12. *Clamavit* (Israel) *ad Dominum, et salvum fecit Dominus populum suum. Et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hereditatis suae.*

XIII. 17. *Converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum Domine, et ne claudas ora te canentium.*

ravi ductum ex nomine מִבְטָח commatis proxime antecedentis, adeo ut plenus sensus huc redeat: *in nomine Domini* speravi, *quod exscindam eos*. Favet Chaldaeus, cuius haec est paraphrasis: *in nomine verbi Domini speravi, quod exscinderem eos*. Atque ipse etiam favet Agellius his verbis: « *Confisus nomine Domini* altus sum in eos. His armis muniti et instructi non modo tela hostilia depellimus, verum etiam hostes vincimus et ulciscimur: seu ut significanter est in hebraeo, *sternimus* atque *concidimus*, et exercitus totos tamquam campos spicarum culmis horrentes demetimus. Nam id proprie est אמילם. »

Ps. CXVII. 13-14. *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. Fortitudo mea et* [1]) *laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* Conveniunt penitus [a]) Alexandrini, sed in hebraica veritate totidem verbis [b]) legimus: *impellendo* [2]) *impulisti me ad cadendum, et Dominus auxiliatus est mihi. Fortitudo mea et* [3]) *cantio Dominus, et fuit mihi*

a) Ps. CXVII. 13-14. Ὠσθεὶς ἀνετράπην τοῦ πεσεῖν, καὶ ὁ κύριος ἀντελάβετό μου· ἰσχύς μου, καὶ ὕμνησίς μου ὁ κύριος, καὶ ἐγένετό μοι εἰς σωτηρίαν.

b) Ps. CXVII. 13-14. דָּחֹה דְחִיתַנִי לִנְפֹּל וַיהוָֹה עֲזָרָנִי׃ עָזִּי וְזִמְרָת יָהּ וַיְהִי־לִי לִישׁוּעָה׃

1) Monet Dathius in notis, verba haec sumpta esse ex cantico Israelitarum Ex. XV. 2. *robur meum et canticum est Deus*. In quibus hendiadys: *roboris mei canticum*.

2) Vel obtinet numeri enallage, qua hostes etsi plurimi singulari tamen numero significantur; vel, quod satius crediderim, ad hostem omnium acerbissimum sermo convertitur.

3) En quae de Rubeis notat in variis lectionibus: « ופרת *et laus*. Kennic. 153. וזמרתי *et laus mea*, ut עזי praecedens, ut veteres omnes vertunt. » Scilicet iampridem Kimchius animadverterat, זמרת adhiberi pro זמרתי, iod suffixo ob proxime sequens iod expirante.

Digitized by Google

XVI. 18. *Pro quo scelere ante portas huius urbis, idest Susan, et ipse qui machinatus est, et omnis cognatio eius pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente eis quod meruit.*

saluti. Egregie [a]) Theodorus mopsuestenus: « Quid est *fortitudo mea et laudatio mea Dominus?* Ipse, inquit, factus est fortitudo mea et auxilium meum. Quid est *laudatio mea?* Gloria mea, commendatio mea, decus meum, meus splendor. Non solum enim liberat a periculis, sed claros etiam facit et illustres. »

Esth. XI. 7-9. *Ad quorum clamorem cunctae concitatae sunt nationes, ut pugnarent contra gentem iustorum. Conturbataque est gens iustorum timentium mala sua, et praeparata ad mortem.*

XIII. 17. *Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo tuo, et converte luctum nostrum in gaudium.*

XVI. 21. *Hanc diem Deus omnipotens maeroris et luctus, eis vertit in gaudium.*

Ps. CXVII. 15. *Vox exsultationis et salutis in tabernaculis iustorum.* Sunt haec expressa ad [b]) alexandrinam versionem, ipsumque hebraicum textum qui sic [c]) habet: *vox iubili et salutis in tabernaculis iustorum.* Idest ex commentario anonymi [d]) pencs Corderium: « Idcirco omnia tabernacula nostra et familiae vocem iucunditatis valent emittere, et cum gaudio ea quae gesta sunt nuntiare. »

Esth. XIII. 9. *Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.*

Ps. CXVII. 15-16. *Dextera Domini fecit virtutem.* Consonant [e]) alexandrini, textusque hebraicus, cuius haec [f]) sunt verba: *dextera Domini fecit strenuitatem.* Ut enim

a) Apud Corderium pag. 352. Τί ἔστιν ἰσχύς μου καὶ ὕμνησίς μου ὁ κύριος; ἡ δύναμίς μού, φησιν, αὐτὸς ἐγένετο, καὶ ἡ βοήθειά μου· τί ἔστιν ἡ ὕμνησίς μου; ἡ δόξα μου, ὁ αἶνός μου, ὁ κόσμος μου, ἡ περιφάνειά μου· οὐ γὰρ δὴ μόνον ἀπαλλάττει τῶν κινδύνων, ἀλλὰ καὶ λαμπροὺς ποιεῖ καὶ περιφανεῖς.

b) Ps. CXVII. 15. Φωνὴ ἀγαλλιάσεως καὶ σωτηρίας ἐν σκηναῖς δικαίων.

c) Ps. CXVIII. 15. קוֹל רִנָּה וִישׁוּעָה בְּאָהֳלֵי צַדִּיקִים

d) Anonym. apud Corderium pag. 340. Διὰ τοῦτο πᾶσαι αἱ σκηναὶ ἡμῶν καὶ αἱ οἰκήσεις φωνὴν ἴσχουσιν εὐφροσύνης, καὶ τὸ μετὰ χαρᾶς διηγεῖσθαι τὰ γεγονότα.

e) Ps. CXVII. 15-16. Δεξιὰ κυρίου ἐποίησε δύναμιν.

f) Ps. CXVIII. 15-16. יְמִין יְהוָה עֹשָׂה חָיִל

X. 9. *Liberavit* (Dominus) *nos ab omnibus malis, et fecit signa magna atque portenta inter gentes.*

Theodorus mopsuestenus [a]) ait: « Haec dextera et populum suum confortavit tempore persequutionum, et eadem quum inimicos Domini humiliasset, ipsum populum exaltavit. »

Esth. VIII. 15. *Mardochaeus autem de palatio et de conspectu regis egrediens fulgebat vestibus regiis, coronam auream portans in capite, omnisque civitas exultavit atque laetata est.*

IX. 3. *Provinciarum iudices et duces et procuratores, omnisque dignitas quae singulis locis ac operibus praeerat, extollebant Iudaeos timore Mardochaei.*

XI. 11. *Humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos.*

Ps. CXVII. 16. *Dextera Domini exaltavit me.* Iisdem verbis utuntur [b]) alexandrini, quae paullo inflexa secus in originali textu [c]) occurrunt: *Dextera Domini exaltata* atque [1]) exserta et prae omnibus hostium viribus potens. Scite [d]) anonymus corderianus: « Exsultantes autem haec clamabunt, nempe hoc opus esse manus Dei, et nos ab ipso fuisse glorificatos. »

Esth. XIV. 6. *Peccavimus in conspectu tuo, et idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum.*

Ps. CXVII. 18. *Castigans castigavit me Dominus.* Quae sine ulla varietate tam [e]) alexandrini quam [f]) hebraicus textus pariter referunt.

Esth. VII. 3-4. *Dona mihi animam meam, pro qua rogo, et populum meum, pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego*

Ps. CXVII. 17-18. *Non moriar sed vivam. Et morti non tradidit me.* A quibus ne hilum qui-

a) Apud Corderium pag. 354. Αὕτη ἡ δεξιὰ καὶ ἐνεδυνάμωσε τῆς ἑαυτῆς λαὸν κατὰ τὸν τῶν διωγμῶν καιρὸν, αὕτη δὲ τοὺς ἐχθροὺς τοῦ κυρίου ταπεινώσασα, αὐτὸν ὕψωσε τὸν λαόν.

b) Ps. CXVII. 16. Δεξιὰ κυρίου ὕψωσέ με.

c) Ps. CXVIII. 16. יְמִין יְהוָה רוֹמֵמָה

d) Apud Corderium pag. 340. Οἱ δὲ ἀγαλλιώμενοι ταῦτα βοήσουσιν, ὅτι τῆς χειρός ἐστι τοῦ Θεοῦ τὸ ἔργον, καὶ ὅτι παρ' αὐτοῦ ἐδοξάσθημεν.

e) Ps. CXVII. 18. Παιδεύων ἐπαίδευσέ με ὁ κύριος.

f) Ps. CXVIII. 18. יַסֹּר יִסְּרַנִּי יָּהּ

1) Est רוֹמֵמָה adiectivum צֹלֵעָה Mich. VI. 6-7. et שׁוֹמֵמָה Thren. I. 13., apteque vertitur exserta, exaltata.

et populus meus, ut conteramur, iugulemur et pereamus.

VIII. 5-10. *Obsecro, ut novis epistolis veteres Aman litterae, insidiatoris et hostis Iudaeorum, quibus eos in cunctis regis provinciis perire praeceperat, corrigantur. Epistolae quae regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatae sunt, et missae per veredarios, qui per omnes provincias discurrentes, veteres litteras novis nuntiis praevenirent.*

XIII. 18. *Omnis quoque Israel pari mente et obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.*

XV. 12-13. *Noli metuere, non morieris.*

dem dissentiunt [a]) graeca versio et [b]) hebraica veritas. Insignis vero est Theodoriti [c]) commentarius: « Permisit enim ut res tristes me adorirentur, paterne me castigans: molestam vero horum nubem discussit, et a detrimento quod inde manare poterat, me penitus vindicavit. » Quibus ita continetur beneficii summa, ut in Mardochaei facinus prae alio quovis perfectissime quadret.

Esth. IX. 23-28. *Susceperunt Iudaei in solemnem ritum cuncta quae eo tempore facere coeperant, et quae Mardochaeus litteris facienda mandaverat. Isti sunt dies, quos nulla umquam delebit oblivio: et per singulas generationes cunctae in toto orbe provinciae celebrabunt; nec est ulla civitas in qua dies Phurim, idest, sortium non observentur a Iudaeis et ab eorum progenie, quae his caeremoniis obligata est.*

XIII. 17. *Exaudi deprecationem meam, et propitius esto sorti et funiculo tuo: et converte luctum nostrum in gau-*

Ps. CXVII. 17-19-20-21. *Non moriar sed vivam, et narrabo* [1]) *opera Domini. Aperite mihi* [2]) *portas iustitiae, ingressus in eas confitebor Domino. Haec porta Domini, iusti intrabunt in eam. Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.* Consentit [d]) alexandrina interpreta-

a) Ps. CXVII. 17-18. Οὐκ ἀποθανοῦμαι, ἀλλὰ ζήσομαι· καὶ τῷ θανάτῳ οὐ παρέδωκέ με.

b) Ps. CXVIII. 17-18. לֹא־אָמוּת כִּי־אֶחְיֶה־וְלַמָּוֶת לֹא נְתָנָנִי :

c) Comm. in ps. CXVII. 18. pag. 1431. Συνεχώρησε γὰρ προσβαλεῖν μοι τα λυπηρὰ, πατρικῶς με παιδεύων· τὸ δὲ στυγνὸν τούτων διέλυσε νέφος, καὶ τῆς ἐκεῖθεν με παντελῶς ἠλευθέρωσε λώβης.

d) Ps. CXVII. 17-19-20-21. Οὐκ ἀποθανοῦμαι, ἀλλὰ ζήσομαι, καὶ διηγήσομαι τὰ ἔργα κυρίου· ἀνοίξατέ μοι πύλας δικαιοσύνης· εἰσελθὼν ἐν αὐταῖς ἐξομολογήσομαι τῷ

1) Receptae hebraici textus lectiones, versionesque omnes legunt pluraliter מעשי *opera*. Sed triginta codices kennicottiani, centum et tredecim rossiani, plures antiquae editiones et libri precum habent singulariter מעשה *opus*.

2) Auctore Dathio, verba hebraica שערי־צדק vertenda non sunt *portae iustitiae*, sed *portae sanctae*, hoc est, quae ad locum sacrum ubi Deus colitur, ducunt. Sic צדיקים non sunt *iusti* sed *pii* et *religiosi*, uti צדק de tota religione dicitur.

Digitized by Google

dium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine.

Esth. VIII. 2-15. *Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, et tradidit Mardochaeo. Mardochaeus autem de palatio et de conspectu regis egrediens fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet et aeriis, coronam auream portans in capite, et amictus serico pallio atque purpureo: omnisque civitas exultavit atque laetata est.*

Esth. X. 4. *Dixitque Mardochaeus, a Deo facta sunt ista.*

XI. 12. *Quod cum vidisset Mardo-*

tio, neque dissidet [a]) hebraicus textus.

Ps. CXVII. 22. *Lapidem* [1]) *quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* Concinunt totidem verbis [b]) alexandrini, sed Symmachus [c]) reddit, *hic factus est summus angularis.* Verba textus [d]) sunt diserta: *lapis quem reprobaverunt* [2]) *aedificantes, fuit in caput* [3]) *anguli.* Quum autem proprium sit lapidis angularis separata coniungere, hoc *historice* in Mardochaeum cadit, qui Hebraeos gentesque amice conciliavit.

Ps. CXVII. 23. *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.* Eodem pacto [e])

κυρίῳ· αὕτη ἡ πύλη τοῦ κυρίου, δίκαιοι εἰσελεύσονται ἐν αὐτῇ, ἐξομολογήσομαί σοι, ὅτι ἐπήκουσάς μου, καὶ ἐγένου μοι εἰς σωτηρίαν.

a) Ps. CXVIII. 17-19-20-21. לא־אָמוּת כִּי־אֶחְיֶה וַאֲסַפֵּר מַעֲשֵׂי יָהּ: פִּתְחוּ־לִי שַׁעֲרֵי־צֶדֶק אָבֹא־בָם אוֹדֶה יָהּ: זֶה־הַשַּׁעַר לַיהוָה צַדִּיקִים יָבֹאוּ בוֹ: אוֹדְךָ כִּי עֲנִיתָנִי וַתְּהִי־לִי לִישׁוּעָה:

b) Ps. CXVII. 22. Λίθον, ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας.

c) Symm. Οὗτος ἐγενήθη ἀκρογωνιαῖος.

d) Ps. CXVIII. 22. אֶבֶן מָאֲסוּ הַבּוֹנִים הָיְתָה לְרֹאשׁ פִּנָּה:

e) Ps. CXVII. 23. Παρὰ κυρίου ἐγένετο τοῦτο.

1) Est anastrophe, et casus pro casu ut Ioh. XIV. 24. *sermonem quem audivistis, non est meus:* ut apud Virgilium, *urbem quam statuo, vestra est:* ut apud Plautum, *Naucratem quem convenire volui, in navi non erat*: et ut apud Terentium, *eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit.*

2) « Verba ipsa, *inquit Dathius*, non videntur difficilia, si tropice explicantur de persona a principibus reprobata, deinde vero ad dignitatem eo maiorem evecta. At Michaelis qui secundum literam haec intelligit, miram fingit historiam de lapide in exstructione templi salomonei ab architectis reprobato et tamquam inepto reiecto, qui vero deinceps iussu Dei per prophetam ut lapis angularis sit adhibitus; cuius rei causam ostendere loca novi testamenti, in quibus haec verba de Iesu Messia explicantur. Hunc vero lapidem indicari in his verbis, quem populus pompa solemni circumierit. Quae vereor ut multis probabilia videantur. Knappius quidem haec non probavit, sed haud scio an probabiliora sint quae ipse dedit. Existimat enim verba posse proprie explicari de lapidibus prioris templi destructi, qui ab architectis reprobati essent, sed iussu Dei ut lapides angulares adhibiti; atque hanc subitam mutationem populum in his verbis mirari. At enimvero plerique interpretes consentiunt in allegorica verborum explicatione, et variant tantum in determinatione subiecti, de quo agant.»

3) Tum lapis dicitur fieri *caput anguli*, quum totius aedificii commissuram fulcit. Videsis I. E. Fabri archeolog. hebr. pagg. 411-412.

chaeus, et surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet.

Esth. VIII. 14-17. *Egressique sunt veredarii celeres nuntia perferentes, et edictum regis pependit in Susan. Apud omnes populos, urbes atque provincias, quocumque regis iussa veniebant, mira exultatio, epulae atque convivia et festus dies: in tantum ut plures alterius gentis sectae eorum religioni et caeremoniis iungerentur. Grandis enim cunctos iudaici nominis terror invaserat.*

XVI. 21-22. *Hanc enim diem, Deus omnipotens, maeroris et luctus eis vertit in gaudium. Unde et vos inter ceteros fe-*

Aquila et [a]) textus, sed nonnihil secus [b]) alexandrini.

Ps. CXVII. 24-25-26. *Haec dies quam fecit Dominus, exsultemus et laetemur in ea. O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare. Benedictus qui venit* [1]) *in nomine Domini, benediximus vobis* [2]) *de domo Domini.* Duo posteriora commata graece [c]) sic habent: *o Domine salva* [3]) *nunc, o Domine bene prosperare nunc.* Vel, *o Domine, obsecro, salva, quaeso: o Domine prosperare fac, quaeso. Benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vos de domo Domini.* Haec autem est lectio [d]) textus: *hunc diem fecit Dominus, exsultemus et laetemur in eo. Quaeso* [4]) *Domine salvum*

a) Ps. CXVIII. 23. מֵאֵת יְהוָֹה הָיְתָה זֹּאת הִיא נִפְלָאת בְּעֵינֵינוּ

b) Ps. CXVII. 23. Παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη (ex hebraismo) καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν.

c) Ps. CXVII. 25-26. Ὦ κύριε σῶσον δή, ὦ κύριε εὐόδωσον δή· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου· εὐλογήκαμεν ὑμᾶς ἐξ οἴκου κυρίου.

A. Σ. Θ. Ε. ὦ δὴ κύριε σῶσον δή, ὦ δὴ κύριε εὐόδωσον δή.

d) Ps. CXVIII. 24-26. זֶה־הַיּוֹם עָשָׂה יְהוָֹה נָגִילָה וְנִשְׂמְחָה בוֹ: אָנָּא יְהוָֹה הוֹשִׁיעָה נָּא אָנָּא יְהוָֹה הַצְלִיחָה נָּא: בָּרוּךְ הַבָּא בְּשֵׁם יְהוָֹה בֵּרַכְנוּכֶם מִבֵּית יְהוָֹה:

1) Ex usu linguae verbum בוא constructum ut heic cum ב, idem valet ac venire cum aliqua re, eaque praeditum et instructum. Sensus igitur erit, *benedictus qui venit nomine*, at auctoritate *Domini* pollens, ut nos servet.

2) Cum *domus Domini* ait inprimis templum, huc verba redeunt: *benediximus vobis e templo* atque e sede divinae maiestatis. Quod si placeat ante מבית subaudire pronomen אשר, hic sensus prodibit: *nos qui de domo Domini*, idest sacerdotes sumus, *benediximus vobis.*

3) Nobilina ad particulam *nunc* scribit: « Ita et alibi, at initio huius psalmi redditur particula δή, cuius loco nihil apud Latinos ponitur. Habet autem saepe vim quamdam deprecandi, ut apud Latinos *hem, amabo, obsecro:* quod et hoc loco in dictione hebraea agnoscit a. Hieronymus in epistola ad Damasum de *Osianna:* ubi etiam illud δή videtur potius ex aliis interpretibus agnoscere quam ex LXX., quamvis ita coniungat ὦ δή. »

4) Docet Elias Levita in Tisbi, vocabulum הוֹשַׁעְנָא contractum ex duabus vocibus הוֹשִׁיעָה נָּא significare fasciculos salicum torrentis, quos Iudaei in festo tabernaculorum tollunt, ac subinde exclamant הושענא. Suam sententiam probat ex Targum hierosolymitano, in quo Esth. III. 8. legitur, *et faciunt sibi Hosanna;* ac mox, *et circumeunt cum Hosanna*, ubi profecto hac voce nonnisi salicum aliarumve arborum fasciculi exprimuntur. Quare acclamatio Matth. XXI. 9. Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ, hunc fundat sensum *hos salicum ramos praeferimus filio Davidis.* Puto tamen contractam hanc vocem satius reddi *salvum fac*, vel *salutem affer.*

Digitized by Google

stos dies hanc habetote diem, et celebrate eam cum omni laetitia.

fac quaeso, quaeso Domine prospera, quaeso benedictus qui venit in nomine Domini, benediximus vos e domo Domini.

Esth. VIII. 16. *Iudaeis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium.*

XI. 11. *Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos.*

Ps. CXVII. 27. *Deus Dominus, et illuxit nobis.* Similiter tam [a]) graece quam [b]) hebraice, ita ut sensus sit: Deus solus est Dominus, illuxit nobis, atque nos benigne respiciens depulit tenebras, malisque solutos bonis cumulavit.

Esth. IX. 18-19-21-23-27-29-31, X. 31. XVI. 22. *Idcirco eumdem diem constituerunt solemnem epularum atque laetitiae. Scripsit itaque Mardochaeus, ut quartamdecimam et quintamdecimam diem mensis Adar pro festis susciperent, et revertente semper anno solemni celebrarent honore; quia in ipsis diebus se ulti sunt Iudaei de inimicis suis, et luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt.*

Ps. CXVII. 28. *Constituite diem solemnem.* Differunt Graeci, si [1]) alexandrinos excipias. Aquila enim [c]) habet, *ligate festum in pinguibus:* Symmachus [d]) vertit, *colligate in celebritate condensa usque ad cornua altaris:* Anonymus [e]), *sacrificate sacrificium:* et [f]) alter Anonymus, *coronas et ramos alligate templo.* Hieronymus, *frequentate solemnitatem in frondosis, usque ad cornua altaris.* Textus autem videtur [g]) apte reddi, *ligate* [2]) *festum sacrificium funibus usque ad cornua altaris.*

a) Ps. CXVII. 27. Θεὸς κύριος, καὶ ἐπέφανεν ἡμῖν.

b) Ps. CXVIII. 27. אֵל יְהוָה וַיָּאֶר לָנוּ׃

c) Δήσατε ἑορτὴν ἐν πιμελέσι.

d) Συνδήσατε ἐν πανηγύρει πυκάσματα ἕως τῶν κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου.

e) Θύσατε θυσίαν.

f) Στεφανώματα καὶ κλάδους ἀνάψατε τῷ ναῷ.

g) Ps. CXVIII. 27. אִסְרוּ־חַג בַּעֲבֹתִים עַד־קַרְנוֹת הַמִּזְבֵּחַ׃

1) Ps. CXVII. 27. Συστήσασθε ἑορτὴν ἐν τοῖς πυκάζουσιν, ἕως τῶν κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου. Nobilius: « S. Augustinus et vetus, *constituite diem festum in confrequentationibus, quasi pro* πυκάζουσιν, quod habent collata exemplaria, legerint πυκάσμασιν. Chrysostomus: alius, δήσατε ἑορτὴν ἐν πιμελέσι, *ligate solemnitatem in pinguibus:* alius συνδήσατε ἐν πανηγύρει πυκάσματα, *colligate in celebri conventu densitates:* atque hunc locum iuxta utrumque interpretem diligenter explanat. Scholiastes primam interpretationem tribuit Aquilae, secundam Symmacho, et ad verbum πυκάζουσιν haec aduotat: σκιάζουσιν, καλύπτουσιν, κοσμοῦσιν, *obumbrantibus, tegentibus, ornantibus.* »

2) Coniunctio verbi אִסְרוּ cum nomine עֲבֹתִים, quod *funes* significat, persuadet illud rite

Digitized by Google

Esth. XIII. 17. *Exaudi deprecationem meam, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine, et ne claudas ora te canentium.*

Ps. CXVII. 28. *Deus meus es tu, et confitebor tibi, Deus meus es tu, et exaltabo te.* Consentiunt versiones et textus, atque rem acu tetigit[a]) Hesychius scribens: « Cui porro haec dicit nisi Domino superius declarato? Qui de tribulatione ipsum liberaverat, et inimicos eius humiliaverat: qui lapidem quoque ab aedificantibus reprobatum exaltavit, qui et bene prosperavit et servavit credentes in ipsum. »

XIV. 18. *Et numquam laetata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in praesentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham.*

Esth. X. 9-12. *Gens autem mea Israel est, quae clamavit ad Dominum, et salvum fecit Dominus populum suum: liberavitque nos ab omnibus malis, et fecit signa magna atque portenta inter gentes. Et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hereditatis suae.*

Ps. CXVII. 29-30. *Confitebor tibi quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.* E quibus versibus, quos pariter Graeci habent, prior in textu deest, alter iisdem plane verbis effertur.

1055. Quid iamvero ex hac non unius alteriusve, sed partium prorsus omnium comparatione dependet? Nimirum dependet I. nihil psalmo contineri quod ab historia Mardochaei et Estheris atque a facinore servati Israelis abludat. Immo II. quaecumque omnia psalmus complectitur, talia esse quae ad historiam Mardochaei et Estheris, liberatique Israelis omnino exacta videantur. Et quidem III. eo studio exacta, ut eaedem res iisdem vel simillimis certe verbis, phrasibusque significentur. Quae sane sufficere plane debent, sive ut auctor psalmi ad Mardochaei atque Estheris historiam in-

a) Apud Corderium pag. 364. *Τίνι δὲ ταῦτα λέγει, ἢ τῷ ἀνωτέρῳ δεδηλωμένῳ κυρίῳ; τῷ ἐκ θλίψεως ῥυσαμένῳ αὐτὸν, τῷ καὶ τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ ταπεινώσαντι· τῷ καὶ τὸν λίθον τὸν ἀποβληθέντα πρὸς τῶν οἰκοδομῶν ὑψώσαντι, τῷ καὶ εὐοδώσαντι καὶ σώσαντι τοὺς εἰς αὐτὸν πιστεύοντας.*

accipi notione *ligandi:* nomen autem חַג proprie *festum*, μετονυμικῶς *valet sacrificium festum.* Praeclare Chaldaeus: כְּפִיתוּ טַלְיָא לְנִכְסַת חַגָּא בְּשַׁלְשְׁלָוָן עַד דִּי תִקְרְבוּנֵיהּ וְתִדּוּן אַדְמֵיהּ בְּקַרְנוֹת מַדְבְּחָא: *Ligate agnum in sacrificium festi catenis, donec sacrificaveritis eum, et inserseritis sanguinem eius in cornua altaris.*

tendisse digitum censeatur, sive ut una eademque tam psalmi quam historiae materies iudicetur. Praesertim quum ex universa Israelitarum historia factum omnino nullum depromi queat, cum quo tum singulae seorsum, tum omnes coniunctim psalmi partes aptius conspirent. Atque hoc plane efficit institutus modo *parallelismus*, itemque efficit ducta *ab exclusione* probatio.

1056. Quotquot enim de psalmi argumento dissertantes, aliud praeter Mardochaei factum ob oculos habuerunt, in *quatuor* potissimum concessisse *opiniones* novimus: aut enim illud [1]) ad gesta Davidis referunt: aut [2]) de Ezechia a lethali morbo servato interpretantur: aut [3]) de aedificato altero templo enarrant: aut [4]) de Simone maccabaeo ethnarca et pontifice renuntiato intelligendum esse tuentur. Atqui harum opinionum nulla plane est, de qua non iure merito affirmes, illam sic esse comparatam ut I. non tam cum summa, quam cum uno dumtaxat alterove psalmi commate conveniat: et ut II. ab iis non paucis quae in psalmo excellunt, suaque circumscriptione commendantur, plus minusve dissentiat. Profecto non pauca psalmo insunt quae impediunt, quominus ad Davidem referantur. « Praeterquam enim quod, *scribit* [5]) *Venema, Rosenmüllero* [6]) *adprobante*, nomen Davidis tamquam auctoris in fronte *(hymnus)* non gerat, nec ullum praeferat distinguens Davidis κριτήριον, illud quod populus hebraeus in *Israelem, domum Aaronis* et *timentes Iovam* distinctus vv. 2-3-4. apparet, a temporibus Davidis et aliorum qui ipsum sequuti sunt regum, plane alienum est. Neque Davidi congruit, quod v. 10. *omnes* gentes populum et ducem eius invasisse et cinxisse dicuntur. David initio a solis Philistaeis fuit petitus, ipse postea vicinas gentes bellis adortus est. Neque per ea bella Davides ad tantas angustias fuit redactus, quales hic psalmus describit. Denique haud facile intelligitur quo sensu v. 22. Davides *lapis ab aedificatoribus spretus*, et contra omnium expectationem *caput anguli factus* recte dici possit; quum in oculis et animis populi semper fuerit, et a Saulo et aulicis magis ex metu quam contemtu infestatus, lapis haberetur ad eum usum destinatus et aptus. » Rursum non pauca praefert psalmus, quae nequeunt de Ezechia nisi absurde usurpari. Eiusmodi autem, mo-

1) Cf. Rudingerum ad Ps. CXVIII.
2) Cf. Doederlein ad Ps. CXVIII.
3) Cf. Knappium et Dathium ad Ps. CXVIII.
4) Cf. Venema ad Ps. CXVIII.
5) Comm. in Psalmos vol. VI. pag. 130.
6) Schol. in ps. CXVIII. pag. 1702.

Digitized by Google

nente [1]) Dathio, prae ceteris est quod v. 22. edicitur. Ad haec iis constat psalmus, quae ad extructum alterum templum nullatenus spectant. « In ea namque tempora, *scribit* [2]) *Rosenmüllerus* non quadrat, quod in hoc carmine princeps celebratur, qui quum prius a sui populi proceribus contemtui habitus fuisset, nunc ad summam evectus dignitatem sistitur. » Tandem ne subiectum psalmo argumentum Simon maccabaeus putetur, omissa recentiori eiusdem aetate, prorsus exigunt cum ex iis nonnulla quorum meminimus, tum ipsa ratio facinoris, quod celebratur. Inclaruit quidem Simon, sed inclaruit armis, profligatis exercitibus, devictis hostibus, relatisque triumphis. Nihil autem horum ad factum pertinet quod psalmo extollitur, quodque inchoatum precibus, nonnisi singulari Dei tutela contra principum et aulicorum fraudes expletum fuit ac perfectum. Quapropter haec mihi animo succurrit illatio ad fidem faciendam, ut quidem arbitror, validissima. *Non alia psalmi CXVII. censeri materies debet, nisi quam indicia tum negantia tum affirmantia unice demonstrant. Sed utrumque indiciorum genus ita se habet, ut nonnisi in factum liberati Israelis per Estherem et Mardochaeum apte conveniat. Materies igitur psalmi CXVII. ad factum liberati Israelis per Estherem et Mardochaeum referenda est.*

ARTICULUS II.

Psalmus CXVII. typicus est: praesignata eo fuit liberatio humani generis per incarnatum Patris Unigenitum: delectus vero Mardochaeus quo tamquam typo Christus redemptor adumbraretur.

1057. Unius Dei est res, eventus ac personas ita regere atque moderari, ut illis non modo significatio insit *immediata* et *historica*, verum etiam *spiritalis* et *mediata*, qua futura innuantur, et ad nobiliorem spectantia oeconomiam in antecessum adumbrentur. Quaeri igitur potest, an consilium Dei fuerit statumque decretum, ut materies, eventus, personae psalmi CXVII. praeter significationem immediatam atque historicam, aliam quoque spiritalem mediatamque exhiberent. Huic autem quaestioni occurrendum

1) L. c. 2) L. c.

Digitized by Google

sic est, *ut I. universim affirmetur, psalmum CXVII. ex Dei providentia atque consilio haberi typicum oportere:* tum vero II. *speciatim affirmetur, tam Mardochaei personam, quam Israelis liberationem ab Amani odio statutaque internecione umbras fuisse ac typos, quibus Christus salvator et parta per eum a satana et a morte nostri generis redemptio praemonstrarentur.*

1058. Et de primo quidem capite perspicua sunt Iudaeorum, Christianorum, ipsarumque Scripturarum suffragia. Ut enim ab Iudaeis ordiar, illorum mentem sententiamque aperit Hieronymus, quum aliis quae de voce *Osanna* dixerat [1]), subiicit: « Sed quoniam hae [2]) minutiae et istiusmodi disputationis arcanum, propter barbariem linguae pariter ac literarum legenti molestiam tribuunt, ad explanandi compendium venio ut dicam de centesimo decimo septimo psalmo, qui *manifeste* de Christo prophetat, *et in synagogis Iudaeorum creberrime legebatur, unde et populis notior erat,* hos versus [3]) esse assumtos: quod ille qui repromittebatur de genere David, venerit salvaturus Israel, dicente [4]) David, *lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino* [5]) *factum est. Hic est mirabilis in oculis nostris. Haec est dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea. O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare; benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis.* Unde et evangelistarum [6]) scriptura commemorat, phariseos et scribas hac indignatione commotos, quod vi-

1) Epist. XX. ad Damasum n. 4. pagg. 65-66. opp. T. I.

2) Quas dicit minutias, proponit Hieronymus n. 3. pagg. 64-65. scribens: « In centesimo decimo septimo psalmo, ubi nos legimus, » *Domine salvum me fac*, » *Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini*, in hebraeo legitur, *anna Adonai, osianna, anna Adonai aslianna; baruch abba basem Adonai.* Quod Aquila, Symmachus, Theodotio et quinta editio, ne quid in Latino mutare videamur, ita exprimunt: ὦ δὴ κύριε σῶσον δὴ, ὦ δὴ κύριε εὐόδωσον δὴ, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου. Sola sexta editio cum interpretibus Septuaginta ita congruit, ut ubi ceteri posuerunt ὦ δὴ, illi scripserint ὦ. Et quia *osianna*, quod nos corrupte propter ignorantiam dicimus *osanna*, *salvifica* sive *salvum fac*, exprimatur, omnium interpretatione signatum est. Sciendumque quod in hoc loco ter dicatur *anna*; et primum quidam ac secundum iisdem literis scribitur, *aleph*, *nun*, *he*, tertium vero *he*, *nun*, *he*. Symmachus igitur qui in centesimo decimo septimo psalmo cum omnium interpretatione consenserat, ut nobis manifestiorem tribueret intellectum, in centesimo decimo quarto psalmo, ubi dicitur: » *Domine libera animam meam*, ita interpretatus est: *obsecro, Domine, libera animam meam.* Ubi autem Septuaginta, ὦ, et ille, *obsecro*, transtulerunt, Aquila et ceteris editionibus ὦ δὴ interpretantibus, in Hebraeo scribitur *anna:* verum ita ut in principio habeat *aleph* non *he*. Ex quo animadvertimus, si ex *aleph* scribatur *anna*, significari *obsecro*, sin autem ex *he*, esse coniunctionem sive interiectionem, quae apud Graecos ponitur δὴ, et est in σῶσον δὴ, cuius interpretationem latinus sermo non exprimit. »

3) Ps. CXVII. 25.

4) Ps. CXVII. 22. seqq.

5) Victorius, *factus est hic, et est mirabilis.* Ita quoque habent prisca quaedam psalteria mss., at Cyprianus lib. II. testimoniorum. Augustinus vero, *factus est ei.*

6) Matth. XXI. coll. Luc. XIX., Ioh. XII.

Digitized by Google

derent populum *psalmi prophetiam* super Christo intelligere completam, et clamantes parvulos *osianna filio David*, dixisse ei: *audis quid isti loquuntur?* Et Iesum respondisse eis, numquam [1]) legistis, *quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem?* Centesimum decimum septimum psalmum octavi psalmi assertione firmantem.» Accedit [2]) Kimchius, qui non modo hanc ipsam sententiam rabbinis omnino plurimis sive priscis sive recentioribus tribuit; sed illam insuper omnino praeferandam tuetur.

1059. Quod vero ad christianos spectat, difficile quidem non est ex iis aliquot [3]) reperire, qui psalmum *nonnisi* ad Christum retulerint; sed neminem prorsus adsignare licet, qui spiritalem mediatamque significationem non eidem subiiciendam esse existimarit. Hanc enim illi subiiciendam existimarunt quotquot [4]) ex veteribus enarrandos psalmos suscepere, Origenes, Eusebius, Chrysostomus, Theodorus mopsuestenus, Hesychius, Theodoritus, Didymus, Heracleota, Augustinus, Cassiodorius, Beda, aliique sexcenti. Hanc illi subiiciendam existimavit Athanasius iu epistola ad Marcellinum, ubi psalmos in classes tribuens [a]) ait: « De adventu Salvatoris, et quod Deus quum sit, venturus sit: ita in psalmo quidem quadragesimo nono dicit, *Deus manifeste veniet, Deus noster, et non silebit:* in centesimo decimo septimo, *benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis.* » Hanc illi subiiciendam existimavit Eusebius, qui [b]) in psalmorum hypothesibus de psalmo CXVII. scribit: « Victoria eorum qui in Christo decertant, et prophetia de Christo. » Et ne sim nimius, hanc illi subiiciendam existimavit Hieronymus tum commentariis [5]) in Isaiam, in Amos [6]), in Zachariam [7]), et [8]) in epi-

a) Epist. ad Marcellin. §. V. pag. LXIII. Περὶ τῆς τοῦ σωτῆρος ἐπιδημίας, καὶ ὅτι μὲν θεὸς ὤν, ἐπιδημήσει, οὕτως φησὶν ἐν μὲν τῷ τεσσαρακοστῷ ἐννάτῳ ψαλμῷ· ὁ κύριος ἐμφανῶς ἥξει, ὁ θεὸς ἡμῶν, καὶ οὐ παρασιωπήσεται· ἐν δὲ τῷ ἑκατοστῷ ἑπτακαιδεκάτῳ· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου· εὐλογήκαμεν ὑμᾶς ἐξ οἴκου κυρίου· θεὸς κύριος, καὶ ἐπέφανεν ἡμῖν.

b) Νίκη τῶν ἐν Χριστῷ ἀγωνιζομένων, καὶ προφητεία Χριστοῦ.

1) Ps. VIII. 3.

2) In Ps. CXVIII.

3) Cuiusmodi sunt Valentia et Caietanus quos Lorinus memorat, et quibus addendus est Berthierius.

4) Ex hisce multos habes apud Corderium in exposit. pp. graec. in Ps. CXVII. pagg. 342. seqq.

5) Comm. in Is. lib. IX. cap. XXVIII. p. 381. et lib. XV. cap LIV. pag. 636. opp. T. IV.

6) Comm. in Amos lib. III. cap. VI. pag. 313. opp. T. VI.

7) Comm. in Zach. lib. I. cap. III. pag. 805. et lib. III. cap. XIV. pag. 924. opp. T. VI.

8) Comm. in epist. ad Ephes. lib. I. cap. II. pag. 585. opp. T. VII.

stolam ad Ephesios, tum [1]) commentariis in Matthaeum, ubi enarrans [2]) verba Salvatoris, *dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis, benedictus qui venit in nomine Domini,* sic habet: « Ad Ierusalem loquitur et ad populum Iudaeorum. Versiculum autem istum, quo et parvuli atque lactentes in ingressu Ierusalem Domini Salvatoris usi sunt quando dixerunt, *benedictus qui venit in nomine Domini, osanna in excelsis,* sumpsit de centesimo decimo septimo psalmo, qui *manifeste* de adveutu Domini scriptus est. »

1060. Quod indubium nobis erit, si mentem adverterimus ad luculenta prorsus oracula, quae [3]) in Evangeliis occurrunt, quae [4]) in Actis habentur, quaeque [5]) in apostolicis litteris frequentantur. Ex hisce namque omnibus perspicue assequimur, verba ex psalmo CXVII. semel ac rursum ita allegari, ut eisdem contenta spiritalis mediataque significandi potestas [6]) declaretur. Iure ergo quam qui optimo scribere potuit [7]) Michaelis: « Christi tempore hunc psalmum de Messia agere, etiam pueris [8]) notum fuit: nec Christo hunc psalmum de Messia [9]) alleganti quisquam acerrimorum hostium eius, etiam legis peritorum, contradicere ausus est: nec [10]) adversus acrem Apostoli elenchum de lapide ab architectis repudiato, vel verbulo quis excepit, haec ad Messiam non pertinere. »

1061. Priori parte breviter expedita, ad alteram progredior, illudque continenter moneo, Mardochaeum esse qui *historice* atque *immediate* significatur [11]) verbis, *lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* Sed iisdem verbis citra omnem controversiam praemonstratus *typice* fuit Christus, *lapis* [12]) *angularis,* quique fecit utraque unum. Mardochaeus igitur Christi typis accenseri, eiusque connumerari adumbrationibus debet. Sed quaenam spectanda in Mardochaeo sunt *tamquam typica,* et ad

1) Comm. in Matth. lib. IV. cap. XXIV. p. 192. opp. T. VII.

2) Matth. XXIV. 39.

3) Matth. XXI. 9-42. coll. Marc. XII. 10, Luc. XX. 17.

4) Actt. IV. 11-12. ubi Petrus in solemni concione ita de Iesu loquitur: *hic* Iesus nazarenus est *lapis ille* (ὁ λίθος) de quo vaticinatus est psalmographus, lapis ille a vobis pontificibus et legis peritis quorum munus erat spiritalem Dei domum aedificare, *reprobatus*, contemtus ac reiectus, *qui idem factus est* (ὁ γενόμενος) *in caput anguli* (εἰς κεφαλὴν γωνίας), praecipuo et honestissimo in loco constitutus, ut divisa copulet, totumque aedificium contineat: *et non est in alio aliquo salus* illa (ἡ σωτηρία a qua Iesus Christus vocatur ὁ σωτὴρ *salvator*. Quisquis igitur huic lapidi non incumbit, is neque ad aedificium neque ad salutem pertinet.

5) Ephes. II. 20. coll. I. Petr. II. 7.

6) Vide Calovium, qui in Ps. CXVIII. tergiversantem Grotium insectatur.

7) In Ps. CXVIII. 1. pag. 885.

8) Matth. XXI. 15.

9) Matth. XXI. 42. coll. Marc. XII. 10, Luc. XX. 17.

10) Actt. IV. 11-14.

11) Ps. CXVII. 22.

12) Ephes. II. 20.

Digitized by Google

Christum praesignandum divinitus ordinata? A veritate nullatenus aberrabimus, si haec non aliunde quam *ex imagine* qua considerandus Mardochaeus sistitur, derivemus. Imago autem est hinc quidem herois ab hominibus reiecti, nec uteumque, sed ad mortem usque crucis reiecti; inde vero herois a Deo excitati, sublimissimo in loco positi, et ad communem salutem conciliandam selecti. Mardochacus [1]) igitur imago fuit atque typus Christi, quem quum homines eo usque despexerint ut dignum habuerint qui cruci affigeretur; Deus vicissim ita exaltavit ut nomen ipsi dederit quod est super omne nomen, angularem lapidem effecerit, atque vindicem assertoremque perditi hominum generis constituerit. His vero utraque comprehenditur Christi oeconomia, tam illa quae *exinanitionis*, tam altera quae *glorificationis* nuncupatur. Placuit igitur divinae sapientiae, ut Mardochaeus utriusque oeconomiae typum insigniter praeseferret.

1062. Atque haec nobis iter complanant, ut *habitum* inter Christum et Mardochaeum, inter antitypum atque typum articulatius enarremus. Itaque vix quidquam de Mardochaeo eiusque egregio facinore sacris litteris consignatum legimus, cui similia et pro ratione et dignitate antitypi sublimiora de Christo eiusque oeconomia in iisdem non referantur. Enimvero I. sicuti Mardochaeo respondet Christus, ita Amani et optimatum odio in Mardochaeum respondent tum odium quo [2]) satanas et potestas tenebrarum in

1) Iuverit aliquot Ruperti testimoniis hoc ipsum confirmasse. Itaque de victoria Verbi Dei lib. VIII. cap. XXI. pag. 95. ait: « Manifeste et miro modo *(Aman)* gessit diaboli figuram, e contra Christi Mardochaeus typum gessit. Sicut enim Aman in cruce fixus est quam Mardochaeo paraverat, et Mardochaeus super equum regium ascendit, quem honorem sibi Aman a rege parari putaverat; ita diabolus in cruce damnatus et triumphavit *(sic)*, quam Christo parari fecit, et Christus vivens sedet ad dexteram Patris, cuius similitudinem diabolus sibi arrogare praesumpsit. » Et cap. XXIV. pag. 96.: « Sicut in ligno crucis non Verbum Dei, Verbum Deus interiit, sed diabolus cuius similitudinem gessit Aman, iudicium damnationis accepit, et hoc extra portam civitatis, ne vel a mysterio vacet quod ante portas huius urbis, idest Susis, et Aman et omnis cognatio eius pendet in patibulis. » Tandem cap. XXV. pag. 96. subdit: « Sed et illud ad mysticam similitudinem nonnihil attinet, quod suspenso Aman in patibulo, die illo, ait Scriptura, dedit rex Assuerus Esther reginae domum Aman adversarii Iudaeorum. Utique dando Esther, dedit Mardochaeo. Nam subinde sic scriptum est: Esther autem constituit Mardochaeum super domum suam. Quantum ergo pulchritudinis in hoc facto est, si illud recolas quod in evangelio Veritas ait, significans diabolum de domo sua fore eiiciendum. Cum, inquit, fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet, si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet in quibus confidebat, et spolia eius distribuit. Sic futurum erat, et sic factum est, quia diabolus tamquam fortis armatus in genere humano potestatem habens, per peccatum sic obtinebat mundum tamquam domum suam sive atrium suum; sed Verbum incarnatum fortiore manu superveniens vicit illum, et atrium illius fecit suum. Pulcre igitur cum Esther Mardochaeus evadens patibulum, vivus suspensi Aman domum possedit: quia sic futurum erat ut Christus Verbum Dei, cuius origo carnis per Esther et Mardochaeum defensa est, in cruce damnato principe mortis, ipse cum ecclesia sua principatum teneret. »

2) De Amano qui satanae et diaboli simili-

Christum saeviit, tum odium quo Iudaeorum primores in Christum debacchati sunt. Sicuti II. Mardochaeo cruci addicto respondet Christus, adversus quem conclamatum fuit, tolle tolle eum, dignus est morte, crucifigatur; sic Hebraeis tyrannide Amani oppressis atque internecione delendis respondet hominum genus captivitati satanae obnoxium, et imperio mortis eiusque vinculis constrictum. Sicuti III. supremae Mardochaei exaltationi respondet suprema Christi gloria; ita Mardochaei triumpho quo Amanum superavit ac subvertit, respondet Christi de satana victoria, qua antiquum serpentem contrivit atque huius mundi principem foras eiecit. Sicut IV. litteris in ultimam iudaicae gentis perniciem scriptis chirographum respondet, quod fuerat in nos omnes exaratum; ita illarum per Mardochaeum abrogationi sententia respondet, qua exaratum contra nos chirographum deletum per Christum fuit, eiusque cruci affixum. Et sicuti V. liberatis per Mardochaeum Hebraeis respondet nostri generis redemptio per Christum; ita laetitiae festoque Hebraeorum gaudio pax respondet, quam Christus humanae naturae comparavit.

1063. Quae expolitio mutui habitus inter Mardochaeum typum et Christum antitypum eo facienda est pluris, quo singula quaeque in Scripturis confirmata, oculisque denuo subiecta reperimus. Sane eo fatidico somnio, quo Deus futura [1]) Mardochaeo reseravit, quid is tandem vidit? Vidit [2]) duos dracones magnos iram spirantes, et contra se ad bellandum instructos: vidit [3]) angustias timoresque iustorum, quibus dira mors impendebat: et vidit [4]) omnia primum offusa tenebris, ac mox sereno lucis candore radiantia. At quid horum est, quod de Christo eiusque oeconomia in divinis litteris non repraesentetur? Repraesentatur [5]) Christi praelium cum dracone, quem ille profligatum devicit: repraesentatur [6]) excitata

tudinem gesserit, speciemque retulerit, agit uberrime Rupertus tuitiensis de victoria Verbi Dei lib. VIII. capp. II. seqq. pagg. 88. seqq., et post Rupertum Fevardentius comm. in Esther pagg. 519-520.

1) Esth. X. 4. seqq. coll. XI. 5. seqq.

2) Esth. X. 7. coll. XI. 6. « Nec mirum, *inquit Rupertus op. cit. lib. VIII. cap. II. pag.* 88., quod homo simplex et rectus *(Mardochaeus)* propter falsam opinionem per draconem malitiosum atque tortuosum in somnio est designatus; cum ipse simplicium rex et rectorum Dominus Christus per serpentem aeneum fuerit praefiguratus, dicente Domino ad Moysem: fac serpentem aeneum, et pone eum pro signo; qui percussus aspexerit eum, vivet. Nempe sicut ille serpens aeneus fuit absque veneno, sic Christus cum accusaretur magus, erat absque peccato. Similiter Mardochaeus propter accusationem Aman per somnium visus est draco, sed secundum rei veritatem homo erat cultor Dei, malitiam non habens draconis antiqui, qui saeviebat in illo Aman superbissimo. »

3) Esth. XI. 9.

4) Esth. X. 6. coll. XI. 8-11.

5) Apoc. XII. 3. seqq.

6) Apoc. XII. 17.

Digitized by Google

draconis ira et astu contra iustos persequutio: et quemadmodum omnia ante Christi oeconomiam repraesentantur obvoluta tenebris atque in umbra mortis iacentia; ita eadem [1]) per Christi oeconomiam depinguntur nitere luce, radiorumque splendoribus micare. Hinc nil mirum si ecclesia [2]) numine Spiritus gubernata ad triumphum Christi de satana, de peccato, deque morte referat [3]) verba, *haec dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea,* quae immediate atque historice ad victoriam pertinent Mardochaei de Amano, deque lege mortis in Hebraeos omnes constituta.

1064. Sed nolo finem antea facere, manumque, ut aiunt, e tabula dimovere quam simul contulerim quae de oeconomia redemptionis per Christum Paulus tradit, quaeque in libro Estheris memorantur. Paulus itaque postquam [a]) dixit *omnia* nobis *delicta per Christum donata* atque condonata; misericors eiusdem opus declarare pergit [b]) his verbis: *delens quod adversus nos* [4]) omnes *erat chirographum* tum propria manu a nobis veluti obsignatum, cum progenitoribus peccantibus nos quoque peccavimus, atque in sententiam [5]) incidimus, *quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Delens autem illud [6]) *decretis,* atque proposito evangelio pacis, quo [7]) qui eramus longe, facti sumus prope. *Quod* chirographum *erat* [8]) *contrarium nobis,* nosque irae filios, poenaeque man-

a) Coloss. II. 13. coll. Ephes. IV. 32. Χαρισάμενος ὑμῖν πάντα τὰ παραπτώματα.

b) Coloss. II. 14-16. Ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, καὶ αὐτὸ ἦρκεν ἐκ τοῦ μέσου, προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ· ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ.

1) Rom. XIII. 12. coll. II. Cor. IV. 4. seqq. et I. Thess. V. 5-7. Huc autem egregie faciunt verba Zachariae canentis Luc. I. 78-79. *per viscera misericordiae*, eximiamque pietatem *Dei nostri, in quibus visitavit nos* nosque benigne habuit, *Oriens ex alto illuminare iis qui in tenebris et umbra mortis sedent, ad dirigendos* illuminatione oblata *pedes nostros in viam pacis.* Ubi Christus metonymice audit ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *Oriens ex alto,* imagine iis simillima quibus Num. XXVI. 17., Is. IX. 1., XLII. 6., XLIX. 6., LX. 1., Malach. IV. 2. appellatur כוכב מיעקוב *stella ex Iacob,* שמש צדקה *sol iustitiae,* אור גוים *lux gentium* et אור גדול *lux magna.* Videsis Danielis Heinsii exercitt. sacr. ad N.T. lib. III., cap. I.

2) Cf. quae recitantur dominica die Christi resurrectioni dicata.

3) Ps. CXVII. 24.

4) Series enim orationis postulat, ut verba latissime deque hominibus prorsus omnibus accipiantur.

5) Opportune Chrysostomus in epist. ad Coloss. hom. VI. n. 3. pag. 368: Ποῖον χειρόγραφον; ὅτι κατεῖχεν ὁ διάβολος τὸ χειρόγραφον, ὃ ἐποίησε πρὸς τὸν Ἀδὰμ ὁ Θεὸς εἰπών· ᾗ ἂν ἡμέρᾳ φάγῃς ἀπὸ τοῦ ξύλου, ἀποθανῇ. *Quodnam chirographum? Quod tenebat diabolus, chirographum quod Deus fecit Adamo* (Gen. II. 17.) *dicens: quo die e ligno comederis, morieris.*

6) Nihil dicam de varietate lectionum, de qua praeter alios prolixe agunt Sabatierius et Griesbachius; illudque satius monebo, τοῖς δόγμασι significari medium instrumentumque, quo Christus nostrae damnationis chirographum obliteratum declaravit.

7) Ephes. II. 13.

8) Duplicem potissimum notionem penes Alexandrinos refert vox ὑπεναντίος, aut enim significat אויב

Digitized by Google

cipia comprobabat. Repetit idipsum nova imagine Paulus, deque obliterata syngrapha, rescissoque infenso nobis chirographo subdit, *et ipsum tulit de medio*, atque ita abolevit [1]) ut non amplius compareret. Id autem praestitit *affigens illud cruci;* morte namque sua in cruce exhausta nos a debito solvit, et antiquatam debiti syngrapham ipsimet cruci affixit. Neque id satis, verum *et* suo sanguine *expolians* atque exarmans *principatus et potestates* et [2]) quidquid satanae atque angelis eius famulabatur, *traduxit confidenter*, atque [3]) palam totoque mundo inspectante dedecori publico exposuit, *triumphans* [4]) *illos* atque de illis triumphum agens *in ipsa* [5]) cruce. Vicit enim Christus non pugnando sed patiendo, quod genus est victoriae plane divinum.

1065. Expendit ista Chrysostomus, atque stupore veluti percitus [a]) exclamavit: *nusquam loquutus est tam magnifice.* Sed unde Paulus colores accepit, quibus munera partae per Christum redemptionis tanto splendore tantaque magnificentia exhiberet? Illos profecto non hausit ex vulgatis rethorum fontibus, sed more suo ex gestis sumpsit veteris testamenti, atque ex iis nominatim [6]) quae

a) In epist. ad Coloss. hom. VI. num. 2. pag. 368. *Οὐδαμοῦ οὕτω μεγαλοφώνως ἐφθέγξατο.*

inimicum, *hostem*, ut Gen. XXII. 17., Ex. XV. 6., XXIII. 27., Iob. XIII. 24., XXXIII. 10., II. Paral. XX. 29., XXVI. 13., aut exprimit צר *quemcumque adversarium*, ut Ios. V. 13., Is. XXVI. 11, LXIII. 18.

1) Elegantioribus quoque Graecis, *ἐκ μέσου ἀνελεῖν*, *de medio tollere*, idem valet ac *auferre ne compareat.*

2) Cum Paulus nominat *τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας*, *principatus et potestates*, omnino intelligit diabolum eiusque asseclas, qui a Christo victi perhibentur 1. Cor. XV. 25-35, Hebr. II. 14., Ioh. XVI. 11-32. etc.

3) Sicuti *ἐν παῤῥησίᾳ* apte redditur *confidentes*, ita nihil impedit quominus vertatur Ioh. VII. 4., XI. 54. *palam.* Iamvero *δειγματίζειν*, sive *δεῖγμα ἀντιθέναι τινα*, idem est ac *publice ostendere, publicaque ignominia afficere*, qua devicti hostes a triumphatoribus notabantur.

4) Quum praemiserit apostolus *τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας*, subdat vero *αὐτούς*, manifesta est generis permutatio, quae debetur constructioni *πρὸς τὸ σημαινόμενον.*

5) Taceo et heic de varietate lectionis, et siquidem legatur *ἐν αὐτῷ*, supplendum est *σταυρῷ*: sin vero praeferatur *ἐν αὑτῷ*, supplendum erit *Χριστῷ.*

6) Praeclare Rupertus de vict. Verbi Dei lib. VIII. cap. III. pag. 89.: « Et quoniam de similitudine mentio iam incidit, qua sancti homines quibusdam modis meritis diversis assimilari meruerunt Filio Dei, quemadmodum dicit, *et in manu servorum meorum prophetarum assimilatus sum:* libet continuo proloqui summam similitudinis, qua in manu huius quoque Mardochaei dignatus est assimilari, sicut in somnio praesignatum fuerat. Duo dracones inter se pugnaverunt, idest, Mardochaeus et Aman invicem consurrexerunt. Paravit Aman patibulum Mardochaeo, et Mardochaeo feliciter evadente, Aman in ipso quod paraverat appensus est patibulo. Nimirum sic futurum erat, ut Verbum incarnatum, Deus homo factus, rex omnium seculorum, Iesus Christus adversus mundi huius principem procederet et cum illo congrederetur. Et sic factum est, ut per suos satellites draco ille diabolus crucem illi parari faceret; sed non ille in ipso patibulo transfixus est, triumphante Verbo quod impassibilis Deus est, et resumpta carne in immortalitatem quae ad breve tempus passa est mortem, ipsum homicidam Deus vivens in suo ipsius machinamento strangulavit. *Delens*, inquit apostolus, *quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* »

Digitized by Google

Estheris libro continentur. Sponte namque sua in oculos incurrit, quae hoc libro [1]) narrantur sive I. de rescisso chirographo, quo Hebraei omnes morti addicebantur: sive II. de nunciis, qui Hebraeorum incolumitatem in universa Persarum ditione promulgarent: sive III. de Amano in crucem elato, deque chirographo condemnationis eidem cruci affixo: sive IV. de publico dedecore, quo Amanus et cum ipso conspirantes aulae principes affecti fuerunt solemniterque mulctati: sive V. de triumpho Mardochaei, quo Amanum et aulae principes exspoliavit, funditusque subvertit: sive demum VI. de Hebraeorum faustitate ac laetitia; colores Paulo praebuisse, quibus [2]) imaginem redempti per Christum humani generis excitaret. Quapropter videmur nobis rite ex hisce omnibus inferendo colligere: I. dubitari minime posse de charactere typico, qui psalmo CXVII. insit: II. exploratum esse habitum typi et antitypi, quo Mardochaeus et Christus ad invicem referuntur: ac III. Mardochaei historiam talem esse, quae insignem praeferat salutaris oeconomiae adumbrationem.

ARTICULUS III.

De Esthere Virginis typo: quae hunc habitum typi et antitypi inter Estherem atque Virginem persuadeant: quae coniuncta cum illo sint: et nominatim de praerogativa, qua Virgo immunis fuit ab universali lege peccati et mortis.

1066. Historia liberatae per Mardochaeum Hebraeorum gentis imago fuit ac typus liberationis multo nobilioris, qua Christus unigenitus Patris filius humanam naturam a regno peccati, satanae atque mortis benignissime exemit. Hinc sibi concinne respondent typi et antitypi, imago et veritas, Aman et serpens, Mardochaeus et Christus, illius facinus atque huius pientissima oeconomia. At vero in Mardochaei historia praeter ipsum et Amanum, *alia eaque tertia* occurrit *persona*, neque occurrit modo, sed exstat, eminet atque ita praecellit, ut historia nonnisi ex ipsa titulum nomenque derivarit. Haec autem est *Esther*, de qua proinde non iniuria quaeritur, *an ipsa vacet, otietur, nullasque typi ac figurae partes ex-*

1) Esth. VI. seqq.

2) Ita enim sunt lineamenta similia, ut pronum sit typum atque archetypum deprehendere.

pleat. Sed nemo facile hoc credat, aut sibi in animum utcumque inducat.

1067. Profecto siqua historia *rationem typi* complectatur, dissonum prorsus est, dotem praestantiamque typi iis deferre quae minora sunt, maioribus contra potioribusque denegare. Verum quis in typica Mardochaei historia Esthere maior, quis potior, aut quis qui maiora ac splendidiora obierit? Ipsa namque fuit Esther, per quam [1]) quidquid Mardochaeus obtinuit, effectum est: ipsa fuit Esther, quae [2]) ad reginae culmen propterea ascendit, ut universo Hebraeorum populo de vita gravissime periclitanti sua ope suaque mediatione prospiceret: ipsa fuit Esther, quae quum sola [3]) sine discrimine adire regem potuerit, illum lenivit, cunctoque populo benevolum reddidit: et ipsa fuit Esther, quae sola [4]) ab rege impetravit ut Amani furor in irritum cederet, decretaque adversus Hebraeos pernicies in decreti instigatorem converteretur. Agerent ergo praepostere, et secus ac natura rerum flagitet loquerentur, qui exutam ornamento ac dignitate typi [5]) Estherem contenderent. Praesertim quum hac dignitate neque verius neque commodius ipsa exuatur, ac repraesentatione incolumi, e tabula Sanctii Christum transfiguratum referente, ipsemet Christus expungi queat. Sane universum liberati Israelis facinus tam intime eum Esthere consertum est ac devinctum, ut ex ea maxime pendeat, ad eam inprimis spectet, et sine ea ne cogitari quidem animo possit. Ipsa namque est quae [6]) ad illud edendum praeparata caelitus dicitur: ipsa est [7]) quae idcirco tot aucta donis, tot gratiae venustatisque locupletata muneribus, et ad tantum evecta fastigium perhibetur: et ipsa est quae [8]) illud incepit, certis veluti gradibus promovit, et ad apicem usque perduxit. Aut igitur historia Israelis ab universali internecione liberati e typorum albo expungenda est, aut nemini potius quam Estheri dignitas ac typi ratio vindicari debet.

1068. Eo vel magis quod ubi primum Deo placuit eximium hoc facinus compendio adumbrare, non modo non praetermittatur

1) Esther. IV.
2) Ibid. v. 14.
3) Ibid. V.
4) Ibid. VII.
5) Audivimus Rupertum de Esthere tamquam de *ecclesiae* typo loquentem: praeiverat vulgatus Prosper de promiss. et praedict. Dei P. II. cap. XXXVIII. pag. 109. inter Prosperi opp. T. II: at Bonaventura n. 871. perspicue tradidit, Esthere veluti typo praemonstratam fuisse Mariam.
6) Ibid. IV. 14.
7) Ibid. V.
8) Ibid. V. seqq.

Digitized by Google

Esther, sed sedes illi princeps ac plane nobilissima tribuatur. Adumbratum namque compendio fuit eo somnio quod Mardochaeus vidit, et quo extitura suae gentis fata praesensit. In eo autem somnio [1]) non secus apparet Esther ac uti centrum, ad quod lineae omnes confluunt, omnesque radii convergunt. Fieri ergo non potest, ut ipsa typi charactere destituta videatur. Eoque fieri minus potest, quo notae ac typi tesserae luculentius in ipsa deprehenduntur. Me namque fugit, an non omnium evidentissima typi nota qua Christus eiusque oeconomia praemonstrantur, sita in eo sit ut quod initio tenue ac vix conspicuum sistitur, idipsum illico crescat, augeatur et ad incredibilem quamdam magnitudinem claritatemque perveniat. Hanc certe notam praeferunt germen Isaiae et lapis Danielis, atque hac nota distinguuntur granum sinapis, parvumque fermentum. Sed cuiusmodi proponitur Esther, quave imagine describitur? Describitur [2]) ceu *parvus fons qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit.* Omnia ergo persuadent, in typica liberati Israelis historia eam esse Estherem, quae nobilissimas typi partes impleverit.

1069. Iamvero typus dirimi nequit a suo antitypo, cum quo non secus ac umbra cum corpore, et signum cum re signata cohaeret. Comperto igitur typo, reliquum est ut eiusdem antitypus investigetur. Cuinam vero rationem deferemus antitypi, quem in oeconomia universalis reparationis Esther praemonstrarit? Ambiguum nequit esse responsum; eiusmodi namque antitypus ipsa est dicique debet gloriosa virgo Maria. Hoc enim iis ostenditur, quae [3]) de muliere cum suo semine, deque [4]) virga cum suo germine superius disseruimus: atque hoc inde confirmatur, quod mulier omnino nulla, praeter unam Deiparam, salutarem operam ad universalem nostri generis reparationem contulerit. Quemadmodum igitur Mardochaeus praesignavit Christum, eiusque typus exstitit; ita Esther praesignavit Mariam, ipsamque veluti typus antecessit. Bene habet, sed quum omnia in Esthere non fuerint typica, quaenam revocari ad hunc censum debent, neque aliter spectari ac totidem veluti nexus, quibus *Esther typus cum Maria antitypo* copuletur? Videlicet *ea omnia et sola hoc numero comprehendenda sunt, quibus*

1) Ibid. X. 4. seqq. coll. XI. 5. seqq.
2) Ibid. X. 6. coll. XI. 10-11.
3) nn. 889. seqq.
4) nn. 1018. seqq.

Digitized by Google

Esther ad facinus liberati ab internecione Israelis refertur. Haec autem in duplici differentia versantur, quum enim alia ad Estheris praeparationem, alia vicissim ad illius dotes muniaque pertinent.

1070. Principio namque selecta ipsa [1]) ac praeparata caelitus fuit, ut a sui populi cervicibus imminentem perniciem repelleret. Deinde vero pro hac eximia singularique destinatione, quemadmodum gratia et venustate eminuit qua sibi regis animum una devinciret; ita a reliquo populo secreta [2]) et ad reginae culmen evecta, numquam regis animum experta est inimicum, et [3]) ab universali mortis lege immunis efficere sua mediatione potuit, ut a decreta clade ipse quoque populus eriperetur. Si ergo eiusmodi sunt, quibus Esther Mariam adumbravit, eiusque typus atque imago fuit, plane colligitur: I. Mariam fuisse divinitus praeelectam, ut nobis in ruinam lapsis opem auxiliumque ferret: II. ea gratia, eaque venustatis excellentia coram Deo nituisse, ut eius sibi animum una conciliaret: III. a reliquo hominum genere longissime separatam, et reginae sponsaeque ornamentis insignem numquam supremo regi fuisse inimicam, eidemque semper placuisse: quapropter IV. ab universali condemnatione liberam iis esse functam partibus, quibus ratio ac mediatricis dignitas absolvitur. Nemo autem non videt, haec ita comparata esse, ut Mariam ab universali praevaricatione integram et a communi damnatione solutam luculentissime ostendant.

1071. Quae quidem demonstratio multo etiam existet illustrior et ad fidem pariendam accommodatior, si mutuus habitus quo Esther typus et Virgo antitypus coniunguntur, aliquanto subtilius enarretur. Itaque I. quemadmodum [4]) Vasthi quae regi primum placuerat, eidem mox immorigera displicuit; ita Eva quum Deo primum fuisset grata, obsequens deinde serpenti in eius iram offendit, sententiamque damnationis subivit. Quemadmodum II. in Vasthi locum suffecta [5]) fuit Esther, quae sibi regis animum singulari pulcritudine devinxit; ita priori Evae altera successit eaque Maria, quae gratia plena gratiam penes Deum invenit. Quemadmodum III. Vasthi solium [6]) Esther conscendit, ac reginae dignitate eminuit; ita Virgo cunctorum viventium mater ac regina renunciata fuit,

1) Esther. IV. 13-14.
2) Ibid. X. 6.
3) Ibid. IV. 13. XV. 11. seqq.
4) Ibid. II. 4.
5) Ibid. II. 17.
6) Ibid. II. 16-17.

Digitized by Google

solemniterque constituta. Quemadmodum IV. Esther [1]) selecta fuit, ut Hebraeorum populo adesset, ipsumque a ruina tueretur; ita praeparata fuit Virgo, ut omnium esset perfugium, omniumque salus. Quemadmodum V. eo usque [2]) regis oculis Esther placuit, ut ab ipso quodcumque peteret obtinuerit, illudque inprimis obtinuerit ut Amani furor Mardochaei opera restingueretur; ita quum sola sine exemplo Maria placuerit Deo, illud faustissime consequuta est ut per Christum ex ea natum satanae vires frangerentur, saevaque tyrannis labefactaretur. Quemadmodum VI. sola inter Hebraeos omnes fuit Esther, quam ita rex [3]) compellavit: *quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. Non morieris, non enim pro te sed pro omnibus haec lex constituta est;* ita una fuit Virgo a communi metu libera, et una exsors universalis damnationis, dignaque propterea quae ab angelo Dei [4]) audiret: *ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Quemadmodum VII. Esther [5]) exhibetur tamquam fons, stella et sol, qui tenebris depulsis splendorem lucis adducit; ita Maria est stella maris, lux in mediis fulgens tenebris, et fons e quo gratiarum rivi in homines universos dimanant. Et quemadmodum VIII. de Esthere praenunciatum [6]) legimus, *lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos;* ita Deipara [7]) magnificans Dominum exclamavit: *et exultavit spiritus meus in Deo* [8]) *salutari meo, quia respexit* [9]) *humilitatem ancillae suae, quia fecit mihi* [10]) *magna qui* [11]) *potens est. Fecit* [12]) *potentiam in brachio suo, dispersit superbos* [13]) *mente cordis sui. Deposuit* [14]) *potentes de sede, et exaltavit humiles.* Atque haec multiplex comparatio eo nos veluti manu ducit ut tandem concludamus, principio quidem statam humanae reparationis oeconomiam non sinere, ut Virgo communi praevaricatione laesa et

1) Ibid. IV. 14.

2) Ibid. V. 2. seqq.

3) Ibid. XV. 12. seqq.

4) Luc. I. 30.

5) Esther. X. 6. coll. XI. 10-11.

6) Ibid. XI. 11. Huc etiam referri posse videtur similis potestas utriusque nominis, *Estheris* et *Mariae*. Est enim אֶסְתֵּר persicum nomen *sitarech.*, idemque valet ac *stella*, ἀστήρ. Nihil autem in priscis glossariis frequentius quam Μαριάμ φωτίζουσα.

7) Luc. I. 46. seqq.

8) Graece, ἐν τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου, *in Deo salvatore meo.*

9) Quod latine humilitas, graece dicitur ταπείνωσις, *humilis abiectaque conditio.*

10) Plerique graeci codices habent μεγαλεῖα, *sublimia.*

11) Graece non sine emphasi, ὁ δυνατός, *potens ille.*

12) Ipsum quod celebrat Dei opus, Virgo κατ' ἐξοχὴν vocat *potentiam*, κράτος, *robur.*

13) Pressius, *dispersit superbos cogitatione cordis eorum.*

14) Idest δυνάστας ἀπὸ θρόνων, *dynastas de soliis.*

Digitized by Google

universali damnationi obnoxia existimetur: deinde vero singularem ac privum esse ordinem ad quem Deipara spectat, illumque ordinem esse sponsae, reginae, mediatricis, quae sponso, regi ac Deo semper grata, semperque peccato et satanae infensa utriusque regnum una cum Filio et per Filium penitus subverterit.

CAPUT IV.

Utrum in novo foedere testimonia reperiantur, quibus immaculatus Virginis conceptus rite graviterque comprobetur: reponitur non penitus deesse, atque huc ea omnino pertinere quae habentur Luc. I. 28-30: quid patres maioresque nostri de Archangeli salutatione animadverterint: quam significandi potestatem subiiciendam eidem esse tradiderint: quove pacto cum eiusmodi significatione praerogativa immaculati conceptus devinciatur: penitior ipsius testimonii consideratio atque ex ea ductum argumentum quo praerogativam immaculati conceptus inter veritates divinitus revelatas numerandam esse colligitur.

1072. Engelbertus abbas admontensis quum *de gratiis et virtutibus Deiparae* sermonem instituit, his omnino verbis [1]) exorditur: « Gloriosissimam Virginem Dei genitricem Mariam, quae meruit apud Deum habere cum Deo communem filium, et per consequens regni misericordiae indivisum cum Filio imperium, universalis ecclesia et unaquaeque devota et fidelis anima digne et iuste ut reginam misericordiae precibus et laudibus invocat et implorat: credens firmiter et sperans fideliter, nihil divinae complacentiae gratius, nihil humanae indigentiae utilius, nihil nostrae insufficientiae supplendae efficacius posse ad salutem provenire; praesertim quum filius sibi tamquam matri nihil deneget petenti, et omnia quae petierit impetranti, iuxta [2]) illud, *pete mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem tuam.* » Tum aliquot interiectis [3]) pergit: « Movere solet alios specialiter devotos gloriosae virginis Mariae, cur de vita et virtutibus ipsius tam in diebus carnis Domini nostri Iesu Christi, et conversationis ipsius in hoc mundo, quam etiam post ascensionem eius ad caelos sub tempore praedicationis apostolorum usque ad beatum transitum ipsius Virginis de hoc

1) Tract. de gratiis et virtutibus Deiparae, procem. pag. 505. apud Pezium in thes. anecdot. noviss. T. I. P. I.

2) III. Reg. II.

3) Ibid. in prolog. pag. 509.

Digitized by Google

mundo, tam pauca, ut ipsis pro suae devotionis affectu videtur, inveniantur in evangeliis et actibus ac epistolis apostolorum, aut aliis scripturis authenticis facientia mentionem de ipsius conversatione et vita ac virtutibus, et maxime de ipsius transitu et assumptione in corpore et in anima de hoc mundo, quam tamen ecclesia publice et communiter solemnizat. » Hinc [1]) subdit: « Ut igitur ad solutionem praedictae dubitationis magis congrua via valeat fortassis perveniri, est videndum primo, quae sint illa quae de conversatione et vita ac virtutibus beatae Virginis in evangeliis et epistolis ac actibus apostolorum inveniuntur expressa: secundo quae videantur omissa: tertio qua caussa vel ratione illa videri possint fuisse expressa et ista omissa. Istis enim tribus diligenter perspectis et inventis, soluta videtur esse dubitatio praedictae quaestionis. »

1073. Quare ut de eo dicamus quod primum Engelbertus commemorat, nihil nobis prae Archangeli salutatione [2]) occurrit quod accuratius expendi aut enarrari diligentius debeat, ut singulares Virginis dotes suo veluti in lumine collocentur. Hoc enim si rite fiat, eo certissime perveniemus quo contendimus, et perspicuitate qua decet assequemur, ne in novo quidem testamento effata penitus desiderari, quibus cum alia ornamenta tum praerogativa immaculati conceptus Virgini asserantur. Quum autem difficultatis nonnihil in eo sit ut recta ineatur via, ab hac nos facile expediemus si de subiecta Archangeli verbis potestate non antea quidquam statuerimus, quam patrum maiorumque sententia nobis innotuerit. Huc enim insigniter faciunt quae habet [3]) Vincentius lirinensis scribens: « Hic forsitan requirat aliquis, quum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt; sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Atque idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur. »

1) Ibid. Par. I cap. I. pag. 511.
2) Luc. I. 28.
3) Commonit. cap. II.

Digitized by Google

1074. Principio itaque dabimus quae maiores nostri ob oculos habenda esse monuerunt, ne in explananda Archangeli salutatione ab eo quod verum rectumque est deflectamus. Ea deinde dabimus, quibus tradita ab ipsis explanatio continetur. Tum quaeremus quid consertum cum illis sit, nihilque deducendo affirmabimus quod ad ipsorum mentem non omnino expressum videatur. Ipsum denique expendemus testimonium, omnibusque probe collatis efficiemus, immaculatum Virginis conceptum ad eam veritatum classem pertinere, quas sin minus disertis verbis, potestate certe aequipollentibus divina Scriptura [1]) complectitur.

ARTICULUS I.

Ea est ex maiorum sententia Archangeli salutatio Luc. I. 28. quae non splendidissima tantum, verum etiam nova, inusitata ac nuspiam alibi occurrens existimari debet: quid sit propterea consequens, quive hermeneuticus canon ex hisce sua sponte dimanet.

1075. Disserit Origenes de Archangeli salutatione, deque illa his verbis [2]) suam mentem aperit: « Quia vero [3]) Angelus novo sermone Mariam salutavit, quem in omni Scriptura invenire non potui, et de hoc pauca dicenda sunt. Id enim quod [4]) ait, *ave gratia plena* (quod graece dicitur κεχαριτωμένη), ubi in Scripturis alibi legerim, non recordor: sed neque ad virum istiusmodi sermo est, salve gratia plena. Soli Mariae haec salutatio servatur. Si enim scisset Maria et ad alium quempiam similem factum esse sermonem, habebat quippe legis scientiam, et erat sancta, et prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognoverat, numquam quasi peregrina eam salutatio terruisset. » His autem duo continentur,

1) Hoc ipsum pluribus ostendere atque idoneis confirmare rationibus iampridem studuerunt Franciscus Guerra de b. Virgine T. I. lib. II. tract. I. *de locis sacrae Scripturae, quae in sensu litterali immaculatam virginis Mariae conceptionem elucidant*, Ioh. Baptista Lezana in apolog. pro imm. Mariae concept. cap. XII., Iohannes Serranus de concept., lib. II. cap. III., Franciscus Turrianus in epist. ad Iacobum Amiotum, Iohannes Viguerius in institut. ad christ. theolog. cap. XX. §. VIII., Carolus Latius de imm. concept. cap. V. et qui omnium primus memorandus erat, Iohannes segoviensis in avisamento III. pro imm. conceptione, quo rem accuratissime versat.

2) In Lucam hom. VI. ex Hieronymi versione, pag. 939. col. 1. A-C. opp. T. III.

3) Haec in graecis Combefisii et Grabii schedis sic habent: ξένος ὁ ἀσπασμός τῇ παρθένῳ, οὐδαμοῦ τῆς γραφῆς εὑρισκόμενος, ταύτῃ δὲ μόνῃ τηρούμενος. χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ. *Novo sermone salutatur Virgo, qui nullibi in omni scriptura reperitur, sed huic soli servatur: ave gratia plena, Dominus tecum.*

4) Luc. I. 28.

quorum alterum *res facti* est, alterum *ad rei praestantiam dignitatemque* refertur. Et facti quidem res est quod testatur Origenes, salutationem eiusmodi conceptam verbis nuspiam alibi in Scripturis reperiri. Ad rei vero dignitatem praestantiamque spectat quod subdit, tantam esse eiusdem salutationis maiestatem, quae uni Virgini merito tribuatur.

1076. Quod Origeni visum est, suo iudicio probavit atque repetiit Ambrosius, qui adductis [1]) evangelistae verbis, *erat tamen cogitans, qualis esset haec salutatio,* continuo [2]) addit: « Et ideo cum verecundia quia pavebat, cum prudentia quia benedictionis novam formulam mirabatur, quae nusquam lecta est, nusquam ante comperta. Soli Mariae haec salutatio servabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quae sola gratiam quam nulla alia meruerat, consequnta est, ut gratiae repleretur auctore. » Vides *novam* dici *benedictionis formulam,* dici inusitatam, *nusquam alibi lectam* et *nusquam antea compertam?* Audis nonnisi Virginem fuisse dignam, quae tali salutationis formula honestaretur?

1077. Ab his autem ne minimum quidem abludit Andreas cretensis, qui relatis [a]) iisdem evangelistae verbis, *illa autem turbata est in sermone, et cogitabat qualis tandem esset illa salutatio,* e vestigio [b]) pergit: « Turbata est, inquit, non incredulitate aliqua

a) Luc. I. 29. Ἡ δὲ ἐπὶ τῷ λόγῳ διεταράχθη, καὶ διελογίζετο ἐν ἑαυτῇ λέγουσα, ποταπὸς εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος.

b) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 104. C-E. apud Gallandium T. XIII. Διεταράχθη, φησὶν, οὐκ ἀπιστίᾳ τινὶ βληθεῖσα τὸν νοῦν· ἄπαγε· εὐλαβείᾳ δὲ μᾶλλον τῇ πρὸς τὸ ξένον τοῦ ἐπιφθέγματος· δόξασα δῆθεν κληδονισμὸν τὸ φαινόμενον· οὐδ᾽ ὅπερ πρότερον Ζαχαρίας ἐν τοῖς ἀδύτοις ἀπιστήσας, ὑπέστη· δι᾽ ἣν ἐκ τῶν γεννητικῶν ἐπὶ τὰ φωνητικὰ ὄργανα ἐπιτιμίαν ἐδέξατο, καὶ ἀφωνίᾳ τὴν ἀτεκνίαν ἠλλάξατο· ἀλλ᾽ οἷα παντὸς καθαρεύουσα μώμου, καὶ τῆς οἱασοῦν πρὸς ἄνδρα ἐπιμιξίας, εἴτουν συνηθείας ἐλευθεριάζουσα, καὶ τῇ τῶν οὐρανίων ἀκλινεῖ θεωρίᾳ τὸν νοῦν ἐθίσασα προσηλοῦν, τὸν ἐκ τοῦ ἀσπασμοῦ γενόμενον αὐτῇ κατὰ ψυχὴν εἰσεδέξατο τάραχον· καὶ γὰρ ἦν, αὐτὴν, ὡς τὸ εἰκὸς ἀπαῤῥησίαστον οὖσαν, ἐνδοιᾶσαι μὲν παραχρῆμα, λογισμῷ δὲ πρότερον βεβηκότι τὸ λεχθὲν ἀνακρίνασαν, μὴ πρὸς τὸ τυχὸν ὡς ἄν τις φαίη, μηδ᾽ ἀπερισκέπτως τὴν ἀκοὴν ὑποσχεῖν τῷ λαλοῦντι· ὅθεν σοφῶς ἄγαν ὁ εὐαγγελιστὴς ἐπεσημήνατο, εἰπών· ἡ δὲ διελογίζετο· τῷ κριτηρίῳ τῆς καθαρᾶς ὡσανεὶ διανοίας τὸ λογισθὲν βασανίζουσα, τῷ μὴ ἀκρίτως τὸ ῥηθὲν παραδέξασθαι· ποταπὸς λέγουσα εἴη ὁ ἀσπασμὸς οὗτος· εἰκὸς γὰρ αὐτὴν εὐγενῆ τε οὖσαν καὶ θυγατέρα Δαβὶδ, μηδὲ τῶν ἐν γραφαῖς ἀμοιρεῖν ἐνθείων διηγημάτων· ὡς παραπέμψαι τὸν νοῦν αὐτίκα πρὸς τὸ τῆς προμήτορος πτῶμα, τὸ ἐκ τῆς ἀπάτης ἐνθυμηθεῖσαν ὀλί-

1) Luc. I. 29.

2) Exposit. in Luc. lib. II. n. 9. pagg. 1284. F. et 1285. A.

Digitized by Google

animum pulsante, absit; sed cautione magis ob novitatem acclamationis, tamquam [1]) visio malum utique omen videretur. Ac neque idipsum ei accidit atque Zachariae, quum prius in templi penetralibus incredulus fuisset, ubi poena a genitalibus translata organis ad vocalia, elingui silentio sterilitatem pristinam commutavit. Quinimmo velut omni culpa vacans, atque ab omni viri congressione seu consuetudine libera, et caelestium rerum immotae contemplationi solita defigere animum, incussam a salutatione turbationem eiusmodi mente suscepit. Par enim erat, decebatque ut velut meticulosior ac quasi responsionis inops confestim quidem dubia haereret; tumque accedente prius ratione, sermonem discernens atque iudicans non temere, ut sic dicam, leviusque ac inconsideratius aures loquenti accomodaret. Quamobrem sapienter admodum annotavit evangelista dicens, *illa autem cogitabat;* pro mundae mentis velut tribunali cogitationem probans ac examinans, ne inconsulta levitate quod dicebatur arriperet. *Qualis,* inquiens, *esset ista salutatio.* Nam verisimile est, quum esset ingenua et Davidis filia, haud fuisse ignaram eorum quae Scripturis sacris continentur: ut suas statim cogitationes ad primae parentis lapsum converterit, secum animo volvens deceptionis casum ac reliqua huius generis veterum historiarum monimentis prodita. Non immerito igitur evangelista cogitabundam scripsit; sed eo posuit ut et sagacitatem quantam haberet, et stabilem firmamque scientiam nihilque evagantem ostenderet. Quum enim necdum honesti iudicium ad rationis amussim probasset, haud decebat ut salutationi assensum praeberet. » Nova igitur fuit salutatio qua Mariam angelus compellavit, et eo usque nova ut animum non immerito commoveret.

1078. Hinc venerabilis Beda ubi [2]) Angeli verba commentario exponit, non Ambrosii dumtaxat sententiam iterat; verum etiam [3]) de inciso [4]) agens, *ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud*

σθημα, καὶ ὅσα τοιουτότροπα τοῖς παλαιοῖς προϊστόρηται· οὐκ ἀπεικὸς οὖν αὐτὴν διαλογιζομένην ὁ εὐαγγελιστὴς συνεγράψατο· ἀλλ᾽ ἵνα καὶ τὸ ἀγχίνουν ὅσον προσῆν αὐτῇ παραδείξῃ, καὶ τὸ τῆς γνώσεως ἀῤῥεπές τε καὶ πάγιον τέθεικεν, ὡσανεὶ καὶ τὸ ἀῤῥέμβαστον· τῆς γὰρ τοῦ καλοῦ κρίσεως μήπω δοκιμασθείσης τῇ παρεξετάσει τῆς τοῦ λογισμοῦ διασκέψεως, οὐ δεῖ συγκαταθέσθαι τὴν πρόσρησιν.

1) Luc. I. 26.
2) Comm. in Luc. I. 28. pagg. 190-191. opp. T. V.
3) Ibid. pag. 191.
4) Luc. I. 29.

Deum, scribit: « Quam salutatione insolita, utpote quae ei soli servabatur, viderat turbatam, quasi familiarius notam vocans ex nomine, ne timere debeat iubet. » Ubi autem annunciationis festum summis quibus potest laudibus [1]) prosequitur, de verbis Angeli ait: « Quae salutatio quantum humana consuetudine inaudita, tantum est beatae Mariae dignitati congrua. » Et paullo inferius: « Quae postquam more humanae fragilitatis et visione angelica, et insolita est salutatione turbata, mox idem angelus eam repetito sermone ne timeat hortatur: quodque maxime timorem pellere consuevit, quasi bene cognitam ac domesticam proprio eam nomine vocat. » Propria igitur angelica salutationis apposita, quibus illa non minus commendatur quam distinguitur, huc redeunt, ut ipsa sit voceturque *insolita, humana consuetudine inaudita et unius Virginis dignitati inprimis congrua.* Hinc vulgatus Hildephonsus celebratis [2]) Deiparae ornamentis, continuo subdit: « Unde et ei soli angelica illa salutatio conveniens fuit, *ave Maria, gratia plena.* Ceteris enim electis ex parte gratia datur, huic vero Virgini tota se infudit plenitudo gratiae. »

1079. Quare nil mirum si relatis Lucae [3]) verbis, Bruno astensis [4]) mox pergat: « Consideremus personam mittentis, et personam legatione fungentis, et personam illam ad quam haec legatio facta est. Si etiam consideremus ipsam legationem, qualis et quanta sit, et quae consilia, quae secreta, quales et quantas utilitates in se contineat, profecto intelligemus ex quo mundus iste factus est, numquam aliam legationem factam fuisse, quae huic legationi valeat comparari. Numquam talia verba, tam laeta consilia, tam profunda mysteria huic mundo prius vel postea nuntiata sunt. » Nil mirum si Innocentius III. de Virgine [5]) scribat: « Eiusdem est ista salutatio, *ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Ave quia per te mutabitur nomen Evae: illa fuit plena peccato, sed tu plena gratia: illa recessit a Deo, sed Dominus tecum: illa fuit maledicta in mulieribus, sed tu benedicta in mulieribus: per illam mors intravit in orbem, sed per te vita rediit ad orbem. » Et nil mirum si [6]) Laurentius Iustiniani maiorum do-

1) Hom. in Virginis annunciat. pag. 468. opp. T. VII.
2) Serm. VI. de Virg. assumpt. pag. 368. in collect. pp. tolet. T. I.
3) Luc. I. 26. seqq.
4) Sentent. lib. V. cap. IV. pag. 558 opp. T. II.
5) Serm. de Virg. purificat. apud Maraccium de Pontificibus marianis cap. LI. pag. 94.
6) Serm. X. in Deiparae annunciat. pagg. 42-43. opp. T. II.

etrina imbutus sententiisque eruditus scripserit: «Merito igitur Angelus ad Virginem mittitur, ut novam gratiam novi partus nova salutatione dissereret. Visitationis enim aderat tempus in quo liberaretur reus, Sapientia corporaretur, deleretur culpa atque caelestis Ierusalem reaedificarentur maenia. Quamobrem laetus paranymphus effectus pro officio, exhilaratus pro gratia, pro obsequio expeditus, insolito fulgore vestitus, in humana effigie descendit ad Virginem. Didicit sane ex praesagio quanta qualisque erat, ad quam dirigebatur salutandam. *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum*. Tecum in mente, tecum in ventre, tecum in thalamo, tecum in praesidio. Ceterum hoc non habes abs te sed ab illo qui fecit te, ut nasceretur ex te, pasceretur a te, permaneret in te, atque gratia sua fecundaret te. Replevit enim te ut fieret in te, possetque veraciter dicere quod longe ante Sapientis ore [1]) vaticinatum fuerat de te: *et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Magna profecto Mariae gratia exuberans atque completa, quae caelis dedit gloriam, terrisque genuit Deum, gaudium praestitit angelis, seculoque pacem refudit. Fide docuit gentes, vitiis finem imposuit, humanae vitae instituit ordinem atque spiritalem edidit moribus disciplinam. Quomodo non est Maria iuxta Gabrielis oraculum plena gratia, quae effecta est mater Dei, paradisi scala, caeli ianua, interventrix mundi, daemonum fuga, peccatorum spes, Dei et hominum verissima mediatrix? Ipsius gratiae plenitudinem caelestis nuntius persensit, cognovit, manifestavit et dixit: *ave gratia plena*. Salutat illam tamquam sibi dominam honoreque dignissimam ac a Deo singulariter electam. Nec aliunde quam a salutatione debuit inchoari, quando per hanc novae salutationis gratiam salvatoris mundi praenunciabatur adventus.»

1080. Huc igitur summa illorum pertinet quae maiores nostri de angelica salutatione litteris consignarunt: quod ea fuerit *novus sermo, nova acclamatio, nova formula benedictionis, salutatio insolita, salutatio peregrina, humana consuetudine inaudita, nusquam lecta, nusquam antea comperta, soli Virgini reservata atque eiusdem dignitati unice congrua*. Iamvero novis sermonibus, novis acclamationibus, novisque benedictionis formulis *nova significantur:* salutatione insolita, salutatione peregrina et humana consuetudine inau-

1) Eccles. XXIV.

dita *non alia quam insolita, peregrina et supra humanam evecta consuetudinem efferuntur:* salutatione nusquam lecta et nusquam antea comperta *id ostenditur quod eximium sit ac prorsus singulare:* denique salutatione soli Virgini reservata atque eiusdem dignitati unice congrua *contineri nihil potest quod commune sit quodque unius Virginis privum existimari non debeat.* Quum igitur ex maiorum doctrina tales sint notae quae angelicam salutationem [1]) distinguunt, et tales sint characteres qui illam exornant; non perspicue minus quam necessario consequitur *nova esse quae per ipsam significantur, esse insolita, peregrina, supra humanam consuetudinem evecta, eximia, plane singularia, cum aliis non communia atque unius Virginis priva.*

1081. E quibus is dimanat *hermeneuticus canon*, qui in explananda angelica salutatione custodiri sanctissime debet, ne secus a germana eiusdem potestate quam longissime aberretur. Canon vero est huiusmodi: *nullam angelicae salutationis recipi interpretationem posse, quae non alios quam communes vulgaresque sensus eidem subiiciat; tum eam vicissim probari interpretationem oportere, cuius ope nova, peregrina, insolita, supra humanam consuetudinem evecta, eximia, singularia, cum aliis non communia atque unius Virginis priva scite colligantur.* Huius autem canonis si ratio exquiratur, ea sufficere in praesentia debet quam maiores nostri luculentissimam praebent, quum repetitis plus semel epithetis angelicam salutationem insigniunt, deque ea testantur quod [a]) Iohannes Geometra brevissime complexus est scribens: *salve prima, salve sola, eiusmodi ave tibi primus caelestis exercitus tremor attulit.*

a) Hymn. II. in Deiparam vv. 59-60. pag. 439. D. in app. ad biblioth. PP. graeco-lat. T. III.
Χαῖρε πρώτη, χαῖρε μόνη, τοῖον σοὶ χαῖρε
Οὐρανίης στρατιᾶς πρῶτος ἔλεξε τρόμος.

1) De qua salutatione e re fuerit memoria reputasse quae Bruno astensis l. c. scribit: « Audiamus modo quid Gabriel archangelus dixerit, quae verba, quam legationem, et ut ita dixerim, quas novellas Virgini nostrae de caelis attulerit. *Fidelis legatus iste, verax ille a quo mittitur.* Qui hanc legationem veram esse non crediderit, sit anathema. »

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De habitu oppositionis ea inter quae de Eva tertio Geneseos capite, quaeque de Maria priore Lucae capite referuntur: luculenta maiorum testimonia quae vel ipsum oppositionis habitum universim, vel nominatim multiplices eiusdem respectus oculis subiiciunt: quo haec omnia spectent, quove nexu cum immaculato Virginis conceptu devinciantur.

1082. Satis superque novimus maioribus nostris solemne inprimis fuisse duplici eaque diversa prorsus ratione primam virginem cum secunda, atque Evam cum Maria comparare. Sicut enim cum Eva adhuc innoxia eo habitu Mariam contulerunt, qui *similitudinis habitus* nuncupari solet; ita cum Eva peccato iam infecta et propemodum deflorata numquam alium admiserunt habitum, nisi qui *plenissima dissimilitudine* contineretur. Cuius cogitandi sentiendique rationis apud maiores nostros vulgatissimae praeclarum ex iis argumentum habetur, quibus ipsi vel angelicum cum Maria colloquium iustis commentariis interpretantur, vel ad illud utcumque disserendo loquendoque respiciunt.

1083. Atque [1]) Euthymius sane zigabenus descripta Gabrielis salutatione, *ave gratia plena, Dominus tecum,* subdit: « Gaudium hoc Evae solvit maledictionem. Illa siquidem iussa est habere moerorem, (nam id proprie significat λύπη vocabulum, quod Geneseos tertio capite in aerumnas et dolorem vertitur) haec autem gaudium quod moerori contrarium est. Gaude, inquit, utpote inter omnes virgines in Dei matrem electa. *Gratiosam* vero nominavit illam, tamquam videlicet gratia supernaturali dignam. *Dominus tecum,* hoc est, Deus in te est. » Eiusdem mentis est [a]) Theophylactus inquiens: « Quia autem Evae dictum erat a Domino, ut in tristitiis pariat filios, solvit tristitiam illam in gaudium, quod angelus Vir-

a) Comm. in Luc. I. 28. pag. 275. B-C. opp. T. I. Ἐπειδὴ δὲ τῇ Εὔᾳ ὁ κύριος εἶπεν, ἐν λύπαις τέξῃ τέκνα, λύει τὴν λύπην ταύτην ἡ χαρὰ, ἣν ὁ ἄγγελος προσφέρει τῇ παρθένῳ λέγων, χαῖρε κεχαριτωμένη· ἐπεὶ δὲ κεκατήρατο ἡ Εὔα, εὐλογημένη αὕτη ἀκούει.

1) Prooem. in evang. Lucae pag. 227. edit. Paris. MDLX.

Digitized by Google

gini afferens dicit: *gaude gratia plena*. Et quia maledicta fuit Eva, haec dicitur benedicta. » Praeiverat [1]) auctor commentariorum in Lucam qui Tito Bostrorum episcopo inscribi solent, et in quibus legimus: « Quandoquidem Deus ad Evam dixerat, *in dolore paries filios;* propterea angelus gaudium per quod dolor olim decretus solvatur, Virgini denuntiat: *ave*, inquiens, *gratia plena*. » Neque aliter [2]) in catena corderiana graecorum patrum in Lucam, ubi haec totidem verbis occurrunt: « Contrarius primae ad mulierem voci nunc ad Virginem sermo profertur. Illa propter peccatum ad dolores partus condemnata est, ex hac vero gaudio dolor abigitur. In illa dolores partum praecesserunt, heic vero laetitia partui obstetricatur: et angelus Virgini gaudium annuntiat, e diverso ut illi dolorem, quoniam sexus femineus in doloribus versabatur, et hanc primam acceperat exsecrationem. *In doloribus* [3]) enim, inquit, *paries filios*. Peregrina salutatio Virgini defertur quae nullibi in Scriptura reperitur, huic autem soli asservatur: *ave gratia plena, Dominus tecum*. » Accedunt Procopius gazaeus et Photius constantinopolitanus, e quibus ille [a]) memorata Evae culpa subdit: « Propter quam mulier addicta est tristitiae, et dolori et servituti, donec Christus insita benignitate ex muliere natus maledictum sustulit. Et quoniam [4]) peccatis impedita non poterat inculpatum parere, angelus praecurrens tristitiam gaudio abolevit ita sermonem auspicatus, *ave;* et caussam gaudii illico subiecit, *Dominus tecum*. Maria namque imago Evae fuit: utraque siquidem virgo; at Eva in virginitate existens peccavit, proindeque tristitiam et dolores a serpente traxit,

a) Comm. in Gen. III. pagg. 193-194. apud Mai class. auctt. T. VI. Δι᾽ ἣν ἡ γυνὴ κατακρίνεται λύπῃ καὶ στεναγμῷ καὶ δουλείᾳ, μέχρι τὴν ἀρὰν διὰ τὴν φιλανθρωπίαν ἔλυσεν ὁ Χριστὸς, τεχθεὶς διὰ γυναικός· καὶ ἐπειδὴ ὑπαιτία οὖσα οὐκ ἠδύνατο τεκεῖν τὸν ἀνεύθυνον, προδραμὼν ἄγγελος τῇ χαρᾷ τὴν λύπην διέλυσε, προοίμιον τοῦ λόγου τὸ χαίρειν εἰπών· καὶ τὴν αἰτίαν ἐπήνεγκεν· ὁ κύριος μετὰ σοῦ· εἰκὼν γὰρ αὕτη τῆς Εὔας ἐτύγχανε· παρθένος γὰρ ἑκατέρα· καὶ Εὔα γὰρ παρθένος οὖσα ἥμαρτεν· ἀλλ᾽ ἡ μὲν ἔσχε τὴν λύπην ἐξ ὄφεως, καὶ ταῖς ἐφεξῆς ἁπάσαις καὶ αὐταῖς ἡμαρτηκυίαις τῆς λύπης μετέδωκεν, ἡ δὲ τὴν χαρὰν ἐκ Θεοῦ· καὶ τὴν ἀρὰν τοῦ γένους διέλυσε, καὶ τόκος ἀπαθὴς τὸν ἐν στεναγμῷ καὶ λύπαις κατέπαυσεν.

1) Comm. in Luc. I. 28. pag. 416. G. in max. pp. biblioth. T. IV.

2) Cat. pp. graec. in Luc. I. 28. pag. 12. apud Corderium.

3) Gen. III. 16.

4) His propositio effertur, qua Virgo originalis culpae exsors demonstratur. Virgo enim et potuit et debuit τὸν ἀνεύθυνον *innoxium* parere. Id autem minime potuisset ὑπαιτία οὖσα, si quando fuisset originalis transgressionis rea.

Digitized by Google

quos [1]) deinde transfudit in omnes mulieres peccatrices. Maria autem gaudium ex Deo accepit, et maledictum a nostro genere fugavit, et partus doloris nescius finem illi imposuit qui in tristitia ac moerore peragitur. » Sequitur Photius [a]) qui haec Gabrieli tribuit: « Non veni ut tibi fallacia dicerem, sed ut te fallaciae ablationem edocerem: non veni decepturus, sed ut propinquam deceptionis solutionem significarem: non veni ut tibi eriperem inviolabilem virginitatem, sed ut tibi inhabitationem annunciarem eius qui auctor est et custos virginitatis: non sum minister malitiae serpentis, sed legatus eius qui serpentem abolet: desponsator accessi non seductor, conciliator gaudii, non causa moeroris, salutis praenuncius non suasor ruinae. »

1084. His quae suis commentariis maiores nostri complexi sunt, haud obscure respondent quae tradit Germanus [b]) inquiens: « Ave per quam exacta sententia illa, *in dolore paries filios*, in gaudium transiit. » Et [c]) infra commemorata Unigeniti incarnatione exclamat: « O ineffabilem exinanitionem! O pietatem! Quod per mulierem contribulem eiusdemque generis haec nobis Deus largitus sit supra

a) Comm. in Luc. I. pag. 631. apud Mai scriptt. vett. T. IX. *Οὐκ ἀπάτην ἦλθον λαλῆσαί σοι, ἀλλὰ τῆς ἀπάτης ἀναίρεσιν εἰσηγήσασθαι· οὐ πλανῆσαι παραγέγονα, τῆς δὲ πλάνης λύτρωσιν ἐγγυήσασθαι· οὐ συλῆσαί σοι τὴν ἄσυλον παρθενίαν ἐπεδήμησα, ἀλλὰ τοῦ πλάστου τῆς παρθενίας καὶ φύλακος τὴν ἐνοίκησιν εὐαγγελίσασθαι· οὐκ ὄφεως εἰμι πονηρίας διάκονος, ἀλλὰ τοῦ καταργοῦντος τὸν ὄφιν ἀπόστολος· νυμφοστόλος οὐκ ἐπίβουλος παραγέγονα· χαρᾶς πρόξενος, οὐ λύπης παραίτιος· σωτηρίας προάγγελος, οὐκ ἀπωλείας σύμβουλος.*

b) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1310. C. apud Combefisium Auctar. T. I. *Χαῖρε, δι᾽ ἧς τὸ ἐν λύπαις τέξῃ τέκνα, χώραν οὐκ ἔχον ἔτι, πρὸς τὸ ἐν ἀγαλλιάσει τίκτειν μεταπεποίηται.*

c) Ibid. pagg. 1323. E. et 1325. A. *Ὦ τῆς ἀφράστου κενώσεως· ὢ τῆς χρηστότητος· ὅτι διὰ γυναικὸς ὁμοφύλου ταῦτα καὶ συγγενοῦς ὑπὲρ φύσιν καὶ θέσιν Θεὸς ἡμῖν ἐχαρίσατο· γυναικός, ἧς τὸ μὲν τῆς ψυχῆς κάλλος ἀπειράκις ἀπείρως εἰς τοσοῦτον ἐξῆρηται, ὅπως καὶ Χριστὸν αὐτὸν τὸ ἀμήχανον κάλλος εἰς ἐπιθυμίαν τῆς ταύτης κάλλους ἐλθεῖν, καὶ τὴν ἐξ αὐτῆς ἑλέσθαι δευτέραν γέννησιν, καὶ ἀπατορίαν· οὕτω δὲ καὶ τοῦ σώματος εὐπρεπὴς ἡ κατάστασις, καὶ πρὸς τοσοῦτον καθαρότητος φθάνουσα, ὅσῳ καὶ αὐτὴν χωρῆσαι τὴν ἀσώματόν τε καὶ ἀπερίληπτον τῆς ὑπερουσίου φύσεως μεγαλειότητα, δι᾽ ἑνὸς τῶν τριῶν αὐτῆς ὑποστάσεων· αὕτη ἐστιν ἡ Θεοτόκος Μαρία, τὸ κοινὸν ἁπάντων τῶν χριστιανῶν καταφύγιον· ἡ πρώτη τοῦ πρώτου πτώματος τῶν προγόνων ἀνάκλησις· ἡ πρὸς ἀπάθειαν τοῦ πεπονθότος γένους ἐπάνοδος.*

1) Si *omnes consequutae peccatrices mulieres* id etiam detrimenti ex serpente acceperunt, ut in dolore parerent; restat profecto ut exclusa ab ea serie Virgo censeatur.

naturam ac gratiam; per mulierem inquam, cuius animae pulcritudo eo immensitatis omnino excrevit, ut Christum ipsum qui summa pulcritudo est, in sui desiderium attraxerit, effeceritque ut secundam ex ea generationem sine patre delegerit. Cuius etiam corpus adeo speciosum fuit, tantaque puritate vigebat, ut per unam e tribus eius hypostasibus vel ipsam caperet incorpoream immensamque superessentialis naturae maiestatem. Haec est Dei mater Maria, commune christianorum omnium perfugium, prima primi lapsus primorum parentum revocatio, lapsi generis in rectum statum restitutio. » Quorum omnium ex iis etiam sumi ratio debet, quae nuncianti angelo, auctore [a]) Germano, Virgo respondit inquiens: « Timeo tremoque tuos eiusmodi sermones, atque existimo venisse te ut me tamquam Evam aliam decipias. At ego illi nullatenus sum similis. »

1085. Consentit Iohannes damascenus qui [1]) ex recepto penes gentiles usu quo natalitios daemonum dies omni honoris genere prosequebantur, quum alioqui humanam illi vitam infestam haberent; inferendo [b]) colligit: « Quanto nos potiori iure Dei genitricis natalem operae pretium est honorare, per quam universum mortalium genus redintegratum est, per quam primigeniae matris Evae luctus in gaudium est commutatus? Illa namque divinae sententiae [2]) decreto audivit, *in maeroribus paries;* haec, *ave gratia plena*. Illa, *ad virum erit conversio tua;* haec, *Dominus tecum*. » Similia docet ubi [c]) relatis Ioachimi atque Annae precibus, e vestigio subdit: « Exaudivit itaque eos Dominus qui velox sit ad miserandum

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 1427. A. *Δέδοικα καὶ τρέμω σου τοὺς τοιούτους λόγους· καὶ ὑπολαμβάνω, ὡς ἄλλην Εὔαν πλανῆσαί με παραγέγονας· ἐγὼ δὲ οὐκ εἰμὶ κατ᾽ ἐκείνην.*

b) Ibid. §. I. pag. 841. D-E. et 842. A. *Πόσῳ μᾶλλον ἡμᾶς ἐχρῆν τῆς Θεοτόκου τιμᾷν τὸ γενέθλιον, δι᾽ ἧς ἅπαν τὸ βρότειον γένος, δι᾽ ἧς προμήτορος Εὔας ἡ λύπη εἰς χαρὰν μεταβέβληται; ἐκείνη μὲν γὰρ ἐν λύπαις τέξῃ τέκνα, δι᾽ ἀποφάσεως θείας ἀκήκοεν· αὕτη, χαῖρε κεχαριτωμένη· ἐκείνη, πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή· αὕτη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ.*

c) Orat. II. in Deiparae nativit. §. V. pag. 852. D-E. *Καί γε ὁ κύριος εἰσήκουσεν αὐτῶν, ὁ ταχὺς εἰς ἔλεον, βραδὺς δὲ εἰς ὀργὴν, δοὺς τὴν κυριώνυμον Μαρίαν λύτρον οὕτως ἀγλαὸν καὶ μεγαλοφυὲς ἀντὶ τῆς Εὔας· θυγάτηρ ἴαμα μητρικὸν γεγένηται, τὸ νέον φύραμα τῆς θείας ἀναπλάσεως, ἡ παναγία ἀπαρχὴ τοῦ γένους, ἡ ῥίζα τοῦ θεοφράστου κλάδου, τὸ τοῦ προπάτορος ἀγαλλίαμα.*

1) Orat. I. in Deiparae nativit. §. I. pag. 841. D. 2) Gen. III. 16.

Digitized by Google

et tardus ad iram, donans eam quae proprie Mariae nomen gerit, in splendidum et magnificum pro Eva pretium. Matris medicamentum filia effecta est, divinae reformationis nova conspersio, sanctissimae generis primitiae, rami divino ore prolati radix, primi parentis exsultatio. » Quare [a]) Virginem salutans exclamat: « Salve sis sola Dei mater, caelestium et terrestrium et infernorum magnificum atque illustrissimum decus. Salve sis sola Dei mater, quae radio omni lucidior es et omni puritate purior. Salve sis sola inter mulieres benedicta, quae primae parentis Evae lapsum restaurasti. Salve sis sola inter mulieres benedicta, quae humillimum humi iacentium mulierum genus exaltasti. »

1086. Unam eamdemque cum Iohanne damasceno fidem sententiamque profitetur Iohannes geometra, qui de Gabriele [b]) loquens ad Virginem misso scribit: « Heic igitur (angelus) veluti antagonista pro malitiae artifice mittitur: seligitur autem pro muliere mulier, pro Eva vita, pro corrupta Virgo, pro decepta quae abrepta simul in transversum non fuit, pro ea quae ex Edem excidit illa quae fuit in templum adducta, pro ea quae illecta voluptate fuit illa quae numquam mentis fallaciis obsequuta est, pro ea quae male cum daemone sermones miscuit illa quae continenter versata cum Deo est. Suscipit gaudium pro maledictione: ingreditur sponsus: adest paranymphus gaudio iuxta et terrore plenus, illo quidem utpote laeti nuntii minister tam puellae quam naturae universae, hoc

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 838. B-E. Χαίροις μόνη μήτηρ θεοῦ, ἡ τῶν ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων μεγαλοπρεπής τε καὶ μεγαλόφωτος εὔκλεια· χαίροις μόνη μήτηρ θεοῦ, ἡ πάσης ἀκτῖνος φωτεινοτέρα, καὶ πάσης καθαρότητος καθαρωτέρα· χαίροις μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, ἡ τῆς προμήτορος Εὔας τὸ σφάλμα ἀνορθώσασα· χαίροις μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, ἡ τὸ ταπεινότατον γένος τῶν χαμαὶ κειμένων γυναικῶν ἀνυψώσασα.

b) In opere inscripto, Συναγωγὴ ἐξηγήσεων εἰς τὸ κατὰ Λουκᾶν ἅγιον εὐαγγέλιον, ἐκ διαφόρων ἑρμηνευτῶν παρὰ Νικήτα Διακόνου τῆς τοῦ θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας διδασκάλου, cap. I. pag. 630. apud Mai in scriptt. vett. nov. collect. T. IX. Ὁ μὲν οὖν διὰ τὸν σοφιστὴν τῆς κακίας ἀποστέλλεται ὡς ἀντίθετος· ἐκλέγεται δὲ καὶ διὰ τὴν γυναῖκα, γυνή· διὰ τὴν Εὔαν, ζωή· διὰ τὴν φθαρεῖσαν, παρθένος· διὰ τὴν πλανηθεῖσαν, ἡ μὴ συναρπαγεῖσα· διὰ τὴν τῆς Ἐδὲμ ἐκπεσοῦσαν, ἡ τῷ ναῷ προσαχθεῖσα· διὰ τὴν ἡδονῇ δελεασθεῖσαν, ἡ μηδὲ λογισμοῖς εὐπειθεῖσα· διὰ τὴν κακῶς τῷ δαίμονι ψιθυρίσασαν, ἡ διηνεκῶς τῷ θεῷ προσομιλήσασα· δέχεται τὴν χαρὰν διὰ τὴν ἀράν· ἔπεισιν ὁ νυμφίος· ἐφίσταται ὁ νυμφαγωγὸς χαίρων ἅμα καὶ φρίττων· τὸ μὲν, εὐαγγέλια τῇ τε κόρῃ καὶ τῇ φύσει πάσῃ διακονούμενος· τὸ δὲ, ὡς παρὰ δεσπότου καὶ περὶ δεσπότην πεμπόμενος· καὶ ἅμα τὸ φρικτὸν τοῦ πράγματος ἐνδεικνύμενος.

Digitized by Google

autem utpote a Domino et pro iis quae ad Dominum spectant missus, simulque tremendum opus indicaturus. » Quibus non contentus [1]) Nicetas, haec rursum [a]) ad angelicam salutationem spectantia ex eodem subiicit: « Ex his alia quidem ad sponsam, alia vero ad sponsum pertinent: utraque enim angelus complectitur, qui quum alia annunciet, de aliis vicissim testatur. Sane illam ex Spiritu iam esse gratia plenam, dignamque effectam eiusmodi sponsalibus, hoc Virgini testatur. Eamdem vero gaudio donari pro antiquo maerore et solutione a maledicto, hoc ipsi annunciat. Etenim illud *ave*, instar pignoris sponsi et arrhabonis: insequens autem *gratia plena*, idest virtutibus referta, hoc sponsae ipsius divitiae. Porro quod dicitur *Dominus tecum*, id finis est annunciationis. Ipse sponsus proprie Verbum, tamquam Verbum, per Verbum et cum Verbo et super verbum unitionem operatur; idemque sponsus pater simul ac filius evadit, ut qui et serat pariterque seratur: immo vero tamquam lacteus succus universam ciet naturam, illamque sibi ipsi circumfingit. Denique supremae instar conclusionis, ceu plenissimum aeque ac brevissimum illud subiicitur: *benedicta tu inter mulieres*, prae omnibus videlicet coniunctim mulieribus; sed et benedictae omnino in te mulieres, quemadmodum homines in Filio benedicti,

a) Ibid. pag. 630. Τούτων τὰ μὲν, τῆς νύμφης· τὰ δὲ, τοῦ νυμφίου· ἀμφότερα γὰρ ὁ ἄγγελος· τὰ μὲν, ἐπαγγέλλεται· τὰ δὲ, μαρτυρεῖ· τὸ μὲν ἤδη κεχαριτῶσθαι ταύτην ἐκ πνεύματος, καὶ ἀξίαν γεγενῆσθαι τῶνδε τῶν νυμφευμάτων· τοῦτο τῇ κόρῃ μαρτυρεῖ· τὸ δὲ τὴν χαρὰν αὐτῇ χαρίζεσθαι, διὰ τὴν πάλαι λύπην, καὶ τὴν λύσιν τῆς ἀποφάσεως· τοῦτο ἡ ἐπαγγελία· καὶ τὸ μὲν χαῖρε, οἱονεὶ μνῆστρον τοῦ νυμφίου καὶ ἀρραβών· τὸ δὲ κεχαριτῶσθαι ταῖς ἀρεταῖς, τοῦτο τῆς νύμφης ὁ πλοῦτος· τὸ δὲ καὶ ὁ κύριος μετὰ σοῦ, αὐτὸ τῆς ἐπαγγελίας τὸ τέλος· αὐτὸς ὁ νυμφίος εὔλογος, ὡς λόγος διὰ λόγου καὶ σὺν τῷ λόγῳ καὶ ὑπὲρ λόγον τὴν ἕνωσιν ἐργαζόμενος· καὶ νυμφίος ὁ αὐτὸς ὁμοῦ καὶ πατὴρ καὶ υἱὸς γινόμενος, ὡς αὐτὸς μὲν σπείρων, αὐτὸς δὲ σπειρόμενος· μᾶλλον δὲ ὥσπερ ὀπὸς γάλα τὴν ὅλην φύσιν κινῶν, καὶ ἑαυτῷ περιπλάττων· οἷον δὲ καὶ τὸ ἀκροτελεύτιον, ὡς πληρέστατόν τε ἅμα καὶ συντομώτατον· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, παρὰ πάσας ὁμοῦ δηλαδὴ τὰς γυναῖκας· ἀλλὰ καὶ εὐλογημέναι πάντως ἐν σοὶ αἱ γυναῖκες, καθάπερ καὶ οἱ ἄνδρες, ἐν τῷ υἱῷ· μᾶλλον δὲ καὶ ἐν ἀμφοτέροις ἀμφότεροι· καθάπερ γὰρ διὰ μιᾶς καὶ ἑνὸς γυναικὸς καὶ ἀνδρὸς ἡ ἀρὰ καὶ λύπη, οὕτω καὶ νῦν διὰ μιᾶς καὶ ἑνὸς ἡ εὐλογία τε καὶ χαρὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι διεδόθη.

1) De Niceta diacono constantinopolitano et mox Serrarum episcopo, eodemque auctore catenae patrum in Lucae evangelium praeclare disserit em. Mai in praefat. ad T. IX. collect. scriptt. vett. §. XI. pagg. XVIII-XX. et rursum praefat. ad T. X. classic. auctorum pagg. VIII. seqq. Ibidem praeclara habet de catenis in Lucam ab Aquinate et a Corderio editis

vel satius non minus in te quam in Filio mulieres iuxta ac homines benedicti. Sicut enim per unam mulierem unumque virum maledictio et dolor, ita etiam nunc per unam atque unum benedictio et gaudium in reliquos prorsus omnes dimanarunt. »

1087. Eiusdem oppositionis testes accedunt sane locupletes venerabilis Beda, Fulgentius ruspensis et Petrus chrysologus, quorum primus recitatis [1]) evangelistae verbis, *missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*, illico [2]) subdit: « Aptum profecto humanae restaurationis principium, ut angelus mitteretur a Deo ad Virginem partu consecrandam divino, quia prima perditionis humanae fuit causa, quum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae dicipiendam: immo ipse in serpente diabolus veniebat, qui genus humanum deceptis parentibus primis, immortalitatis gloria nudaret. Quia ergo mors intravit per feminam, apte redit et vita per feminam. Illa a diabolo seducta per serpentem viro gustum necis obtulit, haec a Deo edocta per angelum mundo auctorem salutis edidit. » Porro [3]) Fulgentius de natali Domini verba [4]) faciens scribit: « Facta est Maria fenestra caeli, quia per ipsam Deus verum fudit seculis lumen. Facta est Maria scala caelestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mererentur ad caelos: ipsis enim licebit ascendere illuc, qui Deum crediderint ad terras per Virginem Mariam descendisse. Facta est Maria restauratio feminarum, quia per ipsam a ruina primae maledictionis probantur esse subtractae. Tria denique mala Evae a tribus bonis Mariae probantur exclusa. Nam Evae [5]) dictum est, *in doloribus et in tristitia paries, et ad virum conversio tua, et ipse dominabitur tui.* Tribus ergo his malis se subiugant feminae quae Mariam non sequuntur, dolori, tristitiae, servituti. Maria autem e contrario quam praeclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta, salutationis angelicae, benedictionis divinae, et plenitudinis gratiae. Sic enim eam [6]) legitur angelus

1) Luc. I. 27.

2) Inter homil. hyemal. de sanctis, hom. de Virginis annunt. pag. 467. opp. T. VII.

3) Licet de hoc sermone acerbius quam par esset censuerit Guillelmus Desprez operum Fulgentii editor in app. pag. 53., nihilominus maurini in app. ad T. V. opp. Augustini p. 157. de eodem sic habent. « Inter Fulgentii sermones vulgatus pridem fuerat. Monent lovanienses reperiri in mss. aut Fulgentio tributum aut Severiano. In nostris non alius quam Augustini nomen praefert, sed falso. ».

4) Serm. CXXIII. In nat. Domini VII, n. 2. pag. 157. in app. ad T. V. inter opp. Augustini.

5) Gen. III. 16.

6) Luc. I. 28.

salutasse, *ave Maria gratia plena, benedicta tu inter mulieres*. Cum dixisset *ave*, salutationem illi caelestem exhibuit: cum dixit, *gratia plena*, ostendit ex integro iram exclusam primae sententiae, et plenam benedictionis gratiam restitutam: cum dixit, *benedicta tu inter mulieres*, virginitatis eius benedictum fructum expressit. Benedicta tu inter mulieres; maledicta enim Eva fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionis gloriam remeasse. » His autem [1]) praemiserat: « Et quoniam diabolus per serpentem Evae loquutus, per Evae aures mundo intulit mortem; Deus per angelum ad Mariam protulit verbum et cunctis seculis vitam effudit, angelus sermonem eiecit, et Christum Virgo concepit. » Quid vero Petrus chrysologus? De sacramento loquens divinae incarnationis, ita [2]) orditur: « Qui non nascendo ex intacto limo fecit hominem, nascendo ipse hominem de corpore fecit intacto: manus quae in nostrum plasma lutum dignanter assumpsit, ad reparationem nostram dignanter assumpsit et carnem. Tum [3]) pergit: « Lex [4]) refert quod Deus hominem propriam creavit ad vitam, quod homini terram iussit proferre fructus spontanea servitute, quod bestias, pecudes, armenta humanae iussit potestati subiacere non arti; ut homo laboris nescius, doloris ignarus, beatus delicias possideret. Sed omnia haec ne haberet homo, angelus qui inter primos habebatur invidit, maluitque in diabolum commutari ne [5]) hominem plenum gloria sic videret. Denique hoc livore succensus aggreditur dolis feminam, virginemque ut vetitum degustaret pomum inducit: inducta virgo inducit virginem mox maritum, ac deiecit vitae statum, mortis cibum, peccati pabulum dum ministrat, et ipsa fit totius materia ruinae quae facta fuerat ad solatium singulare. Hinc peccatum primum, hinc origo mortis, hinc labor, hinc dolor, hinc gemitus, hinc amara propagata est nostrae conditio servitutis. Namque homo ante dominus omnium, in omnium deiectus est servitutem, et timet omnes qui timebatur ab omnibus, et vix arte valet qui potestate regnabat. Hinc est, fratres, hinc est quod Christi talis est ordo nascentis: ad virginem diabolus venerat, venit angelus ad Mariam, ut quod malus deiecerat angelus, bonus angelus alleva-

1) Ibid. n. 1. p. 167.
2) Serm. CXLVIII. de incarnat. sacramento, pag. 211. col. 1. B.
3) Ibid. pag. 211. col. 2. B-E.
4) Gen. II.
5) Al. *quam hominem sic videre*.

Digitized by Google

ret. Perfidiam suasit ille, hic fidem: suasori credidit illa, ista credit auctori. »

1088. Ad simillimam vero normam expressa sunt quae tradunt non modo [1]) Theodotus ancyranus cuius alibi verba retulimus, verum etiam Andreas cretensis, Hesychius hierosolymitanus, Cyrillus alexandrinus et Proclus constantinopolitanus. Et [a]) Andreas quidem cretensis de Gabriele sacramenti administro scribit: « *Ave* illud submurmurat Virgini, quo gaudium a prima parente amissum, ipsa per se orta ex David filia Adae incolume restituat. » Deo autem Gabrielem mittenti haec [b]) tribuit verba: « Abi igitur Nazareth civitatem Galilaeae, quo quum cito perveneris, illam primum fausti gaudii salutationem Virgini nuncia, quam Eva pridem amiserat; ac vide ne animum eius turbaveris; gaudii enim non tristitiae annunciatio est, voluptatis non maeroris animi salutatio. » Hesychio autem [c]) teste ea est Virgo. « Quae usque adeo omnibus antecellit, ut ipsum Deum Verbum volentem susceperit, quem ipsa citra ullam loci angustiam comprehendit. Ad quam ante omnia Gabriel archangelus primum [2]) exclamavit: *ave gratia plena, Dominus tecum*. Fausti Gabrielis nuntii fuerunt illi mox initium laetitiae. Quum enim prima virgo concluderetur molestiis per sententiam condemnatoriam ob transgressionem inflictis, et ab ea gemitus plu-

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 100. A. apud Gallandium T. XIII. Τῇ παρθένῳ ὑποφωνεῖ τὸ χαῖρε, ἵνα τὴν χαρὰν ἣν ἡ προμήτωρ ἀπώλεσεν, ἡ θυγάτηρ τοῦ Ἀδὰμ ἡ ἐκ Δαβὶδ ἀνατείλασα, δι' ἑαυτῆς ἀνασώσηται.

b) Ibid. pag. 101. C-D. Ἄπιθι τοίνυν εἰς Ναζαρὲτ πόλιν τῆς Γαλιλαίας· καὶ τῇδε φθάσας, σπουδῇ τοῦτο πρῶτον προσεῖπε τῇ παρθένῳ, τὸ τῆς χαρᾶς εὐαγγέλιον, ὃ προαπώλεσεν Εὔα· καὶ μὴ δὴ θορυβήσῃς αὐτῆς τὴν ψυχήν· χαρᾶς γὰρ, οὐ λύπης τὸ μήνυμα· θυμηδίας, οὐκ ἀθυμίας ὁ ἀσπασμός.

c) Orat. de Virginis laudibus, pag. 417. B-D. in biblioth. pp. graeco-lat. T. II. Ἥτις τοσοῦτον ὑπερέβαλε πάσας, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν θεὸν λόγον ἐθέλοντα ὑποδέξασθαι χωρηθέντα παρ' αὐτῆς ἀστενοχωρήτως· πρὸς ἣν πρὸ τοῦ παντὸς ὁ τῶν ἀρχαγγέλων Γαβριὴλ ἀνεβόησε πρῶτος, χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· χαρᾶς εὐθὺς ἀρχὴ πρὸς αὐτὴν, τὰ παρὰ τοῦ Γαβριὴλ εὐαγγέλια· ἐπειδὴ γὰρ ἡ πρώτη παρθένος ταῖς τῆς ἀποφάσεως ἐπὶ τῇ παραβάσει περιεκέκλειστο λύπαις, καὶ τὰ τῶν στεναγμῶν ἐξ αὐτῆς ἀνέβαινον πλήθη· καὶ πᾶσα γυνὴ δι' αὐτὴν ἐν ὀδύνῃ, καὶ τόκος ἅπας δι' αὐτὴν ἐν πικρίᾳ· ἡ δευτέρα παρθένος διὰ τῆς προσηγορίας, τὸ τοῦ θήλεος πᾶν θλιβερὸν ἀπώσατο, καὶ πᾶσαν λύπης πηγὴν ἐπὶ τοῖς τόκοις ἐνέφραξε, καὶ τὸ τῆς ἀθυμίας ἐπὶ τῇ τεκνογονίᾳ τῶν γυναικῶν διεσκέδασε νέφος· καὶ τὰ τῆς χαρᾶς τὰς ὁμοφύλους περιήστραψε φῶτα.

1) Orat. in Deiparam §§. XI. XII. pagg. 475-476. apud Gallandium T. IX.

2) Luc. I. 28.

Digitized by Google

rimi prodirent, omnisque mulier illius caussa in dolore esset constituta, et partus omnis propter eam acerbitatem pateretur; secunda Virgo ex angelica annunciatione miseriam omnem feminei sexus repulit, omnemque tristitiae fontem qui inter pariendum adesse solet obstruxit, et nubem desperationis qua in partu mulieres premuntur, dissipavit, laetitiaeque lumina apud contribules coruscare fecit. » Quare [a]) Cyrillus Gabrielem imitatus post alia exclamat: « Salve Maria Deipara, per quam Iohannes et Iordanis sanctificantur, et diabolus reiicitur. Salve Maria Deipara, per quam salvatur omnis spiritus fidelis. » Proclus vero [b]) ceteris Deiparae praeconiis et haec subiicit: « Beatae per eam omnes mulieres. Non enim maledictus ultra neque exsecrandus femineus sexus: obtinuit enim quo etiam angelos gloria superet. Iam Eva curata est, suppressa silentio Aegyptia, tumulata Dalida, oblivione perpetua obruta Iezabel, excidit et Herodias e memoria, et iam nunc feminarum catalogus admirationi habetur. » Quod ut idonea enumeratione comprobavit, mox [c]) pergit: « Quapropter dicamus ei, *benedicta tu in mulieribus*, quae sola Evae maerori medelam attulisti, sola ingemiscentis abstersisti lacrimas, sola redemtionis mundi pretium portasti. »

1089. Alia quae huc faciunt neque minori perspicuitate refulgent, litteris consignarunt [1]) pseudo-Chrysostomus, vulgatus [2]) neo-

a) Encom. in Deiparam, pag. 381. D-E. opp. T. V. P. II. Χαίροις Μαρία Θεοτόκε, δι' ἧς ὁ Ἰωάννης καὶ Ἰορδάνης ἁγιάζονται, καὶ διάβολος ἀτιμάζεται· χαίροις Μαρία Θεοτόκε, δι' ἧς πᾶσα πνοὴ πιστεύουσα σώζεται.

b) Orat. V. de Virginis laudibus §. III. pag. 631. A-B. apud Gallandium T. IX. Μακαρίαι δι' αὐτὴν πᾶσαι αἱ γυναῖκες· οὐκ ἔστιν ὅτι τὸ θῆλυ ἐν κατάρᾳ· ἔσχε γὰρ τὸ γένος, ἀφ' οὗ καὶ ἀγγέλους νικήσει εἰς δόξαν, τεθεράπευται ἡ Εὔα· σεσίγηται ἡ Αἰγυπτία· τέθαπται ἡ Δαλιδά· λεληθάργηται ἡ Ἰεζαβὲλ· ἀμνημονεῖται καὶ Ἡρωδιὰς, καὶ νῦν θαυμάζεται τῶν γυναικῶν ὁ κατάλογος.

c) Ibid. §. III. pag. 631. B-D. Δι' ὅπερ εἴπωμεν πρὸς αὐτήν· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ μόνη τῆς Εὔας θεραπεύσασα τὴν λύπην· ἡ μόνη τὰ τῆς στεναζούσης ἀπομάξασα δάκρυα· ἡ μόνη τὸ κοσμικὸν βαστάσασα λύτρον.

1) Orat. in Deiparae annuntiat. pagg. 797-799. apud Montfauconium. opp. T. II. orat. in Christi nativit. 791. E. opp. T. X. οὐ σκελίζῃ ὥσπερ ἡ Εὔα· ἐξ ἐκείνης ὁ θάνατος, ἐκ δὲ σοῦ ζωὴ ἀθάνατος. ἐξ ἐκείνης τοῖς ἀνθρώποις ὁ τοῦ θεοῦ χωρισμὸς, ἐκ δὲ σοῦ θεοῦ καὶ σαρκὸς συμπλοκὴ ἀνερμήνευτος. *Non supplantaris ut Eva. Ex illa mors, ex te vita immortalis; ex illa separatio hominum a Deo, ex te Dei et carnis complexus inenarrabilis.* Orat. in s. Virginem p. 237. C. opp. T. VIII. Ἡ μόνη τῆς Εὔας θεραπεύσασα τὴν λύπην. *Tu sola, quae Evae moerorem curasti.* Et serm. in annunciat. Deiparae et con. Arium pagg. 839-840. opp. T. XI.

2) Orat. I. in Deiparae annunciat. pagg. 10-11., et orat. III. pagg. 26-29.

Digitized by Google

caesariensis Gregorius et [1]) sincerus Gregorius Nyssae praesul, e quo ista refert [a]) Nicodemus: « *Ave gratia plena*, cuius progenitrix Eva legem transgressa subiit condemnationis sententiam ut filios in doloribus pareret. Te decet acclamatio *ave*. Illa Cainum peperit invidiae atque homicidii auctorem: tu filium gignes auctorem vitae et incorruptibilitatis. Ave igitur et exsulta. Ave et contere serpentis caput. Cessávit enim maledictio, sublata est corruptio, evanuerunt tristia, laeta floruerunt. » Hinc nil mirum si [2]) Iosephus bryennius ubi caussam explicat festi *ab annunciatione* nuncupati, sic [b]) habet: « Boni nobis nuntii hodie a Deo venerunt, eaque peracta apud nos sunt quibus in ordinem e diametro revocarentur quae nobis in Edem acciderunt. Illic generi humano a muliere orta sunt mala: heic eidem bona initium a muliere acceperunt; unde maledictio originem duxit, inde benedictio nacta deinceps principium est: illic paradisus, heic ecclesia: illic Adam, heic Christus: illic Eva, heic Maria: illic serpens, heic Gabriel: illic draconis ad Evam insusurratio, heic angeli ad Mariam [3]) salutatio: illic, *implens implebo do-*

a) Op. cit. pag. 238. A. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ἧς ἡ πρόγονος Εὔα παραβᾶσα τὸν νόμον, ἀπόφασιν ἔλαβεν ἐν λύπαις τέξειν τέκνα· σοὶ πρέπει τοῦ χαίρειν ἡ πρόσρησις· ἐκείνη τὸν Καΐν ἔτεκε φθόνον καὶ φόνον γεννήσαντα· σὺ γεννήσεις υἱὸν ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν παρέχοντα· χαῖρε τοίνυν καὶ χόρευε· χαῖρε καὶ καταπάτει τὴν τοῦ ὄφεως κεφαλήν· πέπαυται γὰρ ἡ κατάρα· κατήργηται ἡ φθορά· μεμάρανται τὰ στυγνά· ἄνθει τὰ φαιδρά.

b) Serm. I. in annuntiat. apud Nicodemum pag. 242. B-C. Ἀγαθὰ ἡμῖν εὐαγγέλια σήμερον ἧκε παρὰ θεοῦ, καὶ πράγματα γέγονε παρ' ἡμῖν, τῶν ἐν τῇ Ἐδὲμ καθ' ἡμῶν γεγονότων ἀντικρὺς διορθωτικά· ἐκεῖ κατὰ τοῦ ἀνθρωπείου γένους τὰ φαῦλα ἀπὸ γυναικὸς ἤρξατο· ὑπὲρ ὧδε τοῦ αὐτοῦ γενέσθαι τὰ ἀγαθὰ ἀπὸ γυναικὸς ἔλαβε τὴν ἀρχήν· ὅθεν ἡ κατάρα τὴν ἀρχὴν ἔσχεν ἀρχῆθεν, ἐκεῖθεν ἡ εὐλογία τὴν ἀπαρχὴν ἐκτήσατο ὕστερον· ἐκεῖ ὁ παράδεισος, ὧδε ἡ ἐκκλησία· ἐκεῖ ὁ Ἀδὰμ, ὧδε ὁ Χριστός· ἐκεῖ ἡ Εὔα, ὧδε ἡ Μαριάμ· ἐκεῖ ὁ ὄφις, ὧδε Γαβριήλ· ἐκεῖ δράκοντος πρὸς τὴν Εὔαν ψιθυρισμὸς, ὧδε ἀγγέλου πρὸς τὴν Μαριὰμ χαιρετισμός· ἐκεῖ τὸ, πληθύνων πληθυνῶ τὰς λύπας σου καὶ τοὺς στεναγμούς σου, ὧδε τὸ, χαῖρε κεχαριτωμένη Μαρία· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν.

1) In Cantic. cantic. Hom. XIII. pagg. 667-668. opp. T. I. et orat. in Domini nativit. pag. 779. opp. T. II. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· ἀπεναντίον τῇ πρώτῃ φωνῇ τῇ πρὸς γυναῖκα· ἐκείνη λύπαις ἐν ταῖς ὠδῖσι διὰ τὴν ἁμαρτίαν κατεδικάσθη· ἐπὶ δὲ ταύτης ἐκβάλλεται διὰ τῆς χαρᾶς ἡ λύπη. *Ave gratia plena, Dominus tecum. Contraria est haec oratio illis vocibus, quas prima mulier audivit. Tunc enim illa doloribus propter peccatum damnata est; nunc autem in hac per gaudium dolor expellitur.*

2) De Iosepho Bryennio homine schismatico et concionibus ad populum constantinopolitanum habendis praefecto agunt Allatius de consensu lib. II. capp. V-XV-XVIII., lib. III. cap. II., adversus Hottingerum pagg. 315-318., de purgatorio pagg. 79-141., de libris ecclesiast. Graecorum pagg. 136-143., itemque Guillelmus Cave in hist. literaria ad an. MCDXX.

3) In subiecta adnotatione legimus: Ὅθεν μερικοὶ γλαφυρῶς ἡρμήνευσαν τὸ τοῦ Δαβὶδ ἐκεῖνο ῥητόν. Ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ ἐρεύγεται ῥῆμα, (ἤτοι ὁ Γαβριὴλ ἐρεύγεται τὰ ῥήματα τοῦ εὐαγγελισμοῦ πρὸς τὴν ἡμέραν· ἤτοι πρὸς τὴν παρθένον) καὶ νὺξ νυκτὶ ἀναγγέλλει γνῶσιν (ἤγουν

Digitized by Google

lores tuos atque tua suspiria, heic, *salve Maria gratia plena, benedicta tu in mulieribus.* »

1090. Tanta vero semper fuit huius qua doctrinae qua oppositionis celebritas, ut in ecclesiasticis quoque libris atque hymnis non infrequens recurrat. Ea namque in hymnis recurrit [a]) Cosmae monachi qui sic habet: « Hodie Gabriel faustum affert nuncium illi quae est gratia plena. Salve Virgo sponsi nuptiarumque expers : ne mea peregrina forma turberis, neve formides; sum enim archangelus. Evam aliquando serpens decepit, nunc ego tibi gaudium annuntio, et manebis incorrupta, et Dominum paries, o illibata. » Recurrit [b]) in hymnis Iohannis damasceni qui canit: « Omnis mortalium intelligentia vincitur, respondit Virgo, dum quae mihi mirabilia loqueris vestigo. Tuis quidem delectabar verbis, sed stupens verebar, ne me tamquam Evam fraude usus a Deo longe seiungeres. Sed ecce clamas, benedicite omnia opera Domini Dominum. » Et [c]) rursum: « Mea progenitrix serpentis consilio adquiescens a divina alimonia repulsa fuit; ideoque et ego timui audita peregrina tua salutatione, mihi a lapsu cavens. » Neque ab his diversa sunt quae [d]) Iosephus hymnographus ait: « Te, o immaculatissima, totam Spiritu circumdatam adspiciens Gabriel, tibi palam acclamat: ave maledictionis solutio et protoparentum reparatio. » Concinunt Theophanes et nicomediensis Georgius, e quibus ille [e]) scribit:

a) Men. die XXV. Martii ad vesper. Ech. β'. pag. 113. col. 1. A. Εὐαγγελίζεται ὁ Γαβριὴλ τῇ κεχαριτωμένῃ σήμερον· χαῖρε ἀνύμφευτε κόρη καὶ ἀπειρόγαμε· μὴ καταπλαγῇς τῇ ξένῃ μου μορφῇ, μηδὲ δειλιάσῃς· ἀρχάγγελός εἰμι· ὄφις ἐξηπάτησεν Εὔαν ποτέ· νῦν εὐαγγελίζομαι σοὶ τὴν χαρὰν, καὶ μένεις ἄφθορος, καὶ τέξῃ τὸν κύριον, ἄχραντε.

b) Men. die XXV. Martii Ode η'. pag. 116. col. 2. D. Ἔννοια πᾶσα ἡττᾶται βροτῶν, ἀντέφησεν ἡ παρθένος ζητοῦσα ἅπερ μοι φθέγγῃ παράδοξα· ἥσθην σου τοῖς λόγοις, ἀλλὰ δέδοικα θαμβηθεῖσα μὴ ἀπάτῃ με, ὡς Εὔαν πόῤῥω πέμψῃς θεοῦ· ἀλλ᾽ ὅμως ἴδε βοᾷς· εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον.

c) Men. die XXV. Martii Ode γ'. pag. 114. col. 2. C. Ἡ ἐμὴ προμήτωρ δεξαμένη τὴν γνώμην τοῦ ὄφεως, τροφῆς τῆς θείας ἐξωστράκισται· διόπερ κἀγὼ δέδοικα τὸν ἀσπασμὸν τὸν ξένον σου, εὐλαβουμένη τὸν ὄλισθον.

d) Men. die XXVI. Martii Ode δ'. pag. 120. col. 2. B-C. Ὅλην σὲ τῷ πνεύματι ὁ Γαβριὴλ περιηγνισμένην, πανάμωμε, κατανοήσας, ἐκβοᾷ σοι ἐμφανῶς· χαῖρε ἀρᾶς ἡ λύτρωσις, καὶ τῶν προπατόρων ἀνάκλησις.

e) Men. die XXIV. Martii in parv. vesp. Ech. δ'. pag. 104. col. 2. E. Κατοικτειρήσας

ἡ νὺξ ὁ ὄφις καὶ διάβολος ἀναγγέλλει γνῶσιν πρὸς τὴν Εὔαν ἐν τῷ παραδείσῳ, ἵνα ἀπατήσῃ αὐτήν.) *Unde nonnulli eleganter interpretati sunt illud Davidis effatum:* dies diei eructat verbum, *(idest Gabriel eructat verba annunciationis ad diem, nimirum ad Virginem)* et nox nocti indicat scientiam *(scilicet nox, serpens et diabolus annuntiat scientiam Evae in paradiso, ut illam in transversum rapiat.)*

Digitized by Google

« Misertus creator operis sui, propriisque commotus visceribus festinat in sinu habitare Virginis Dei filiae, ad quam magnus archangelus venit exclamans: Ave o divinitus gratiis referta, iam nunc tecum Deus noster; ne me timeas principem regis administrum: invenisti enim gratiam quam Eva progenitrix tua iampridem perdidit, et concipies et eum paries qui est Patri consubstantialis. » Georgius [a]) vero laetitia gestiens in haec verba erumpit: « Hodie universa gaudet creatura, quod angelus pronuntiet: Ave tibi sit, benedicta tu innocens Christi mater illibata. Hodie serpentis fastus retunditur, vinculum enim damnationis quo primus parens obligabatur, solutum est. Propterea et nos tibi acclamamus, ave gratia plena. »

1091. Similia in monimentis reperiuntur ecclesiarum armeniae, syriacae, coptae atque latinae. Armenia namque ecclesia ita Virginem [1]) deprecatur, « Laetitia maestae naturae, o Virgo Maria gratia plena, quem salutem ferente annuntiatione portasti datorem tibi legem salutis; penes illum semper pro nobis intercede. » Praeclarius Syri qui, auctore Ephraemo, de Eva et Maria [b]) canunt: « Ambae sine noxa, ambae simplices, Maria et Eva: altera mortis nostrae caussa fuit, vitae altera. » Et [c]) rursum: « Quemadmodum ex parvulo sinu auris illius *(Evae)* ingressa et infusa est mors; ita

τὸ ποίημα ὁ πλάστης, σπλάγχνοις τοῖς οἰκείοις τε κατακαμπτόμενος, κόρης ἐν μήτρᾳ θεόπαιδος οἰκῆσαι σπεύδει, πρὸς ἣν ὁ μέγας ἦλθεν ἀρχάγγελος, χαῖρε, προσφθεγγόμενος· θεοχαρίτωτε· νῦν μετὰ σοῦ ὁ θεὸς ἡμῶν· μὴ πτοηθῇς με τοῦ βασιλέως τὸν ἀρχιστράτηγον· εὗρες γὰρ χάριν, ἣν ἀπώλεσεν Εὔα τὸ πρὶν ἡ προμήτωρ σου, καὶ συλλήψῃ καὶ τέξῃ τοῦ πατρὸς τὸν ὁμοούσιον.

a) Ibid. Ech. γ'. pag. 101. col. 2. B. Σήμερον ἅπασα κτίσις ἀγάλλεται, ὅτι τὸ χαῖρέ σοι φάσκει ὁ ἄγγελος· εὐλογημένη σὺ ἁγνὴ τοῦ Χριστοῦ μήτηρ ἄχραντε· σήμερον τοῦ ὄφεως ἀμαυροῦται τὸ φρύαγμα· ἀρᾶς γὰρ διαλέλυται ὁ δεσμὸς τοῦ προπάτορος· διό σοι καὶ ἡμεῖς ἐκβοῶμεν· χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη.

b) Apud Assemanum in Biblioth. orient. T. I. pag. 90. n. 35.

ܬܪ̈ܬܝܢ ܙܟܝ̈ܢ ܬܪ̈ܬܝܢ ܦܫܝ̈ܛܢ ܡܪܝܡ ܘܚܘܐ: ܚܕܐ ܗܘܬ ܥܠܬܐ ܕܡܘܬܢ. ܘܚܕܐ ܥܠܬܐ
ܕܚܝ̈ܝܢ: ܀

c) Ibid. pag. 91. n. 45.

ܐܝܟ ܕܡܢ ܥܘܒܐ ܙܥܘܪܐ ܕܐܕܢܗ ܕܗܝ ܥܠ ܘܐܬܢܣܟ ܡܘܬܐ: ܗܟܢ ܒܐܕܢܐ ܚܕܬܐ ܕܡܢ
ܡܪܝܡ ܥܠ ܘܐܬܢܣܟ ܚܝܐ ܀

1) Confess. eccles. armen. pag. 35. D.

et per novam Mariae aurem intravit et infusa est vita. » Sed[a]) Copti Deiparae laudes his verbis prosequuntur: « Ave Maria, ave: ave filia sanctorum quae concepisti regem Deum: ave quae invenisti gratiam: ave pulcra columba: ave vitae arbor quae est in medio paradiso: ave quae nos ab antiquo maledicto liberasti: ave angelorum gloria: ave electa prae caelestibus et terrestribus, ipsisque Cherubim. » Quibus haec consona [b]) sunt: « Iudicata fuit Eva (hac sententia), *quoniam filios in dolore paries;* sed tu audivisti, *salve gratia plena.* » Ex latina ecclesia huc pertinet [1]) oratio Petri Damiani plurimorum ore repetita: « Te rogo, beata Virgo Maria, templum Dei vivi, aula regis aeterni, sacrarium Spiritus sancti, benedicta inter mulieres. Redoleat ager sacratissimi uteri tui naribus cordis mei, ex quo videlicet agro dum unicum illud ac singulare lilium prodiit, omne cum eo virtutum spiritualium germen erupit. Tu enim es caelestis illa terra, quae dedit fructum suum. Te materiam sapientia caelestis habuit, unde templum sui corporis fabricavit. Te Spiritus sanctus implevit. Te virtus Altissimi ineffabiliter obumbravit. Tu defer preces meas ad filium creatorem tuum. Immo tu ora pro me, tu obsecra, cuius nimirum vota non possunt despici, cuius preces in eius conspectu nequeunt parvipendi. » Atque huc pertinent tum [2]) eiusdem praefatio in missa Annuntiationis, tum [3]) rhythmus de sancta Virgine, e quo haec deprompta refero:

» Salve iam Virgo feta.	Nostrum ave digneris
Ave gratia plena:	Ut illud Gabrielis.

a) Syllog. Theotoch. pag. 261. A.

Ⲭⲉⲣⲉ ⲛⲉ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ⲭⲉⲣⲉ: ⲭⲉⲣⲉ ⲧϣⲉⲣⲓ ⲛ̀ⲛⲓⲉⲑⲟⲩⲁⲃ: ⲉⲧⲁⲥⲉⲣⲃⲟⲕⲓ ⲙ̀ⲡⲟⲩⲣⲟ ⲙ̀ⲫϯ ⳿ Ⲟⲩⲟϩ ⲡⲟⲥ ϣⲟⲡ ⲛⲉⲙⲉ: ⲭⲉⲣⲉ ⳿ Ⲭⲉⲣⲉ ⲑⲏⲉⲧⲁⲥϫⲉⲙ ⲛ̀ϩⲙⲟⲧ: ⲭⲉⲣⲉ ϯϭⲣⲟⲙⲡⲓ ⲉⲑⲛⲉⲥⲱⲥ: ⲟⲩⲟϩ: ⲭⲉⲣⲉ: ⲭⲉⲣⲉ ⲡⲓϣ̀ϣⲏⲛ ⲛ̀ⲧⲉⲡⲱⲛϧ ⲉⲧϧⲉⲛ ⲑⲙⲏϯ ⲙ̀ⲡⲓⲡⲁⲣⲁⲇⲓⲥⲟⲥ ⲟⲩⲟϩ: ⲭⲉⲣⲉ ⳿ .... Ⲑⲏ ⲉⲧⲁⲥⲁⲓⲧⲉⲛ ⲡⲣⲉⲙϩⲉ, ⲉⲃⲟⲗϩⲁ ⲡⲓⲥⲁϩⲟⲩⲓ ⲛ̀ⲁⲣⲭⲉⲟⲥ ⳿ .... ⲭⲉⲣⲉ ⲡϣⲟⲩϣⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲉⲛⲓⲁⲅⲅⲉⲗⲟⲥ: ⲟⲩⲟϩ ⳿ Ⲭⲉⲣⲉ: ⲑⲏⲉⲧⲥⲱ̀ⲧⲡ ⲉϩⲟⲧⲉ ⲛⲁⲧⲫⲉ: ⲛⲉⲙ ⲛⲁⲡⲕⲁϩⲓ: ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲭⲉⲣⲟⲩⲃⲓⲙ ⲉⲩⲥⲟⲡ:

b) Ibid. pag. 126. tetrast. IV.

Ⲁⲩⲉⲣⲕⲁⲧⲁⲕⲣⲓⲛⲓⲛ ⲛ̀Ⲉⲩⲁ: ϫⲉ ⲧⲁⲣⲉⲙⲓⲥⲓ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲉⲙⲕⲁϩ ⲛ̀ϩⲏⲧ: ⲛⲟⲟϩⲱⲓ ⲁⲣⲉⲥⲱⲧⲉⲙ: ϫⲉ ⲭⲉⲣⲉ ⲑⲏⲉⲑⲙⲉϩ ⲛ̀ϩⲙⲟⲧ ⳿

1) Orat. ad Deum Filium, pag. 2. col. 2. C-E. opp. T. IV.

2) Ibid. pag. 9. col. 1. D-E.

3) Ibid. pag. 11. col. 2. C-D.

» Ille dum te salutat,
Evae nomen commutat:
Reduc nos Virgo sancta,
Unde est nequam lapsa.

» Tu solve quod debemus,
Averte quod timemus,
Impetra quod optamus,
Perfice quod speramus.

Praciverat [1]) Venantius Fortunatus, cui ista debemus:

» O Virgo insignis, benedicta ad gaudia nata,
Auxilium terrae, fulgor, honorque poli.
» Ecce tuus florens uterus quae praestitit orbi,
Te generante, fide nos paradisus habet.
» Quid sumus aut fuimus? quos merserat Eva profundum,
De limo in caelum nos facit ire sinu.

1092. Ut autem omnium quae adduximus ratio perspiciatur, intimumque pateat vinculum quo cum immaculato Virginis conceptu eadem cohaerent; operae pretium fuerit ad ea animum advertere quae subiungimus. Quisquis itaque originis labe infectus maculatusque concipitur, is ex praescripto catholicae professionis censeri eiusmodi debet de quo verissime affirmetur, peccasse [2]) illum in protoparentibus, cum iisdem fuisse seductum, acquievisse serpenti, huius praedam evasisse, ad infelicem eorum numerum pertinere qui [3]) natura sunt filii irae, poenis primae condemnationis obstringi, prostratum ab ipsis primordiis iacere, nasci ad dolorem ac benefica indigere manu qua sublevatus recreetur. At vero licet ne haec Virgini adscribere, aut haec vel hisce similia de Virgine existimare? Reputentur animo quae ex commentariis veterum, ex operibus patrum atque ex libris ecclesiasticis [4])

1) In laudem Virginis, opp. P. I. lib. VIII. cap. VI. pag. 287. A-B.

2) Rom. V. 12.

3) Ephes. II. 3.

4) Quibus iuverit nonnulla addidisse. Itaque vulgatus Hildephonsus serm. XII. de s. Maria pag. 385. in collect. pp. tolett. T. I., principio scribit: « Per hanc ergo auctor vitae auctorem mortis patenter damnavit, dum per mulieris filium damnavit mulieris peccatum. Scriptum est (Eccli. XXV. 33.) enim *initium peccati a muliere coeptum est, et nos per illam morimur.* Et (1. Tim. II. 14.) iterum, *Adam non est seductus, mulier vero seducta.* Ita e contrario, a muliere coepit reparatio vitae, per cuius filium Dominum nostrum Iesum Christum omnes resurgimus, quia (1. Cor. XV. 22.) scriptum est, *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* » Tum pergit: « Videamus ergo qualiter sibi istae duae mulieres distent. Ad Evam enim auctor mortis per tortuosum serpentem mortem suasit; e contra beatae Mariae auctor vitae per Gabrielem archangelum salutis auxilium misit. Evae enim suasit diabolus, ut comederet cibum vetitum; Mariae nuntiavit angelus, quod conciperet per obedientiam promissionis filium. Eva comedens prohibitum pomum et sibi nocuit et viro; beata Maria concipiens nobis datum filium, sicut (Is. IX. 6.) scriptum est, *puer natus est nobis, filius datus est nobis,* et feminis profuit et viris. Illa enim in animo furto rapere visa est divinitatis essentiam, attestante sanctae Trinitatis (Gen. III. 22.) eloquio, *ecce Adam factus est quasi unus ex nobis;* Maria autem humilem se confitetur Domini esse ancillam. Sancta Maria per obedientiam humilitatis obumbratur a virtute altissimae divinitatis; Eva per corruptionem concipiens et in dolore pariens, sub viri potestate fuit. Maria per mysterium Spiritus sancti fide concipiens, gaudio pariens: inde reges et principes ovantes eius cupiunt subiici

deprompsimus. Continuo apparebit hanc fuisse christianae antiquitatis concordem ratamque doctrinam: I. *Virginem neque fuisse cum Eva seductam, neque in transversum cum eadem abreptam:* II. *ne puncto quidem temporis Virginem aut serpenti acquievisse, aut illius dolo ac fraude a Deo fuisse divisam:* III. *latam in Evam condemnationis sententiam nullatenus ad Virginem pertinere, neque ad ipsam pertinere poenas quibus cum Eva universum mulierum genus multatum novimus:* IV. *non minus a similitudine praevaricantis Evae Virginem dissidere, quam a similitudine serpentis Gabriel, et a similitudine Adami peccantis Christus abhorruerint:* immo V. *Mariam prae Eva spectandam esse tamquam vitam prae morte, tamquam filiam Dei prae mancipio satanae, tamquam illius medicamentum, tamquam splendidum et magnificum illius pretium, tamquam eam quae diabolum reiecerit, draconis caput contriverit, moerorem primae matris dissolverit, gaudium ab ea amissum recuperarit, deperditam ab ea gratiam invenerit, sola benedicta quae prostratam matrem erexerit, quae lapsum hominum genus in rectum statum restituerit, quae ut laetitia maestae naturae affulserit, quae benedicta et ad gaudia nata auxilium terrae exstiterit,*

potestati. Eva de paradiso mittitur ad exilium, Maria de exilio huius seculi elevatur ad caelum. Eva posteros ex sua carne nascentes homines transmisit ad inferos, benedicta Maria ex sua prole natos dirigit ad caelos. Ex carne Evae dicuntur filii hominum, ex beatae Mariae filio renati non dicuntur filii hominum sed filii Dei. Ut quid ulterius immoror protrahendo plurima? Eva obfuit, Maria profuit. Eva laxit, Maria illuxit. Sileat ergo nunc a feminis per beatam Mariam mortifer et male suasibilis sibilus, quia iam sumus omnes redempti per gloriosae virginis Mariae filium. Cadat et improperium Evae, quia universi sumus laeti per partum sanctae virginis Mariae. » Tum pag. 386. concludit: « Exsultet et laetetur celebrando hunc diem solemniter christianorum caterva, quia vita quam destruxerat Eva, reparatur per beatam Mariam. » Consonant haec ex missali Mozarabum pag. 468: « Maiestati tunc parum erat condidisse omnia quibus leges imponeres, nisi hominis lapsum, cui servirent, reparando reformares. Quippe cecidisse Evam luctus nostri parentem, quid posteris miserius nobis? Verum gratiae plenitudine te, Domine, obumbrasse Mariam, quid felicius? Genuit illa flebiles et perituros, concepit ista Deum hominem pristinae ruinae reparatorem. Cecidit homo infelicis culpae reus, suscepit ex Maria hominem qui nos redimeret Deus. Speciosa Dei patris sponsa, atque filium Dei paritura, a seculis praeelecta, oret pro nobis pia interventrix, ut piaculis expiati Patrem cum Filio et Spiritu sancto vocibus sinceris cum Maria laudemus, atque sine fine semul unum in Trinitate Deum adoremus in secula seculorum. » Atque haec consonant ex Innocentio III. in serm. II. de assumpt. pagg. 89-90. apud Maraccium in Pontific. marianis: « Cum aurora sit finis noctis et origo diei, merito per auroram designatur virgo Maria, quae finis damnationis et origo salutis fuit, finis vitiorum et origo virtutum. Oportebat enim ut sicut per feminam mors intravit in orbem, ita per feminam vita rediret in orbem: et ideo quod damnavit Eva, salvavit Maria, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Illa consensit diabolo et vetitum pomum comedit, secundum illud, *tulit de fructu et comedit, deditque viro;* ista credidit angelo et filium promissu concepit, secundum illud, *ecce concipies et paries filium.* Illa comedit pomum ad mortem, ista concepit filium ad salutem. Illa peperit in dolore, ista generavit in gaudio. Illa fuit de solo viro producta, sed produxit virum et feminam; haec autem producta fuit de viro et femina, sed solum virum produxit. Illa dicta est Eva, huic dictum est *ave*, quia per hanc mutatum est nomen Evae. *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum:* quasi diceret, illa fuit plena peccato, sed tu plena gratia: illa fuit maledicta in mulieribus, sed benedicta tu in mulieribus: fructus ventris illius fuit maledictus Cain, sed fructus ventris tui erit benedictus Iesus. »

Digitized by Google

e qua ex integro ira primae sententiae exclusa, et cui plena benedictionis gratia fuerit restituta, cuius tandem pulcritudo eo immensitatis excreverit, ut Unigenitum qui ipsa est pulcritudo, in suimetipsius amorem immaculata rapuerit. Ergo si auctoritate regimur, si conspirationem christianae antiquitatis Scripturas enarrantis veremur, et si quid sit consequens, quidve vicissim repugnans introspicimus; hoc unum superest colligendum, a quavis originalis culpae contagione Deiparam fuisse liberrimam.

ARTICULUS III.

Latinorum patrum scriptorumque interpretationes de verbis Archangeli Luc. I. 28: *eodem pertinentes Syrorum Graecorumque commentarii: ducta ex catechismis confirmatio, et cum his omnibus cohaerens splendidum omnino argumentum, quo immaculatus Deiparae conceptus validius stabilitur.*

1093. Si quid nobis esse cordi summopere debet, illud profecto est ut splendori ac praestantiae *textus* cuius propriam vim germanamque significationem exquirimus, splendor ac praestantia *commentariorum* respondeat quibus idem aperitur atque illustratur. Iamvero quemadmodum splendidissimus est nullique secundus textus qui Gabrielis salutatione continetur; ita splendidissimi et ad faciendam fidem inprimis accommodati videri debent commentarii, qui ex unanimi patrum scriptorumque ecclesiasticorum consensione repetuntur. Eiusmodi commentarios in praesentia referemus, illosque primum commemorabimus quos a latinis doctoribus frequentatos scimus.

1094. Itaque [1]) Petrus chrysologus adductis [2]) verbis, *ave gratia plena, Dominus tecum,* continenter subdit: « In hac voce oblatio est, oblatio muneris, non simplex salutationis officium. *Ave,* hoc est, accipe gratiam. Ne trepides, ne sis sollicita de natura. *Gratia plena.* Quia in aliis gratia, in te tota gratiae [3]) pariter veniet plenitudo. *Dominus tecum.* Quid est in te Dominus? Quia ad te non visitandi studio venit, sed in te novo nascendi illabitur

1) Serm. CXL. pag. 200. col. 2. D., et pag. 201. col. 1. A.

2) Luc. I. 28.

3) Ad quam recipiendam singulari gratia iam fuerat praeparata.

sacramento. Adiecit congrue: *benedicta tu in mulieribus*. Quia in quibus Eva maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, honoratur, suspicitur Maria benedicta. Et facta est vere nunc mater viventium per gratiam, quae mater exstitit morientium per naturam.» Ubi vero [1]) iteratis curis idem enarrat testimonium, sic habet: «*Ave gratia plena, Dominus tecum:* videtis quibus est Virgo oppignorata muneribus. *Ave gratia plena, Dominus tecum*. Ave, hoc est accipe. Quid? virtutes munerum non pudoris. *Ave gratia plena*. Haec est gratia quae dedit caelis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit angelus, accepit Virgo salutem seculis reddituira. *Ave gratia plena*. Quia singulis gratia se est largita per partes, Mariae vero simul se totam dedit gratiae plenitudo. *Dominus tecum*. Ergo erat [2]) cum Virgine, qui ad Virginem miserat. Praecessit nuncium suum Deus, sed a Deo non recessit: teneri locis non potest, qui omnibus habetur in locis: et totus ubique est, sine quo nihil est totum. *Benedicta tu inter mulieres*. Vere benedicta, quae et superni conceptus meruit gratiam, et sustulit integritatis coronam. Vere benedicta quae et divini germinis suscepit gloriam, et regina totius extitit castitatis. Vere benedicta quae fuit maior caelo, fortior terra, orbe latior: nam Deum quem mundus non capit, sola cepit.» Tradit igitur Chrysologus, Mariam propterea dici plenam gratia, *quod plenitudo ipsius gratiae Patrisque Unigenitus se ipsi dederit atque cum ipsa naturae societate copularit*. Sed aliam ne idcirco praeterit gratiae plenitudinem, qua Virgo ad tantum pietatis sacramentum idonea redderetur? Non modo illam

1) Serm. CXLIII. pag. 264. col. 2. B-D., et p. 165. col. 1. A.

2) Sebastianos Pauli postremus operum Chrysologi editor hac utitur adnotatione: «Suspicetur fortasse aliquis, credidisse Chrysologum, Mariam virginem iam Christum Dominum concepisse quom ab angelo salutaretur: quod eruendum putant ab illo Hieronymi epist. CXC. ad Principiam: *sancta Maria, quia conceperat eum in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur*. Ego tamen aegre admodum credam Hieronymum et Chrysologum aliosque, si qui alii sont, ab recto evangelii sensu in re compertissima aberrasse, aliisque patribus repugnasse qui Christum a Virgine conceptum creduot in ipsa tantum colloquii clausula et post Virginis assensum, Augustino scilicet serm. XVIII. de sanctis, Gregorio Magno lib. XVIII. Moral. cap. XXVII., Basilio seleuciensi orat. de annunciat., Iohanni damasceno lib. III. de fide orth. cap. II., Bernardo serm. IV. super *missus est*, Sedulio lib. II. Pasch., Prudentio in carm. con. homuncionitas, Roperto lib. I. de Spiritus sancti operibus cap. IX. etc. Idcirco Chrysologi et Hieronymi etc. testimonia emollire et in rectum sensum deflectere opus est. Consulas velim doctissimum Serry exercit. XXVII. pag. 180., ubi haec latius disputat.» Verum nulla prorsus adest necessitas Hieronymi et Chrysologi testimonia sive emolliendi sive deflectendi. Quom enim scribant, Mariam idcirco gratia plenam salutari, quod eum conceperit in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, partim vulgatissima utuntur prolepsi, et partim supremum reserant fontem e quo omnia Virginis decora proficiscontur.

Digitized by Google

non praeterit, sed magnifice extollit, *quum Evae maledictae Mariam opponit benedictam, quum Evae per naturam morientium matri Mariam opponit per gratiam matrem viventium, quum Mariae asserit quod superni conceptus meruerit gratiam, quod mundo salutem reddiderit, atque omnibus sive caelestibus sive terrenis magnitudine, fortitudine atque amplitudine praecellat.*

1095. Vetustus auctor [1]) sermonis in natali Domini, qui inter Augustini dubios censetur, de archangeli verbis scribit: « A salutatione incipit, qui salvationem in lingua portavit. Sileat nunc a feminis, sileat tortuosi serpentis male suadibilis sibilus; ad matrem Domini nostri angelus est loquutus: *ave,* inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Gratia refertur pro culpa, plena dicitur non vacua: impleta est ergo gratia, et evacuata est culpa. Hoc modo et ipsa venerabilis Virgo nostra in suo cantico [2]) plausit: *esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. Ave,* inquit, *gratia plena, Dominus tecum:* tecum in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. Fides a terra in caelum erecta est: huic Christus insedit, et per ipsam in templum pudoris intravit. » Tum insequentia [3]) enarrans verba pergit: « *Benedicta tu inter mulieres,* quae vitam et viris et mulieribus peperisti. Ede, inculpabilis femina, inviolabilem virum; et sic feminam salvabis et virum. » Ea igitur plenitudine gratiae ditata Virgo fuit, quae ipsam undequaque repleverit, *repleverit in corde, repleverit in ventre, repleverit in utero, repleverit auxilio.* Cui quidem auxilio referri in acceptis debet, quod Virgo *inculpabilis femina* praedicetur, sicuti Christum *virum inviolabilem* profitemur; et quod *per Virginem tam feminae quam viri salutem obtinuerint.*

1096. Confert vulgatus Hildephonsus animam Virginis cum reliquis quotquot sunt sanctis, atque in ea comparatione [4]) defixus ait: «Quod si anima iusti cuiuslibet sedes est sapientiae, teste [5]) Scriptura; multo magis huius anima quam Spiritus sanctus sic implevit etiam ante conceptionis horam, ut salutaretur ab angelo. Ait enim: *ave* Maria *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Ad quam ita mox ingressus Filius Dei, qui est virtus

1) Serm. CXX. in nat. Domini IV. n. 3. p. 154. A-B. inter opp. August. T. V. App.
2) Luc. I. 53.
3) Ibid. n. 4. pag. 154. B-C.
4) Serm. II. de Virginis assumpt. pag. 672. B-E. apud Combefisium in biblioth. concion. T. VII., et pag. 349. in collect. pp. tolett. T. I.
5) Sap. VII.

Digitized by Google

et sapientia Patris, sic replevit, sicque possedit, ut in ea Verbum caro fieret: et habitavit totus Deus in homine. Et ideo totus in nobis, quia totus Deus in ea fuit, ac per hoc quem caeli et terra non capiunt, totum concepit Virgo de Spiritu sancto, et peperit pro salute mundi Deum ut hominem. Ideo, dilectissimi, cogitate cum omni integritate fidei, cogitate, inquam, animam huius Virginis, quia commercium tanti muneris non scire digne nec cogitare possumus. Quoniam haec est anima illa beata, per quam auctor vitae ingressus est mundum, per quam omnis maledictio soluta est priorum parentum, et caelestis benedictio in toto venit mundo. Haec est Virgo, in cuius utero omnis ecclesia subarrhatur. Coniuncta Deo foedere sempiterno creditur. » De laudibus vero eidem deferendis deque cultu exhibendo [1]) subdit: « Nemo mortalium est qui digne possit huius sacratissimae Virginis laudes dicere, neque possit mysteria quae in illa completa sunt verbis explicare. Tamen admodum quantum colenda sit, ostendit Gabriel archangelus [2]) ad eam missus venerabiliter, dum eam prior salutat ex officio debitae venerationis, et collaudat gratia plenam, quam benedictam praedicat inter omnes mulieres, moxque matrem affuturam Domini. Alioqui nisi esset non tantum ultra mulieres, verum etiam meritis ultra homines, tantus archangelus non tantam ei exhiberet salutationis gratiam, nec tales tantasque inferret laudes. » Non ergo tum primum quum Deum concepit, sed omnino *ante conceptionis horam* Virgo enituit gratia plena. Sed cuiusmodi plenitudine? *Qua nimirum laudari pro dignitate non posset, qua super omnes mulieres omnesque viros extolleretur, qua vel ipso angelorum obsequio digna esset, qua coniuncta Deo foedere sempiterno creditur, et propter quam in Dei genitricem selecta omnem maledictionem primorum parentum dissolvit, et caelestem benedictionem universo mundo conciliavit.*

1097. Hinc [3]) Paulus diaconus exaggerata primum Virginis amplitudine, illico exclamat: « Sed quid primum, carissimi, quidve

1) Ibid. pag. 672. col. 2. B-D. vel pag. 350. Eodem vero pertinent quae habentur serm. III. p. 355., et de corona b. virginis Mariae capp. III-VI-IX. pagg. 399-403-407. ubi inter cetera legimus: « Ave plena caelesti gratia, plena Deo, plenaque gloria: te circumdant virginum lilia, te sociant virtutum praemia. Tu illa nubes lucifera, quae illustras caelum et sidera: dealbata turris eburnea, colorata rosa purpurea: ut prosternatur legio fellea, commendata est tibi romphaea. Cum sis salus et honor hominum, mater Dei, corona virginum, tibi decus non habens terminum persolvatur iure post Dominum. »

2) Luc. I. 26.

3) Serm. in Deiparae assumpt. pagg. 267-268. apud Martenium vett. scriptt. T. IX.

Digitized by Google

potissimum de tantis nobis est virtutibus decerpendum? Quandoquidem nihil exile vel mediocre, sed totum summum est quod dicatur. Quae enim, dilectissimi, huic beatae Virgini virtus deesse potuit, quando gratiarum omnium charismatibus plena fuit? Sic namque inusitato antea modo summo est salutata ab angelo: *ave gratia plena, Dominus tecum.* Quid rogo iustitiae, quid sanctitatis Virgo haec indigere potuit, quae efficaci adeo misericordia gratiae plenitudinem accepit? Aut quis potuit in eius anima vel corpore locus esse vitiorum, quando ad vicem caeli continentis omnia, Domini effecta est templum? Haec est revera illa domus de qua per Salomonem [1]) dicitur, salvo scilicet alio quo ecclesia signatur intellectu: *Sapientia aedificavit domum, excidit columnas septem.* Septem namque virginalis haec domus columnis suffulta est; quia veneranda haec mater Domini septem sancti Spiritus donis, idest, sapientiae et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis atque timoris Domini ditata fuit. Quam talem utique aeterna Sapientia effecit, quae digna omnino esset ex qua ipse carnem assumeret, inaestimabile scilicet pretium salutis humanae. Quid dignius hac, fratres carissimi, Virgine? Quid sanctius in humani generis serie potuit exoriri? Cui nullus patriarcharum, nullus prophetarum, nullus antiquorum, nullus sequentium patrum, nullus prorsus poterit hominum comparari. Nam quomodo huic quisquam aestimabitur conferendus, quando praeter virginitatis excellentiam, tantae sublimitatis supereminet fructu? Nec mirum si haec tam mirabilis Virgo cunctorum celsitudinem transcendat mortalium, quum in hac parte etiam beatorum excellat meritum angelorum. » Norma igitur ad quam exigi debet plenitudo gratiae qua Virgo refulsit, ex praestantia divinae maternitatis desumenda est. *Eam enim aeterna Sapientia talem utique effecit, quae digna omnino esset ex qua ipse carnem assumeret.* Praestantia autem divinae maternitatis omnes *finiti* limites supergressa ad ipsum *infiniti* consortium adspirat. Plenitudo igitur gratiae qua Virgo decorata resplenduit, mentem vincit cogitationemque praetervolat. Et sane quum *de plenitudine* agitur, tria potissimum spectari possunt, *intensio, extensio* eaque triplex, *temporis, copiae* et *subiecti,* ac tandem *comparatio.* Porro si auctorem nostrum interroges, *intensio* fuit *maxima, quando-*

1) Prov. IX. 1.

Digitized by Google

quidem nihil exile vel mediocre, sed totum summum est quod de gratia Virginis dicatur. Ad *extensionem* vero quod attinet, statui sic debet. Si consideretur *tempus*, cum ipsis Virginis primordiis gratia conserta fuit. Virginem namque *aeterna Sapientia talem utique effecit, quae digna omnino esset, ex qua ipse carnem assumeret*. Si consideretur *copia*, donorum nullum censeri potest exclusum. *Quae enim huic beatae Virgini virtus deesse potuit, quando gratiarum omnium charismatibus plena fuit? Aut quid iustitiae, quid sanctitatis Virgo haec indigere potuit, quae efficaci adeo misericordia gratiae plenitudinem accepit?* Sin vero consideretur *subiectum*, non animam magis quam corpus sibi gratia [1]) vindicavit. *Quis enim potuit in eius anima vel corpore locus esse vitiorum, quando ad vicem caeli continentis omnia, Domini effecta est templum?* Restat *comparatio*, qua edocemur *nihil dignius hac Virgine, nihil sanctius in humani generis serie oriri* [2]) *potuisse*.

1098. Eamdem profitetur doctrinam [3]) Paschasius Ratbertus, qui propterea sanctitate nativitatis Virginis asserta, pergit: « Quod si praeclara sanctissimae Virginis nativitas universaliter tam sancta et tam gloriosa iure colitur et veneratur; quanto magis ipsa quando ab Angelo iam gratia plena officiosissime salutatur? Nam cum dicit ei, *ave*, caeleste venerationis obsequium exhibet. Cum autem dicit, *gratia plena*, ex integro iram expulsam ostendit, et restitutam gratiam declarat: cum dicit, *benedicta tu*, fructum benedictionis demonstrat, quia quando Spiritus sanctus in eam advenit, totam defecavit a sordibus Virginem et decoxit, ut esset sanctior quam astra caeli. » Numquam ergo irae divinae obnoxia fuit Virgo, quae originalem gratiam ab Eva deperditam recuperavit. Quamquam

1) Quod ne sanctissimis quidem in hoc militiae agone conceditur. Illorum enim nemo est qui non debeat cum Paulo conquari, *sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.*

2) Orti autem sunt Ieremias et Iohannes singulari Dei beneficio antea sanctificati quam in lucem prodirent. Quid ergo de Virgine arbitrabimur, *quae efficaci adeo misericordia gratiae plenitudinem accepit, et cum qua nullus antiquorum, nullus sequentium patrum, nullus prorsus potest hominum comparari?* Illi incunctanter utramque nativitatem *in sinu atque ex sinu* immaculatam deferemus.

3) De partu Virginis pag. 7. apud Lucam Acherium Spicileg. T. XII. « Huiusce Tomi XII., *verba sunt editoris in praefatione*, frontem adornat egregium profecto opusculum *de partu Virginis*, quod an Hildefonsi toletani archiepiscopi, an Paschasii Radberti Corbeiae abbatis esset, iam olim addubitaveram quum primum Spicilegii tomum ederem in lucem. Verum noster Iohannes Mabillonius (Sec. II. Act. SS. ord. s. Bened. in observat. ad vitam s. Hildefonsi) cum certissimis argumentis Paschasii Radberti esse comprobarit; visum est ea ipsa argumenta heic adscribere, queis praedictum opusculum, quod nunc a me integrum profertur, Radberto asseratur. » Tum ipsa continuo argumenta subtexit, quae tamen non eiusmodi visa sunt Andruzzio in Vindic. Serm. V. Ildef. Rom. MDCCXLII., ut omnem penitus dubitationem e medio tollerent.

autem semper fuerit sancta, novas tamen gratiae sanctitatisque accessiones continentes recepit, atque eo usque evecta est ut caelestia promereretur venerationis obsequia, ipsisque caelorum astris purior sanctiorque niteret.

1099. Ad hanc Virginis puritatem sanctitatemque respiciens Petrus Damiani, de Unigenito[1]) scribit: « Videt et ardet ille vehemens amator, et totum epithalamium in laudibus eius decantat, ubi manifeste sponsus inducitur spirans amorem sincerissimum, nec ultra valens dissimulare quod patitur. Evocatur statim caelestis ille conventus, et iuxta prophetam[2]) init Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac illis stupentibus et mirantibus prae gaudio, de modo redemptionis. Et statim de thesauro divinitatis Mariae nomen evolvitur, et per ipsam, et in ipsa, et de ipsa, et cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa[3]) nihil refectum sit. Traditur epistola Gabrieli, in qua salutatio Virginis, incarnatio Redemptoris, modus redemptionis, plenitudo gratiae, gloriae magnitudo, multitudo laetitiae, continetur. » De plenitudine vero gratiae[4]) subdit: « Denique et archangelus ait: *ave gratia plena Dominus tecum:* quia a Deo electam et praeelectam, totam eam rapturus erat sibi Spiritus sanctus, et caelestibus insigniturus ornamentis. Iam consecranda erat in locum voluptatis, de quo[5]) fons ille debebat ascendere, qui universam terrae superficiem irrigaret. » Ea igitur gratiae plenitudine aucta Virgo fuit, *quae electam et praeelectam deceret: quae eam deceret sine qua nihil refectum est: quae eam deceret quam divinus sponsus amore sincerissimo prosequeretur: quae eam deceret quam totam rapturus erat sibi Spiritus sanctus et caelestibus insigniturus ornamentis: quae eam* postremo *deceret quae conse-*

1) Serm. XI. de Virginis annuntiat. pag. 25. col. 1. B-D. opp. T. II. Cum his autem componi debent quae adductis psalmi verbis, *concupivit rex speciem tuam*, subdit Bruno astensis lib. V. sententt. cap. IV. pag. 559. inquiens: « Valde enim pulcra est quae sua pulcritudine Deum ipsum ad amorem suum provocare potuit. Valde quidem conveniens fuit, ut speciosus forma prae filiis hominum speciosissimam sibi eligeret matrem. Considera modo cuius pulcritudinis fuerit, cuius splendor et pulcritudo caelos penetrabat. Inde angeli eam admirabantur, inde Gabriel recto itinere venit ad eam. Ad eam enim missus est quae prae ceteris fulgebat, quae pulcra ut luna, electa ut sol, omnem pulcritudinem sua pulcritudine vincebat. »

2) Is. XVI.

3) Quemadmodum igitur Verbum numero factarum rerum non comprehenditur, *quia sine illo nihil factum est;* ita ad numerum rerum refectarum spectare Virgo non potest, *quia sine illa nihil refectum est.* Spectaret autem ad numerum rerum refectarum, si originali labe sordida primum exstitisset. Nullum ergo originalem naevum Virgo contraxit.

4) Ibid. pag. 25. col. 1. D-E.

5) Gen. II.

cranda erat in locum voluptatis, de quo fons ille ascenderet qui universam terrae superficiem irrigaret. Sed uberior gratiae plenitudo, quaeque sit a quavis culpae labe remotior, neque animo praecipi neque verbis efferri posse videtur.

1100. Sane ubi [1]) Petrus Damiani de Virgine interpretatur [2]) Scripturae verba, *fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis,* inter cetera scribit: « Aurum omnibus metallis pretiosius intellige divinitatem Dei, omni praeeminentem mundo, omnia gubernantem. Hac vestita est, immo supervestita mater Altissimi, totamque Virginem tota illa indivisibilis natura largiori gratia superfudit. Quid est autem quod dicit, *fulvo nimis?* Hic aliquid requirendum reliquit nobis Spiritus ille multiplex, et utinam possim explicare quod sentio. » Ut vero susceptam animo cogitationem utcumque [3]) depromat, pergit: « Quatuor modis inest Deus omnibus creaturis. Primo modo *essentialiter* tam bonis quam malis, nihilque intercludit deitatis essentiam, per quam esse omnia acceperunt. Secundo modo inest bonis *operatione;* agit enim in eis virtus operativa ut operentur opera Dei. Inest et plerisque bonis *illuminatione,* quos de futurorum cognitione nobilitat, et participes suorum efficit secretorum. Quarto modo inest uni creaturae, videlicet Mariae Virgini, *identitate,* quia idem est quod illa. » Quibus vix prolatis [4]) exclamat: « Hic taceat et contremiscat omnis creatura, et vix audeat adspicere tantae dignitatis et dignationis immensitatem. *Dominus tecum,* inquit archangelus. Habitat in angelis Deus, sed non cum angelis, quia cum illis eiusdem non est essentiae. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua unius naturae habet identitatem. Hoc est ergo *aurum fulvum nimis,* quo thronus est vestitus, quia tali modo Deus Virginem induit et in Virgine indutus est, ut meliori non posset. » Si ergo nosse cupias plenitudinem gratiae quam Virgo recepit, ea, Petro Damiani auctore, talis tantaque fuit, *qua Virgo non vestita modo sed omnino supervestita nitesceret: qua largius superfusa bonos omnes sanctosque superaret: et quae immensitati responderet tam supernae dignationis, quam singularis dignitatis illius, cum qua Unigenitus caro factus naturae habet identitatem.*

1) Serm. XLIV. isque I. de Virginis nativit. pag. 107. col. 1. A-B.
2) III. Reg. X.
3) Ibid. pag. 107. col. 1 B-C.
4) Ibid. pag. 107. col. 1. C-D.

Digitized by Google

1101. Quare sic alibi [1]) Petrus scribit: « Hinc, fratres, hinc rogo perpendite quibus laudibus digna sit beata et gloriosa virgo Maria, quae illum nobis de castissimis suis visceribus genuit, qui nos de tam profundo gutture avidissimi draconis eripuit. Ad eius namque digne efferenda praeconia non rhetoricorum diserta facundia, non dialecticorum subtilia argumenta, non acutissima philosophorum apta reperiuntur ingenia. Et quid mirum si haec ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanae vocis exsuperat, cum et ipsam generis humani naturam excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille patriarcharum chorus, non providus prophetarum numerus, non iudex apostolorum senatus, non martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam [2]) sequentium patrum huic beatissimae Virgini poterit comparari. Quid enim sanctitatis, quid iustitiae, quid religionis, quid perfectionis singulari huic Virgini deesse potuit, quae totius divinae gratiae charismate plena fuit? Sic namque ab angelo dum salutaretur, audivit: *ave gratia plena, Dominus tecum*. Quod, rogo, vitium in eius mente vel corpore vindicare sibi potuit locum, quae adinstar caeli, plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium? In Christo enim, sicut [3]) per Paulum dicitur, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Nec mirum, si cunctorum merita transcendat mortalium, quae et ipsa supercrexcedit celsitudinem angelorum. » Huc igitur, *characteres* recidunt, quibus plenitudo gratiae propria Virginis secernitur, ut *negative* locum omnem vitiis culpisque praecluserit, *positive* totius divinae gratiae charismata comprehenderit, *comparate* vero tanta fuerit quanta illi inesse debuit quae ipsam generis humani naturam excellentium meritorum dignitate transcendit, quaeque plenitudinis totius divinitatis meruit esse sacrarium.

1102. Quo manifeste pertinet [4]) rhythmus super angelica salutatione his verbis conceptus:

» Maria, miseria per te terminatur,
Et misericordia per te revocatur,
Per te navigantibus stella maris datur,
Lumen viae panditur, portus demonstratur.

1) Serm. XLVI. idemque III. de Virginis nativil. pag. 113. col. 1. C-E.

2) Tum haec, tum quae subdit ad illorum imitationem expressa sunt quae ex Paulo diacono protulimus.

3) Coloss. III.

4) Rhyth. super salut. angel. pag. 12. col. 1. B-E. opp. T. IV.

» Gratia te reddidit cunctis gratiosam,
Te vestivit lilio, sparsit in te rosam,
Te virtutum floribus fecit speciosam,
Intus et exterius totam luminosam.
» Tu in mulieribus optima figura,
Quae regis es gloriae mater, Virgo pura;
Quo probaris dignior omni creatura,
Hoc agente Domino singulari cura.
» Et benedictus Deus qui cuncta creavit,
Qui matris in utero te sanctificavit;
Benedictus filius, quem tuus portavit
Virginalis uterus, quem ipse formavit.

Atque huc item [1]) pertinet carmen:

» Scala, thronusque Dei, nitor orbis, ianua caeli,
Mater ave Christi, scala thronusque Dei.
» Tu nova stella maris, qua lux est reddita terris,
Ortus et es solis, tu nova stella maris.
» Virgine vita redit homini, quem virgo peremit;
Mors nece victa perit, Virgine vita redit.
» Tu super astra leva, petimus, quod subruit Eva;
Illa gravat culpa, tu super astra leva.

1103. Tacitus praetereo quae adduci [2]) ex Anselmo gemina possent, eaque subiungo quae [3]) Bruno astensis habet: « *Ave*, inquit angelus, *gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Non fuit sufficiens *ave* dixisse; addidit, *Dominus tecum*, et deinde eam benedixit, quasi tribus vicibus sub una voce eam salutans. Qua in re diligens obsequium, caritatis affectus et reverentia declaratur. Sed quis umquam tantam gratiam habuit, quantam Virgo Maria? Aliis enim ad mensuram gratiae dantur, haec autem gratia plena dicitur. Considera modo quantae ante eam, quantae post eam mulieres et virgines fuerunt. Haec tamen sola mater Domini fieri meruit. Magna enim et ineffabilis gratia est, ut una ex tantis millibus eligatur. Quae quum gratia plena sit prius etiam quam concipiat, post conceptionem quanta Dei abundet gratia, quis cogitare possit? Haec autem sola inter omnes mulieres bene-

1) Carm. de Virgine pag. 12. col. 2. A-B.
2) Orat. LVI. pag. 284.
3) Comm. in Luc. §. III. pag. 151. col. 1. D. et col. 2. A-B. opp. T. II.

Digitized by Google

dicitur, quae adhuc sub antiqua praevaricationis maledictione tenebantur, ex quo primae mulieri a Domino dictum fuerat: *multiplicabo aerumnas tuas, et in dolore paries filios.* Hac enim lege non tenetur Virgo Maria. Merito ergo in mulieribus benedicitur, per quam mulieribus benedictio datur, et mundus a maledictione liberatur. » Consentit [1]) Hermannus abbas tornacensis, qui de Virgine *turris* schemate adumbrata inquit: « Haec itaque turris aedificata est cum suis propugnaculis, virtutibus scilicet principalibus, vel donis Spiritus sancti protegentibus eam, sicut ei per Gabrielem dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Per millenarium qui perfectus est numerus, significatur universis refertam fuisse virtutibus: unde et ab angelo recte *gratia plena* dicitur. Quod etiam tunc confirmatur quum dicitur, *omnis armatura fortium:* quia videlicet omnes virtutes, quibus fortes, idest, sancti viri singuli ab angelis Dei dono muniti fuerant, ista sola universaliter in se suspensas et quasi insertas et infixas habuit. »

1104. Pari sententiarum pondere verborumque evidentia consentit [2]) Bernardus scribens: « Legimus [3]) in actibus apostolorum et Stephanum plenum gratia, et apostolos fuisse repletos Spiritu sancto; sed longe dissimiliter a Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemodmodum in Maria: nec illi conceperunt de Spiritu sancto, quomodo Maria. » Et [4]) rursum: « Superius dicta est fuisse *gratia plena*, et nunc quomodo dicitur, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Numquid potuit repleri gratia, et necdum habere Spiritum sanctum, quum ipse sit dator gratiarum? Si autem iam Spiritus sanctus in ea erat, quomodo adhuc tamquam noviter superventurus repromittitur? An forte ideo non dixit simpliciter, *veniet in te,* sed addidit *super,* quia et prius quidem in ea fuit per multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur propter abundantioris gratiae plenitudinem quam effusurus est super illam? »

1105. Expeditum foret alia neque minus perspicua congerere

1) Tract. de incarnat. Domini cap. VIII. p. 389. col. 2. D-E. apud Gallandium T. XIV.
2) Hom. III. super *Missus est*, n. 2. pag. 750. B-D. F. opp. T. III.
3) Actt. VI. 5.
4) Hom. IV. super *Missus est*, n. 3. p. 757.

Digitized by Google

testimonia [1]) Alberti, Bonaventurae [2]) et [3]) Amedei lausannensis; ne tamen id faciam, duo mihi persuadent, et quod necessarium minime sit, et quod vitari fastidium debeat. Itaque latinorum catalogum iis concludam, quae tum Thomas tradit quum [4]) angelicam salutationem enarrat. Suam vero expositionem orditur [5]) inquiens: « Considerandum esse, quod antiquitus erat valde magnum quod angeli apparerent hominibus; vel quod homines facerent eis reverentiam, habebant pro maxima laude. Unde et ad laudem Abrahae scribitur, quod recepit angelos hospitio, et quod exhibuit eis reverentiam. Quod autem angelus faceret homini reverentiam, numquam fuit auditum nisi postquam salutavit beatam Virginem reverenter dicens *ave.* » Tum ea mox [6]) subiicit, quibus et *veterem morem* et *novum* cum Deipara *agendi modum* explicans ait: « Quod autem antiquitus non reverebatur hominem angelus, sed homo angelum, ratio est quia angelus erat maior homine, et hoc quantum *ad tria.* Primo *quantum ad dignitatem:* ratio est, nam angelus est naturae spiritualis, homo vero est naturae corruptibilis. Secundo *quantum ad familiaritatem ad Deum.* Nam angelus est Deo familiaris, utpote assistens; homo vero est quasi extraneus et elongatus a Deo propter peccatum. Ideo conveniens est ut homo revereatur angelum, utpote propinquum et familiarem regis. Tertio praeeminebat *propter plenitudinem splendoris gratiae divinae:* angeli enim participant ipsum lumen divinum in summa plenitudine. Sed homines etsi aliquid participent de ipso lumine gratiae, parum tamen et in obscuritate quadam. Non ergo decens erat ut

1) Super *Missus est* q. XXXI. §. IV. et in bibl. marian. §. XII.; ubi ex plenitudine gratiae Virgini tributae colligit, ipsam fuisse immunem a vae culpae tam originalis quam actualis. Hinc §. CLXXVII. subdit: « In beata virgine Maria respectu omnium creaturarum non unitarum fuit gratia summa, fuit gratia in summo: ergo appropinquat ad primam lucem in summo: ergo puritas in summo; puritas enim sequitur naturam luminis et luminosi. »

2) Serm. II. de b. Virgine pag. 389. opp. T. III. « Domina nostra fuit plena gratia praeveniente in sua sanctificatione, gratia scilicet praeservativa contra foeditatem originalis culpae, quam contraxisset ex corruptione naturae, nisi speciali gratia praeventa praeservataque fuisset. »

3) De laudibus Virginis hom. III. pag. 1267. H. in max. pp. bibilotb. T. XX. « Prae omnibus et super omnes elegit te, ut superes universos qui ante te fuere vel post te futuri sunt, plenitudine gratiae. » Teste namque Alexandro alensi in priori Summae parte « B. Virgo tantam habuit gratiam, quod de facto non poterat plus recipere, et quantam pura creatura recipere potuit. » Repetit haec Bernardinus senensis serm. XIII. inquiens: « Secundum Bernardum virgo Maria divinae Sapientiae ultra quam credi valeat, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Tanta gratia illi a Domino data est, quanta uni purae creaturae dari possibile esset. » Hinc Richardus a s. Laurentio de laudibus Virginis lib. I. cap. IV. sic habet; « Omnis alia creatura aliquid habet vacuitatis, quia maiorem gratiam recipere potuit; ipsa autem sic usquequaque gratia plena fuit, quia maiorem gratiam habere non potuit, nisi ipsa divinitati uniretur, hoc est, nisi ipsa Deus esset. Haec est plenitudo, de qua hic specialiter dicit angelus, *ave gratia plena.* »

4) Enarrat vero opusculo VIII. pagg. 75. seqq. opp. T. XVII.

5) Ibid. pag. 75. F.

6) Ibid. pag 75. G.

Digitized by Google

homini reverentiam exhiberet, quousque aliquis inveniretur in humana natura, qui in his tribus excederet angelos; et haec fuit beata Virgo. » Quod [1]) ut confirmet, argumentisque ad gignendam fidem idoneis persuadeat, pergit: « Et ideo ad designandum quod in his tribus excedebat eum, voluit ei angelus reverentiam exhibere: unde dixit, *ave*. Unde beata Virgo excessit angelos *in iis tribus*, et primo *in plenitudine gratiae*, quae magis est in beata Virgine quam in aliquo angelo; et ideo ad insinuandum hoc, angelus ei reverentiam exhibuit dicens, *gratia plena*. Quasi diceret: ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiae. » Cuius plenitudinis vim rationemque [2]) aperiens addit: « Dicitur autem beata Virgo plena gratia quantum *ad tria*. Primo *quantum ad animam*, in qua habuit omnem plenitudinem gratiae. Nam gratia Dei datur ad duo, scilicet ad bonum operandum et ad vitandum malum; et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit beata Virgo: nam ipsa omne peccatum vitavit magis quam aliquis sanctus [3]) post Christum. Ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam. Sic ergo plena est gratia beata Virgo et quantum ad boni operationem, et quantum ad mali vitationem. Secundo plena fuit gratia *quantum ad redundantiam animae ad carnem vel corpus*. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia quod sanctificet animam; sed anima beatae Virginis ita fuit plena quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conciperet filium Dei. Tertio *quantum ad refusionem in omnes homines*. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum; et hoc est in Christo et in beata Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium. Sic ergo plena est gratia, et excedit angelos in plenitudine gratiae: et propter hoc convenienter vocatur *Maria*, quae [4]) interpretatur *illuminata in se et illuminatrix in alios*, quan-

1) Ibid. pag. 75. 1.

2) Ibid. pag. 75. 1-K.

3) Hinc illa ex opusc. LXI. de dilectione Dei et proximi cap. XXVII: «Fecit summus artifex in ostentationem pleniorem artis suae speculum unum clarissimo *(angelico)* clarius, seraphico tersius et purius, et tantae puritatis ut purius intelligi non posset nisi Deus esset, personam scilicet gloriosissimae Virginis ».

4) Hieronymus de nominibus hebraicis in Exodum pag. 21. opp. T. III. « Mariam illuminatrix mea, vel illuminans eos, aut smyrna maris, vel stella ma-

Digitized by Google

tum ad totum mundum. » Venit deinde [1]) ad alterum comparationis caput his verbis: « Secundo excellit angelos *in familiaritate divina,* et ideo hoc designans angelus dixit, *Dominus tecum.* Quasi dicat, ideo exhibeo tibi reverentiam, quia tu familiarior es Deo quam ego, nam Dominus est tecum. Dominus, inquit, Pater cum eodem Filio; quod nullus angelus nec aliqua creatura habuit. Aliter ergo est Dominus cum beata Virgine quam cum angelo: quia cum ea ut filius, cum angelo ut dominus. Dominus Spiritus sanctus sicut in templo, unde dicitur *templum Domini, sacrarium Spiritus sancti,* quia concepit ex Spiritu sancto. Sic ergo familiarior cum Deo est beata Virgo quam angelus, quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, scilicet tota Trinitas. Unde cantatur de ea: *totius Trinitatis nobile triclinium.* Hoc autem verbum, *Dominus tecum,* est nobilius verbum quod sibi dici possit. Merito ergo angelus reveretur beatam Virginem, quia mater Domini et ideo *Domina* est. Unde convenit ei hoc nomen *Maria,* quod syra lingua [2]) interpretatur *Domina.* » De tertio tandem comparationis capite [3]) sic habet: « Tertio excedit angelos *quantum ad puritatem,* quia beata Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit et quantum ad culpam, quia [4]) ipsa Virgo nec mortale nec veniale peccatum incurrit. Item quantum ad poenam. Tres enim maledictiones datae sunt hominibus propter peccatum. Prima data est mulieri, scilicet quod cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret et in dolore pareret. Sed ab hac immunis fuit beata Virgo, quia sine corruptione concepit, in solatio portavit et in gaudio peperit Salvatorem. Secunda data est homini, scilicet quod in sudore vultus vesceretur

ris.» Ibidem de nominibus hebr. in Matth. pag. 92. «Mariam plerique aestimant interpretari, illuminant me isti, vel illuminatrix, vel smyrna maris; sed mihi nequaquam videtur. Melius autem est ut dicamus sonare eam stellam maris, sive amarum mare; sciendumque quod Maria sermone syro Domina nuncupetur.» Ibidem ex fragm. II. nominum hebr. p. 551. Μαριάμ, φωτίζουσα. *Mariam, illuminans.* Ibidem ex fragm. IV. p. 571. Μαρία, κυριεύουσα, ἢ πικρὰ θάλασσα. *Maria, quae dominatur, vel amarum mare.* Μαριάμ, φωτιζομένη, ἢ φωτίζουσα αὐτούς, ἢ κύριος ἐκ γένους μου, ἢ σμύρνα θαλασσία. *Mariam, illuminata vel illuminans eos, aut dominus e genere meo, vel smyrna marina.* Tandem ex fragm. V. pag. 591. Μαρία, κυρία ἡμῶν. *Maria, Domina nostra.*

1) L. c. pag. 75. col. 2. I.

2) Cf. Martini del Rio orat. polem. II. de nomine *Mariae*, pagg. 809. seqq.

3) L. n. pag. 76. col. 1. A.

4) Haec est recepta lectio, sed olim legebatur: *ipsa enim purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Et de hac quidem lectione testes sunt locupletes Michael a Carcano serm. VII. pag. 16., Bernardinus de Bustis serm. IV. de concept. pag. 16., Petrus Canisius de Maria Deipara lib. I. cap. VI., Catharinus in disput. pro immac. concept. ad patres trident. P. 1. pag. 61., et Salmeronius qui in epist. ad Rom. disput. LI. scribit, Turrecrematum ausum non esse ea verba immutare, aut Iohanni de Segovia ea usurpanti obsistere.

pane suo. Ab hac immunis fuit beata Virgo, quia ut dicit apostolus, virgines solutae sunt a cura huius mundi, et soli Deo vacant. Tertia fuit communis viris et mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit beata Virgo, quia cum corpore assumpta est in caelum. Credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit et portata in caelum. Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione et ideo *benedicta in mulieribus:* quia ipsa sola maledictionem sustulit et benedictionem portavit, et ianuam paradisi aperuit; et ideo convenit ei nomen *Maria,* quae interpretatur *stella maris:* quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita christiani diriguntur per Mariam ad gloriam. »

1106. Nobilissimum latinorum chorum excipit aeque nobilis ordo graecorum, e quibus vetustus auctor Chrysostomi nomine insignis inter cetera [a]) habet: « *Ave gratia plena,* viduati mundi sponsa, fugitivi orbis regressio, esurientis creaturae horreum quod consumi nequit. *Ave gratia plena,* gratia sanctae Virginis est interminabilis. *Ave gratia plena,* multis virtutibus ornata lucernam gestans inextinguibilem et sole clariorem lucem. » Neque abludunt sive [1]) vulgatus Athanasius, sive vulgatus neocaesariensis Gregorius qui patriarchas, prophetas, sanctosque omnino omnes cum Virgine [b]) contendens ait: « Ad Mariam autem Virginem solam sanctam Gabriel archangelus claro lumine venit, *ave gratia plena,* ei adnuncians. » Cuius adnunciationis vim potestatemque alibi [c]) enarrans inquit: « *Ave gratia plena.* Tu enim quae revera gaudio sunt di-

a) Orat. in Christi nativ. pag. 791. B-C. inter opp. Chrysostomi T. X. Χαῖρε κεχαριτωμένη, τοῦ χηρεύοντος κόσμου νυμφίε, ἡ τῆς φυγάδος οἰκουμένης ἐπάνοδος, τῆς λιμωττούσης κτίσεως ταμιεῖον ἀδαπάνητον· χαῖρε κεχαριτωμένη, ἡ χάρις ἡ ἀπέραντος τῆς ἁγίας παρθένου· χαῖρε κεχαριτωμένη, πολλῶν ἀρετῶν κεκοσμημένη λαμπαδηφόρε, τὸ ἄσβεστον καὶ τοῦ ἡλίου λαμπρότερον φῶς.

b) Orat. I. in Virginis annunt. pag. 13. C. Πρὸς Μαριὰμ δὲ παρθένον μόνην τὴν ἁγίαν, Γαβριὴλ ὁ ἀρχάγγελος φωτιστικῶς παρεγένετο, τὸ, χαῖρε κεχαριτωμένη, αὐτῇ εὐαγγελιζόμενος.

c) Orat. II. in Virginis annunt. p. 16. B-D. Χαῖρε κεχαριτωμένη· σὺ γὰρ τὰ τῆς ὄντως χαρᾶς πράττεις ἄξια· ἐπειδὴ σὺ τὸν ἄσπιλον χιτῶνα ἐνδέδυσαι, καὶ τὴν ζώνην τῆς σωφροσύνης περίκεισαι· χαῖρε κεχαριτωμένη, δοχεῖον τῆς ἐπουρανίου εὐφροσύνης τυγχάνουσα· χαῖρε κεχαριτωμένη· διὰ σοῦ γὰρ ἡ χαρὰ πάσῃ τῇ κτίσει βραβεύεται, καὶ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἀπολαμβάνει τὸ ἀρχαῖον ἀξίωμα.

1) Orat. in Deiparae annunt. nn. 9-14. pagg. 397-401. inter opp. Athanasii T. II.

Digitized by Google

gna agis: quoniam immaculatam induta es vestem, et cingulo continentiae et pudicitiae cincta es. *Ave gratia plena,* quae supercaelestis laetitiae vas es atque receptaculum. *Ave gratia plena,* nam per te gaudium omni dispensatur creaturae, genusque humanum antiquam dignitatem recuperat. » A qua quidem numquam Virgo beatissima excidit, illamque propterea [a]) Gregorius nyssenus his verbis compellat: « O beatum uterum illum, qui *(bonitatis)* ac puritatis excessu ad se traxit animi bona! In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus sancti praesentiam capit: hic autem caro fit Spiritus receptaculum. »

1107. Recurrit [1]) penes ementitum Epiphanium praeclarissima sententia, *ἡ χαρὶς ἡ ἀπέραντος τῆς ἁγίας παρθένου, gratia sanctae Virginis est immensa;* neque ea solum recurrit, sed insuper [b]) additur: « Solo enim Deo excepto cunctis superior exsistit: natura formosior est ipsis cherubim, seraphim et omni exercitu angelico: cui praedicandae caelestis ac terrena lingua minime sufficit. Ipsa enim est quae caeli terraeque mediatrix unionem naturaliter peragit. » His autem etsi splendidissimis ne hilum quidem continetur, quod sincerus Epiphanius [c]) tum non expresserit, quum profligatis qui de Virgine spargebantur erroribus, postremo adiecit: « Quae enim religiosissima et ecclesiae fructuosa esse putabamus, haec de sancta Virgine sumus professi, ut eius patrocinium susciperemus quae *secundum omnia* (*κατὰ πάντα*) est gratia plena, uti Gabriel loquutus est: *ave gratia plena, Dominus tecum.* » Quare osores Virginis gravissime [d])

a) Orat. in Domini nat. pag. 780. A-C. opp. T. II. *Ὦ μακαρίας γαστρὸς ἐκείνης, ἣ δι' ὑπερβολὴν καθαρότητος τὰ τῆς ψυχῆς ἀγαθὰ πρὸς ἑαυτὴν ἐπεσπάσατο· ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων ἁπάντων, μόλις ἂν ψυχὴ καθαρὰ πνεύματος ἁγίου παρουσίαν δέξαιτο· ἐνταῦθα δὲ δοχεῖον τοῦ πνεύματος ἡ σὰρξ γίνεται.*

b) Ibid. pag. 293. B-D. *Χωρὶς θεοῦ μόνου πάντων ἀνωτέρα ὑπάρχει· καλλιωτέρα γάρ τῶν Χερουβεὶμ, καὶ Σεραφεὶμ, καὶ πάσης στρατιᾶς πέφυκεν ἀγγελικῆς· πρὸς ἣν οὐρανοῦ καὶ γῆς οὐκ ἐπαρκέσει γλῶττα· αὕτη γὰρ οὐρανοῦ καὶ γῆς μεσίτης πέφυκεν ἑνότητα ποιήσασα.*

c) Haeres. LVIII. sive LXXVIII. antidicomar. §. XXIV. pag. 1056. B-C. opp. T. I. *Ἃ γὰρ ᾔδειμεν σεμνότερα καὶ ἐπωφελῆ τῇ ἐκκλησίᾳ, ταῦτα περὶ τῆς ἁγίας παρθένου εἰρήκαμεν, συνηγοροῦντες τῇ κατὰ πάντα κεχαριτωμένῃ, ὡς εἶπεν ὁ Γαβριήλ· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ.*

d) Ibid. §. VI. pag. 1038. C-D. *Πῶς τολμῶσι τὴν ἄχραντον παρθένον, καὶ τὴν οἰ-*

1) Orat. de Virginis laudibus, pag. 293. A. inter opp. Epiphanii T. II. Quo item apposito gratiam Virginis a Pseudo-Chrysostomo ornatam paullo superius vidimus.

exagitans scribit: «Quanam vero fronte intemeratam illam Virginem adgrediuntur, quae Dei Filii domicilium esse meruit? Quae ex infinito Israelitarum numero ad id unum est electa, ut vas quoddam et habitatio uni esset divino partui consecrata.»

1108. Commentariis eodem pertinentibus angelicam salutationem illustrant [1]) Proclus constantinopolitanus et Theodotus ancyranus, e quibus alter [2]) sic habet: «*Ave gratia plena, Dominus tecum*. Benedicta tu pulcherrima ac formosissima mulierum. *Dominus tecum*, quae tota venerabilis, tota gloriosa, tota bona sis. *Dominus tecum*, veneranda tu, incomparabilis, omnem claritatem superans, tota lucis fulgoribus concreta, Deo digna, beatificanda. Propter te enim cessaverunt Evae tristia, per te perierunt mala, per te abscessit error, per te maledictio abolita, Eva per te redempta. *Sanctum* enim [3]) quod *ex sancta* natum est, sanctum ac omnium Dominus sanctorum, sanctum et cuius sit ut sanctitatem impertiat: *eximium* quod *ex eximia* nascitur: *inexplicabile* quod *ex inexplicabili* prodit: *filius* [4]) *Altissimi* quod *ex altissima* oritur.» Quam continuo his verbis [5]) alloquitur: «*Ave* itaque Virgo *gratia plena*, inter virgines mater, interque matres virgo, illarumque figura, atque utrasque reipsa supergressa.» Et eo usque supergressa [a]) ut Symeon te merito compellaverit inquiens: «O columba dealbata et innocens! O spei nostrae sanctum templum, in quo sanctitas omnis et magnificentia residet.» Et residet sane universa, quemadmodum [b]) Anastasius praesul antiochenus confirmat

κητήριον καταξιωθεῖσαν γενέσθαι τοῦ υἱοῦ, τὴν εἰς ταυτὸ τοῦτο ἐκλεχθεῖσαν ἐκ τῶν μυριάδων τοῦ Ἰσραὴλ, ὅπως σκεῦος καὶ οἰκητήριον ἠξιωμένος εἰς θεῖον μόνον ὑπάρξῃ τοκετόν;

a) Orat. in Deiparam et in Symeonem, §. XIII. pag. 467. A-B. Ὦ περιστερὰ λελευκαμένη καὶ ἀκέραιε· ὦ σκήνωμα ἅγιον τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, ἐν ᾧ ἁγιωσύνη καὶ μεγαλοπρέπεια πᾶσα ἐνιδρύεται.

b) Serm. I. in Deiparae annuntiat. §. I. pag. 258. B-D. apud Gallandium T. XII. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· ὅτι γέγονας ἡμῖν ὁδὸς σωτηρίας, καὶ ἀνάβασις πρὸς οὐρανὸν, καὶ τόπος ἀναπαύσεως, καὶ σκηνὴ ἀναψύξεως, ἐν ᾗ κατεσκήνωσεν κύριος· διὰ τοῦτο σὺν πάσαις ταῖς γενεαῖς μακαριοῦμέν σε μόνην ἐν γυναιξίν· ἣν οὐκ ἐξέκαυσεν ἥλιος ἡδονῆς φλόγα ἐπάγων, οὐδὲ νυκτὸς σελήνης ῥοώδης ἔβλαψε δύναμις· οὐ γὰρ ἔδωκας εἰς σάλον τὸν πόδα τῆς ψυχῆς, ἀλλ' ἔμεινας ἀκλινὴς, ἐπὶ τὴν πέτραν τοῦτον ἐρείσασα· χαίροις τοίνυν ὦ μῆτερ καὶ παρθένε, καὶ τροφὴ τῆς ζωῆς, καὶ πηγὴ τῆς ἀθανασίας.

1) Orat. V. de Virginis laudibus, §. II. p. 630. apud Gallandium T. IX.

2) Orat. in Dei genitricem, §. XII. pag. 476. A-D. apud Gallandium T. IX.

3) Luc. 1. 35.

4) Luc. 1. 32.

5) Ibid. §. XII. pag. 476. D-E.

inquiens: « *Ave gratia plena, Dominus tecum;* quod facta sis nobis salutis via, ascensusque ad superos ac locus requiei, refrigeriique tabernaculum in quo Dominus habitavit. Quamobrem cum omnibus generationibus te solam beatam in mulieribus dicemus, quam neque sol voluptatis flammam immittens adussit, neque fluxa vis lunae noctu laesit. Non enim [1]) dedisti in commotionem pedem animi, sed eo fixo in petra, indeflexa mansisti. Salve sis ergo mater pariter ac virgo, vitaeque cibus ac fons immortalitatis. »

1109. Aeque illustria sunt quae tradunt [2]) Chrysippus hierosolymitanus et Andreas cretensis, e quo pauca haec [a]) decerpimus: « *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Ave sis gaudii organum, per quod soluta est dirarum condemnatio, eiusque loco inducta gaudii iustificatio. Ave sis fermentum sacrum Deo perfectum, quo tota massa humani generis conspersa in unam coivit novam concretionem. » Accedit Sophronius, qui [3]) Deiparam *ab angelo venerabiliter atque officiosissime salutatam* praemittit, tum [4]) pergit: « Praeterea qualis et quanta esset, ab eodem divinitus declaratur, cum dicitur: *ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Talibus namque decebat Virginem oppignerari muneribus, ut esset gratia plena, quae dedit caelis gloriam, terris Dominum, pacemque refudit. » Et [5]) paullo post: « *Ave,* inquit, *gratia plena:* et bene plena, quia ceteris per partes praestatur, Mariae vero simul se tota infudit plenitudo gratiae. » Quae [6]) mox repetens ait: « Ob quod Dei genitrix electa et praeelecta, iure ab angelo salutatur et praedicatur gratia plena. Vere plena, per quam largo sancti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura. Et ideo satis eam devotissime primum angelus veneratur et salutat. Miratur itaque et ipse qualis aut quanta sit quam salutat: non enim simplex, fateor, vel consueta fuit ista salutatio, sed omni admiratione digna. Siquidem venerationis fuit

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 162. C-E. apud Gallandium T. XIII. Χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· χαίροις τὸ τῆς χαρᾶς ὄργανον, δι᾽ οὗ τὸ τῆς ἀρᾶς ἐλύθη κατάκριμα, καὶ τὸ τῆς χαρᾶς ἀντεισήχθη δικαίωμα· χαίροις ζύμη ἁγία θεοτελής, ἐξ ἧς ὅλον τοῦ ἀνθρωπίνου γένους ἀνεζυμώθη τὸ φύραμα εἰς ἓν συνῆλθε τὸ παράδοξον σύγκριμα.

1) Ps. CXX. 3.

2) Serm. in Deiparam, pag. 425. A-B. in biblioth. vv. pp. graeco-lat. T. II.

3) Serm. ad Paulam et Eustoch. de assumpt. Virginis, pag. 96. A. inter opp. Hieronymi T. XI.

4) Ibidem.

5) Ibid. pag. 96. B.

6) Ibid. p. 96. D-E.

delatio, oblatio muneris, famulatus obsequii. Quia etsi in sanctis patribus et prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena. In Mariam vero totius gratiae quae in Christo est plenitudo venit, quamquam aliter. Et ideo, inquit, *benedicta tu in mulieribus,* idest, plus benedicta quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariae. » Quae [1]) adeo excelluit, *ut gratia Christi in Virgine plenissime fuerit.*

1110. Quid vero Germanus constantinopolitanus? Iisdem insistit [2]) vestigiis, atque eo usque progreditur ut Virginem ita [a]) compellet: « Sciant omnes, quia nomen tibi Domina. Tu enim sola Dei genitrix, altissima [3]) super omnem terram. « Sed neminem facile invenias Iohanne damasceno facundiorem. Is namque est [b]) qui ad [4]) Iobi verba oculos intendens ait: « Nam caelum quidem minime mundum esse dicit, nec stellas in conspectu eius reprehensione vacare. Hac vero quid purius sit, quid irreprehensibilius? Quippe quam Deus supremum ac purissimum lumen sic amaverit, ut illapsu Spiritus sancti substantialiter cum ea commistus sit. Qui eximie bonus est, proprii figmenti proles audire non renuit, amore captus illius quae creatis omnibus speciosior est, illam amplexus quae caelestibus virtutibus dignitate praeit. « Is est [c]) qui scribit: « *Ave gratia plena,* res gaudio omni gratiosior et nomen, ex qua gaudium immortale Christus, inflictae Adamo tristitiae medicina, in mundum venit. Ave paradise, praedium Edem beatius, ubi virtutis planta

a) Orat. in Deiparae Praesent. pag. 1419. E. Γνώτωσαν, ὅτι ὄνομά σοι δέσποινα· σὺ γὰρ μόνη θεοτόκος, ὑψηλοτάτη ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν.

b) Orat. II. in Deiparae nativit. §. IV. pag. 851. D-E. Οὐρανὸς μὲν οὐ καθαρὸς, ἄστρα δὲ οὐκ ἄμεμπτα ἐναντίον αὐτοῦ· τῆς δὲ τί καθαρώτερον; τί δὲ ἀμεμπτότερον; ἧς τοσοῦτον ἠράσθη θεὸς, τὸ ἀκρότατον φῶς καὶ καθαρώτατον, ὡς δι' ἐπελεύσεως ἁγίου πνεύματος οὐσιωδῶς αὐτῇ συγκραθῆναι· τοῦ ἰδίου πλάσματος γέννημα χρηματίσαι οὐκ ἀπηνήνατο ὁ ὑπεράγαθος, ἐκείνης ἐρασθεὶς δηλαδὴ τῆς ὡραιοτέρας πάσης κτίσεως, ἐκείνης ἐπιλαβόμενος τῆς ἀξιωτέρας τῶν οὐρανίων δυνάμεων.

c) Ibid. §. VII. pag. 857. B-C. Χαῖρε κεχαριτωμένη, τὸ πάσης χαρᾶς χαριέστερον καὶ πρᾶγμα καὶ ὄνομα, ἐξ ἧς χαρὰ ἀδιάδοχος εἰς τὸν κόσμον Χριστὸς γεγέννηται, τῆς ἀδαμιαίας λύπης τὸ ἰατρεῖον· χαῖρε παράδεισε, τῆς Ἐδὲμ χωρίον μακαριώτερον, οὗ φυτὸν ἀρετῆς ἅπαν ἀνατέθηλε, καὶ ἐφ' ᾧ ξύλον τῆς ζωῆς πεφανέρωται· οὗ τῇ μεθέξει εἰς τὴν ἀρχαίαν δίαιταν ἀνατρέχομεν, τῆς φλογίνης ῥομφαίας νῶτα διδούσης, ὡς γέγραπται.

1) Ibid. pag. 97. B.

2) Serm. in Deiparae annunt. pagg. 1423-1426. apud Combefisium Auctar. T. I.

3) Quae periphrasis in scripturis adhibetur, ut Dei maiestas ostendatur.

4) Iob. XXV. 5.

Digitized by Google

omnis germinavit, et in quo arbor vitae cnituit; cuius commercio ad vitam pristinam redimus, terga dante flammeo gladio, uti scriptum est. » Atque is est qui quum alia praeclarissima, tum haec [a]) nominatim habet: « *Ave vere gratia plena,* quoniam angelis tu sanctior es et archangelis praestantior, caelis excelsior, et sole quem conspicimus purior. Ave per quam nos a maledictione redemti sumus, et inexplicabili laetitia dignati. *Ave gratia plena,* ave omnium simul finium terrae communis salus. »

1111. Non est autem cur operose referam simillima plane testimonia [1]) Basilii seleuciensis, Leonis Augusti [2]) et [3]) Georgii nicomediensis; sed abunde erit si ea addam quae Iohannes geometra et Emmanuel paleologus disertissimis verbis complectuntur. Prior ergo [b]) Deiparam salutans inquit: « Salve gaudio concepta, gaudio in utero gestata et gaudio in lucem edita; sed vicissim gaudio et concipiens et gestans in utero, et pariens gaudium quod sermonem omnem, omnemque cogitationem excedit, atque ut in summa dicam, gaudium terrigenarum omnium, omniumque caelestium. » Alter vero penitissimam filii matrisque societatem demiratus [4]) pergit: « Cum illo vivebat spiritu coniunctissima, utpote mater; sicut et ille cum ipsa. Quin etiam simul ac nata fuit, dixerim quoque, simul atque concepta beata Virgo sua illam gratia implebat, qui sibi futuram praestituerat matrem; immo vero cum illa erat ipse antequam esset nata: factum quippe et compactum est illi corpus temporibus suis, ut loquitur Paulus, de sanguinibus immaculatae, numquam tamen non fuit illi coniunctus statim atque in sterilis matris utero coepit esse. Cur enim aliter sit sentiendum? Nam si eximium Iohannem

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pagg. 839-840. Χαῖρε ὄντως κεχαριτωμένη, χαῖρε ὅτιπερ ἁγιωτέρα σὺ τῶν ἀγγέλων, καὶ τιμιωτέρα τῶν ἀρχαγγέλων, ὑψηλοτέρα σὺ τῶν οὐρανῶν, καὶ καθαρωτέρα σὺ ὑπὲρ τὸν φαίνοντα ἥλιον· χαῖρε, δι' ἧς ἡμεῖς ἐλυτρώθημεν ἀρᾶς, ἀνεκλαλήτου δὲ χαρᾶς ἠξιώθημεν· χαῖρε κεχαριτωμένη, χαῖρε ἡ πάντων ὁμοῦ τῶν περάτων τῆς γῆς κοινὴ σωτηρία.

b) Apud Nicodemum pag. 238. A. Χαῖρε, χαρᾷ μὲν συλληφθεῖσα, χαρᾷ δὲ κυηθεῖσα, χαρᾷ δὲ τεχθεῖσα, χαρᾷ δὲ αὖθις καὶ συλλαβοῦσα καὶ κυήσασα καὶ γεννήσασα χαρὰν τὴν πάντα λόγον καὶ νοῦν ὑπερέχουσαν, καὶ, τὸ ὅλον εἰπεῖν, χαρὰν τῶν ἐπιγείων ὅλων καὶ οὐρανίων ὅλων.

1) Orat. in Deiparam, p. 591. A-B. apud Combefisium Auctar. T. 1.

2) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1744. apud Combefisium Auctar. T. 1.

3) Orat. in Deiparae praesent. pag. 1111. apud Combefisium Auctar. T. 1.

4) Orat. in Deiparae dormit. pag. 63. apud Maraccium in opere cui titulus, *Caesares Mariani.*

scimus in utero plenum sancto Spiritu fuisse; cur idem de purissima Virgine non sit merito affirmandum? Hoc sibi vult illud Gabrielis, *Dominus tecum*. Quod ipse docet distinguendo tempus in hunc modum. Nam volens conceptionis modum intemeratae Virgini declarare interroganti, tempore usus est *non praesenti* sed *futuro:* et sanctum quidem Spiritum *superventurum* in ipsam, Altissimi vero virtutem *obumbraturam* ipsi praedicebat. Salutando autem Virginem, aiebat: *ave*, et *gratia plenam* appellans, et *benedictam in mulieribus* praedicans. Non enim *gratia plenam* quasi futuram, sed ut exsistentem, quod erat, appellavit, et *benedictam* salutavit quasi diceret: quum gratia sis plena, o Virgo, Dominus tecum; quia vero illum habes in anima, benedicta es in mulieribus. Et haec quidem ita se habent, quae vero sequuntur, ad futura spectant. »

1112. De conspiratione tandem syriacae ecclesiae testis adest [a]) locupletissimus Ephraemus, a quo Deipara nuncupatur. « Omnium post Trinitatem Domina, post Paraclitum alius consolator, et post mediatorem mediatrix totius mundi: Cherubim ac Seraphim sine ulla comparatione superior ac longe gloriosior, ininvestigabilis Dei bonitatis abyssus, universalis protectio mundi, plenitudo gratiarum Trinitatis, veluti secundas post divinitatem partes tenens. » Itaque si gratiae plenitudo Virgini collata *absolute simpliciterque* spectetur, dici illa credique debet *verissima plenitudo, plenitudo quae partibus opponitur, plenitudo interminata, immensa, secundum omnia, et plenitudo gratiarum Trinitatis,* qua factum est ut Virgo *tota sit bona, tota lumine concreta, ininvestigabilis divinae bonitatis abyssus et sanctitatis omnis ac magnificentiae singulare eximiumque domicilium.* Sin autem eadem plenitudo spectetur *comparate*, dicatur oportet *incomparabilis, inexplicabilis atque longe illa potior, qua non sanctissimi modo inter homines, verum etiam celsissimi inter angelos refulserint aut porro refulgeant.*

1113. Atque his quidem, quantum satis est, plenitudo explicatur illius gratiae, propter quam angelus Virginem compellans dixit: *ave gratia plena.* Nihilominus eiusdem vis ac ratio evidentius

a) Orat. ad Deiparam, pagg. 528. 529. opp. graeco-lat. T. III. *Ἡ μετὰ τὴν τριάδα πάντων δέσποινα, ἡ μετὰ τὸν παράκλητον ἄλλος παράκλητος, καὶ μετὰ τὸν μεσίτην μεσίτης κόσμου παντός· ὑπερτέρα καὶ ὑπερενδοξοτέρα Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ ἀσυγκρίτως, τῆς ἀνεξιχνιάστου τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας ἡ ἄβυσσος, σκέπη τοῦ κόσμου παγκόσμιος, τριαδικῶν χαρίτων πλήρωμα, ὡς τὰ δεύτερα τῆς θεότητος φέρουσα.*

Digitized by Google

innotescet, si praecipui quidam illius characteres articulatim considerentur. E quibus omnium primus animo succurrit qui *ad tempus* refertur quo Virgini gratia adfuit, illamque possedit. Atqui illi *semper* adfuit, *semperque* illam possedit, nullumque peccato et culpae locum permisit. Hoc tradunt veteres, *quum Virginem celebrant caelis puriorem, quum illam veluti fermentum exhibent prae corrupta humani generis massa, quum illam angelis natura speciosiorem extollunt, quum illius proprium fuisse docent quod in gaudio concepta fuerit atque in gaudio conceperit, quum tandem diserte affirmant, Deum illi in ipsa conceptione suae gratiae numine opem tulisse.* Alter qui succedit character *ad subiectum* pertinet quod gratia suo rore imbuit, sibique vindicavit. « Sunt enim, inquit [1]) Toletus, in homine plures partes, scilicet anima et corpus, seu spiritus et caro, seu intellectus et sensus, ratio et appetitus, quae quidem partes in hominibus iustis non replentur gratia. Etenim iusti et sancti in hoc seculo non eam gratiam acceperunt in anima, quae a carnis appetitu auferret illam legem peccati adversantem spiritui, de qua [2]) Paulus dicit, *mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quamvis enim gratia efficiat ut mens et spiritus non succumbat carni et appetitus impulsibus, praebeatque victoriam, non tamen subiicit carnem, ne contra spiritum insurgat, eamque impugnet licet non expugnet. Unde in omnibus iustis dicitur inhabitare peccatum. » Quod ut rite explicavit, e vestigio pergit: « Nemo sanctorum eam plenitudinem gratiae accepit, ut caro eius subdita omnino spiritui esset, sed contra eum pugnaret et reluctaretur. » Iamvero haec ipsa gratiae plenitudo ceteris negata sanctis, abunde in Virginem collata fuit, *quam nulla libido adussit, nullus concupiscentiae fomes incitavit, nullaque perturbatio a recto virtutis tramite vel tantillum avertit.* Utrumque characterem tertius excipit, isque situs *in plenitudine perfectionis*, quae tam actus omnes quos Virgo edidit, quam virtutes omnes quibus eminuit, complexa est. Hanc gratiae plenitudinem, qua sanctorum nemo potitus est, quum omnes et singuli repetere debuerint ac vero etiam debeant, *dimitte nobis debita nostra,* recepit virgo *qua nemo a reprehensione remotior, quae semper egit quae revera digna sunt gaudio, quae cunctis refulsit virtutibus, quaeque fuit paradiso beatior in quo omnis virtutum*

1) Comm. in Luc. I. 28. annotat. LXVII. 2) Rom. VII.

Digitized by Google

planta felicissime germinavit. Quartus character *plenitudine* constat *sufficientiae et dignitatis, qua una ex omnibus Virgo promeruit ut haberetur digna Deo Patre, digna ex qua unigenitus carnem sumeret, et digna quam Spiritus obumbraret.* Postremus denique character *ad plenitudinem* revocatur *fontis propriam,* cuius caussa sicuti Virgo salutatur *fugitivi orbis revocatio, esurientis creaturae horreum, communis salus, via beatitatis, alius post Paraclitum consolator, et post mediatorem mediatrix totius mundi;* ita illi asseritur *quod per eam redempti simus ac pristinam dignitatem receperimus.*

1114. Hac imbutus perpetua atque concordi maiorum doctrina cardinalis Bellarminus, interroganti [1]) discipulo, *quid significat* gratia plena, reponit: « Gratia Dei tres potissimum effectus in anima operatur. Primum est quod peccata deleat, quae uti maculae animam commaculant. Secundum quod donis virtutibusque eamdem animam exornat. Tertium quod robur etiam suppeditat, ut operibus meritoriis insistat divinae maiestati inprimis placentibus. Domina nostra gratia plena est. Nam quantum ad primum effectum attinet, nullius peccati macula [2]) nec originalis, nec actualis, nec mortalis, nec venialis infecta fuit. Quantum vero ad secundum, habuit illa virtutes omnes, donaque Spiritus sancti in altissimo gradu. Quantum denique ad tertium, exercuit illa opera adeo Deo grata ac meritoria, ut quoad animam et corpus digna fuerit omnes choros angelorum transcendere.» Plurima autem sunt quae huic bellarminiani catechismi doctrinae summum quoddam auctoritatis pondus conciliant. Ut enim tacitus praeteream ipsius viri eximiam pietatem scientiamque singularem, huc perspicue faciunt I. explorata cum maiorum mente atque persuasione conspiratio: II. sacra Reformationis congregatio quae Bellarmini catechismum recognovit et approbavit: III. suffragium [3]) Romanorum Pontificum Clementis VIII., Urbani VIII. et Benedicti XIV. qui Bullis ac Brevibus editis bellarminianum catechismum summopere commendarunt: IV. consensio similium catechismorum, e qui-

1) Par. II. christ. doctr. copios. explicat. cap. V. col. 1262. T. VII. opp. Card. Bellarmini, edit. Colon. MDCXVII.

2) Neque enim corrupta semel originis culpa, dici vere potuisset *gratia plena.* Quod iis mihi videor illustrare posse, quae Albinus Flaccus enarrans Iohannis verba de Christo, *plenum gratiae et veritatis,* ait pag. 393: « Gratias plenus erat et est homo Christus Iesus, cui singulari munere prae ceteris mortalibus datum est, *ut statim* ex quo in utero Virginis concipi et homo fieri *inciperet,* verus esset Deus. »

3) Cf. Bullam, *Pastoralis Romani Pontificis,* datam Ferrariae die XV. Iulii an. MDXCVIII., Constitutionem *Ex debito,* edit. an. MDCXXXIII. et Litteras in forma Brevis datas die VII. Februarii an. MDCCXLII.

bus nonnisi duos commemorabo, alterum cardinalis Armandi qui [1]) sic habet: « Beata Virgo dicitur *gratia plena* et *benedicta in mulieribus,* quia nulla fuit nec umquam erit sine peccati macula concepta cum plenitudine gratiae, sicut ipsa. » Et alterum Ludovici granatensis, in quo [2]) legimus: « Gratia plena, hoc est, singulariter electa ab aeterno a Deo omnipotente, et annunciata mirabiliter ab initio mundi per prophetarum revelationes, atque in conceptione sua custodita admirando et singulari modo ab omni macula peccati tam originalis, quam suae ipsius personae. Denique complete adornata omnibus gratiae donis. » Denique V. vel ipsa penes schismaticos graecos receptissima et indubitata sententia, quam Gregorius Palamas idemque thessalonicensis praesul [a]) exponens ait: « Et hanc quidem Virginem agnoscens angelus veluti sedem gratiarum divinarum atque humanarum, eamdemque omnibus divini Spiritus charismatis exornatam, vere ac proprie gratia plenam concelebravit. Tum praevidens ipsam eum iam hospitem excepturam, in quo horum omnium sunt thesauri, et praesentiens qua gestationem in utero sine dolore, qua partum sine aerumnis exstiturum, ipsi praenunciavit illud *ave.* » In confessione vero orthodoxa orientalis ecclesiae [b]) multo etiam praeclarius dicitur: « Ad haec, salutatio ista dum Virginem gratia plenam vocat, docet eamdem, eo quod mater Dei est, largius multo atque abundantius divinae gratiae participem factam esse quam aliam quamcumque rem creatam; eaque re illam ecclesia super Cherubim et Seraphim merito extollit. »

a) Orat. in Deiparae annuntiat. apud Nicodemum pag. 237. A. *Καὶ χωρίον μὲν ταύτην τὴν παρθένον θείων καὶ ἀνθρωπίνων χαρίτων κατανοῶν ὁ ἄγγελος, καὶ διὰ πάντων κεκοσμημένην τῶν χαρισμάτων τοῦ θείου πνεύματος, κεχαριτωμένην ἐτύμως ἀνηγόρευσεν· ἔνοικον δὲ λαβοῦσαν ἤδη κατιδὼν τὸν ἐν ᾧ τούτων ἁπάντων οἱ θησαυροί, καὶ προκαθορῶν τὴν ἄλυπον κυοφορίαν, καὶ τὸν ἄνευ ὠδινῶν ἐσόμενον τόκον, προσευηγγελίσατο ταύτῃ χαίρειν.*

b) Confess. orthod. P. I. q. XLII. pag. 110. edit. Kimmel Ienae MDCCCL. *Ἔτι δὲ εὑρίσκεται καὶ τοιαύτη διδασκαλία εἰς τὸν χαιρετισμὸν τοῦτον, εἰς τὸν λόγον, ὅπου ὀνομάζει τὴν παρθένον κεχαριτωμένην, πῶς αὐτὴ εἶναι μέτοχος τῆς θείας χάριτος, περισσότερον παρὰ κανένα ἄλλο κτίσμα· διατὶ εἶναι μήτηρ θεοῦ· καὶ διὰ τοῦτο ἡ ἐκκλησία τὴν ὑψώνει ὑπὲρ τὰ Χερουβὶμ καὶ Σεραφίμ.*

1) Lectt. III. et XIV.

2) Catech. trigesomiliar. hom. XXVII.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Superiorum illustratio ex iis petita quibus maiores nostri interpretantur Gabrielis verba Luc. I. 30: succedunt quae ex liturgicis atque ecclesiasticis ducta monimentis, quum ad rei summam spectent, immaculatum Deiparae conceptum extra omnem dubitationis aleam collocant.

1115. Cum ea commentarii ratione qua maiores nostri explanant angelicam salutationem, *ave gratia plena, Dominus tecum,* mirifice illa consentit qua iidem sequentia [1]) Gabrielis verba, *invenisti gratiam apud Dominum,* unanimes interpretantur. Et re sane vera antiquus auctor sermonis *in annunciationem Deiparae et contra impium Arium*, quem Montfauconius [2]) *inter spuria* Chrysostomi numerat, et cuius germanus auctor [3]) a Nicodemo perhibetur Gregorius nyssenus, ad verba Gabrielis [a]) sic habet: « *Invenisti enim gratiam apud Dominum.* Supra omnem creaturam ornata es, supra caelos decorata, plusquam sol fulges, supra angelos exaltata es, non assumpta es in caelos, sed in terra manens caelestem Dominum et universorum regem ad te attraxisti. » Haec autem quum gemina illis sint quae novimus subiecta verbis, *ave gratia plena, Dominus tecum,* Deiparam praeterea ita extollunt atque a reliquis creaturis ita secernunt, ut non minus ipsi decus omne asserant, quam omnem culpae labem ab ipsa longissime repellant.

1116. Eodem nitent splendore quae [4]) tradit Petrus Chrysologus inquiens: « *Ne timeas Maria.* Ante causam dignitas Virginis annunciatur *ex nomine:* nam *Maria* hebraeo sermone, latine *Domina* nuncupatur: vocat ergo angelus Dominam, ut dominatoris genitricem trepidatio deserat servitutis, quam *nasci* et vocari Dominam ipsa sui germinis fecit et impetravit auctoritas. *Ne timeas Maria,*

a) Orat. in Deiparae annunt. pag. 840. B. Εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ· ὑπὲρ τὴν κτίσιν ἐκαλλωπίσθης· ὑπὲρ τοὺς οὐρανοὺς ἐφαιδρύνθης· ὑπὲρ τὸν ἥλιον ἔλαμψας· ὑπὲρ τοὺς ἀγγέλους ὑψώθης· οὐκ ἀνελήφθης εἰς οὐρανούς, ἀλλ' ἐπὶ τῆς γῆς ἱσταμένη, τὸν οὐράνιον δεσπότην καὶ βασιλέα τῶν ἁπάντων ἐπεσπάσω πρὸς ἑαυτήν.

1) Luc. I. 30.

2) Opp. Chrysost. T. XI. pag. 838.

3) Nicodem. pag. 214. A-B.

4) Serm. CXLII. de Virginis annunciat. pag. 202. col. 1. D. et col. 2. C.

Digitized by Google

invenisti enim gratiam. Verum est, quia qui invenit gratiam, nescit timere. *Invenisti gratiam*. Apud quem? apud Deum. Beata quae inter homines audire *sola* meruit prae omnibus, *invenisti gratiam*. Quantam? quantam superius dixerat, *plenam*. Et vere plenam, quae largo imbre totam funderet et infunderet creaturam. *Invenisti enim gratiam apud Deum*. Haec cum dicit, et ipse angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam. » Cuiusmodi est igitur gratia, quam Virgo apud Deum invenit? nimirum *est gratia, quam ipsa sola invenit: est gratia quam ipsa prae omnibus invenit: est gratia quam angelus suspicit: est gratia plena et vere plena: est gratia quae largo imbre totam funderet et infunderet creaturam: est gratia propter quam Virgo nata est Domina: et est gratia per quam omnes homines vitam meruerunt*. Sed gratia hisce distincta notis neque potest esse sublimior, neque cum ulla vel tenuissima peccati labe coire.

1117. Qua de re insignia ex aequo sunt quae [1]) Modestus et Sophronius hierosolymitani antistites docent, e quibus [2]) Sophronius scribit: « Ne timeas Maria. Immortalem enim gratiam apud Deum invenisti. Invenisti gratiam apud Deum super-splendidam. Invenisti gratiam apud Deum votis omnibus expetendam. Invenisti gratiam apud Deum super-lucidam. Invenisti gratiam apud Deum indeminutam. Invenisti gratiam apud Deum salutiferam. Invenisti gratiam apud Deum perpetuam. Invenisti gratiam quam nulla e mulieribus simul omnibus invenit. Invenisti gratiam quam nemo vidit. Invenisti gratiam quam nemo recepit. » Hi porro gratiae a Virgine inventae characteres, sive qui *affirmando* sive qui *negando* efferuntur, spectari coniunctim nequeunt quin formam speciemque gratiae repraesentent, quae *gradu* sit *maxima, extensione universalis*, et *tempore immortalis ac perpetua*. Cum qua quidem specie formaque gratiae quidquid facilius quam peccati sordes componas.

2) Orat. in Deiparae annunt. apud Nicodemum pag. 213. D: Μὴ φοβοῦ Μαριάμ· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ τὴν ἀθάνατον· εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ τὴν ὑπέρλαμπρον· εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ τὴν πολύευκτον· εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ τὴν ὑπέρφωτον· εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ τὴν ἀμείωτον· εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ τὴν σωτήριον· εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ τὴν ἀΐδιον· εὗρες χάριν, ἣν γυναικῶν οὐδεμία τοσύνολον εὕρηκεν· εὗρες χάριν, ἣν οὐδεὶς ἐθεάσατο· εὗρες χάριν, ἣν οὐδεὶς ἐδέξατο.

1) Encom in Deiparam §. VIII. pagg. 31-33.

Digitized by Google

1118. Crederes in eamdem gratiae formam intentos habuisse oculos Andream cretensem, quum relatis angeli [1]) verbis, *ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum,* illico [a]) subtexuit: « Nimirum gratiam quam Eva amiserat. Gratiam quam Sara non accepit, quam non cognovit Rebecca, quam Rachel nescivit. Gratiam invenisti, quam nullus a seculo, sicut tu, invenit. Quae enim eiusmodi a Deo eximia gratia sit? » A quibus haec nullatenus dissident quae [b]) Iohanni damasceno debentur: « Plane gratiam invenit, quae gratia digna erat. Gratiam invenit quae gratiae labores excoluerat, copiosamque segetem collegerat. Gratiam invenit quae gratiae semina progenuit, et plenissimam gratiae messem retulit. Gratiae abyssum invenit quae duplicis virginitatis navem servaverat incolumem. Maria enim non minus animam quam corpus virginem custodierat; unde etiam constabat corpori virginitas. » Quemadmodum ergo nullus umquam naevus virginale Deiparae corpus offendit, ita, et multo quidem magis, nullus umquam naevus virginalem eius animam deturpavit. Deturpasset autem, si ipsa quoque Virgo originale vitium contraxisset. Ea igitur plenitudine gratiae tecta fuit quae non sivit, ut in originalem praevaricationem laberetur. Quod Photius insigni quadam verborum perspicuitate confirmavit, de Gabrielis salutatione [c])

a) Orat. in Deiparae annuntiat. pag. 105. B-E. apud Gallandium T. XIII. Ἣν ἀπώλεσεν Εὔα· χάριν, ἣν οὐκ ἐδέξατο Σάῤῥα, ἣν οὐκ ἔγνω Ῥεβέκκα, καὶ Ῥαχὴλ οὐκ ἐγνώρισεν· χάριν, ἣν οὐδεὶς εὗρε τῶν ἀπ' αἰῶνος, ὡς σύ· καὶ τίς ἂν γένοιτο χάρις τοιαύτη παρὰ θεοῦ τὸ ἐξαίρετον ἔχουσα.

b) Orat. I. in Deiparae dormit. §. VII. pag. 862. D-E. Ὄντως εὗρε χάριν, ἡ ἀξία τῆς χάριτος· εὗρε χάριν ἡ τοὺς πόνους τῆς χάριτος γεωργήσασα, καὶ πολὺ δρεψαμένη τὸν ἄσταχυν· εὗρε χάριν, ἡ τοὺς σπόρους τῆς χάριτος γεννήσασα, καὶ πολύχουν δρεψαμένη τὸν ἄσταχυν τῆς χάριτος· εὗρε χάριτος ἄβυσσον, ἡ σῶαν τὴν ὁλκάδα τῆς διπλῆς παρθενίας τηρήσασα, καὶ τὴν ψυχὴν παρθένιον ἐτήρησεν, οὐ τοῦ σώματος ἔλαττον· ὅθεν καὶ ἡ τοῦ σώματος παρθενία τετήρητο.

c) Comm. in Luc. I. 30. pag. 632. apud Mai scriptt. vett. T. IX. Χάριτός ἐστι θείας ὁ ἀσπασμὸς, ἀλλ' οὐ φύσεως ὑπουργός· χάριτος θεϊκῆς, οὐκ ἀνθρωπίνης ἐπιβουλῆς· χάριτος τὸν ἀνθρώπινον ὑπερπεδώσης λογισμόν· ἀλλ' ὅταν χάριν ἀκούσῃς, ἄνθρωπε, μὴ μάτην τὸ χάρισμα τῇ παρθένῳ χορηγηθῆναι νομίσῃς· μὴ δὲ φιλοτιμίαν διακενὸν τὸ δῶρον ὑπολάβῃς· εὗρε γὰρ χάριν ἡ παρθένος παρὰ θεῷ, ὅτι ἀξίαν ἑαυτὴν τῷ δημιουργῷ κατεσκεύασεν· ὅτι τῷ κάλλει τῆς ἁγνείας τὴν ἑαυτῆς ψυχὴν ὡραΐσασα, κατοικητήριον ἀξιέραστον ἑαυτὴν τοῦ λόγῳ τοὺς οὐρανοὺς στερεώσαντος ἡτοιμάσατο· ὅτι οὐ μόνην τὴν παρθενίαν ἄχραντον διετήρησεν, ἀλλά γε καὶ τὴν προαίρεσιν ἀμόλυντον συνετήρησεν· ὅτι ἐκ βρέφους κατηγιάσθη θεῷ, λαὸς (*sic, lege* λᾶος) ἔμψυχος καὶ ἀλάξευτος τῷ βασιλεῖ τῆς δόξης

1) Luc. I. 30.

scribens: « Salutatio est divinae gratiae, non serviens naturae; gratiae divinae, non humanae voluntatis; gratiae humanam rationem supergressae. Quum vero gratiam, o homo, audiveris, ne gratis Virgini collatum charisma arbitreris, neque inanem honorem donum existimes. Invenit namque Virgo gratiam apud Deum, quod semetipsam conditore dignam praestiterit, quod innocentiae venustate suam animam ornaverit, quod semetipsam effecerit habitaculum illius amore dignum, qui verbo caelos firmavit. Neque enim solam virginitatem servavit intemeratam, sed et praeelectionem [1]) custodivit illaesam, quoniam ab infantia consecrata Deo, lapis animatus et non incisus extitit regi gloriae propter corpus illibatum, propter supersplendidam virginitatem, propter innocentiam inviolatam, propter purissimam praeelectionem, propter animam adversus peccatum immutabilem et erga id quod optimum est constantissimam. »

1119. Ceterum piaculum foret Bernardum praeterire de gratia, quam Virgo invenit, uberrime disserentem. De illa namque [2]) disserit his verbis: « Nihil hic doli, nihil hic fallaciae est. Nullam circumventionem, nullas hic suspiceris insidias. Non sum homo sed spiritus, et Dei angelus non satanae. *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Deum.* O si scires quantum tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat! Angelico te indignam nec colloquio iudicares nec obsequio. Ut quid enim indebitam tibi dixeris gratiam angelorum, quae invenisti gratiam apud Deum? Invenisti quod quaerebas, invenisti quod nemo ante te potuit invenire, invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei et hominum pacem, mortis destructionem, vitae reparationem. » De illa [3]) disserit quum post verba, *invenisti gratiam apud Dominum*, sciscitatur: « Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem an generalem? Utramque sine dubio; quia plenam, et eo singularem quo generalem: ipsa enim generalem sin-

οἰκοδομούμενος, διὰ τὸ τοῦ σώματος ἀκηλίδωτον· διὰ τὸ τῆς παρθενίας ὑπέρλαμπρον· διὰ τὸ τῆς ἁγνείας ἀμόλυντον· διὰ τὸ τῆς προαιρέσεως καθαρώτατον· διὰ τὸ τῆς ψυχῆς πρὸς τὴν ἁμαρτίαν ἀῤῥεπὲς, καὶ τοῦ κρείττονος ἀμετάπτωτον.

1) Forte a vero non abluderent qui *custoditam praeelectionem* interpretarentur de praeelectione divina, qua Virgo *ἐκ βρέφους* sacrata Deo fuit, immo regi gloriae extructa et aedificata lapis animatus et non incisus.

2) Hom. III. super *Missus est*, n. 10. pag. 753. E-F. opp. T. III.

3) Serm. III. in Virginis annunt. n. 8. p. 987. E-F.

gulariter accepisti. Eo, inquam, singularem quo generalem; nam sola prae omnibus gratiam invenisti. Singularem quod sola hanc inveneris plenitudinem; generalem quod de ipsa plenitudine accipiant universi. » Et de illa [1]) disserit, ubi exclamat: « Et quis iustus, si non Maria iusta, de qua sol iustitiae ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attigit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quaerendo? Denique et quod quaerebat invenit, cui dictum est: *invenisti gratiam apud Deum*. Quid? Plena est gratia, et gratiam adhuc invenit? Digna prorsus invenire quod quaerit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono; sed quemadmodum [2]) scriptum est, *qui bibit me, adhuc sitiet,* petit supereffluentiam ad salutem universitatis. »

1120. Conspiratio igitur commentariorum, quibus maiores nostri explanarunt hinc quidem angelicam salutationem, inde vero consequentia verba, *invenisti gratiam apud Dominum,* neque manifestior esse potest, neque in rem nostram praeclarior. Luminis tamen non parum hisce omnibus accedet, si liturgica atque ecclesiastica monimenta consulantur. Itaque in Armeniorum ecclesiae monimentis [3]) legimus: « Ave thronus salutis, spes constantiae hominum, legis et gratiae mediatrix. Laetare Deipara, quae virginum es gloria, adiutrix et gratia mundi. Altior es caelo Maria, gloria ecclesiae. » Eodem pertinent ecclesiastica Coptorum monimenta, in quibus nunc [a]) dicitur: « Dignior es sanctis omnibus, ora pro nobis, o gratia plena. Tu prae patriarchis exaltata es, et prae prophetis honorata. » Nunc [b]) subditur: « Gloria tua, o Maria, est altior caelo, et terra et iis quae in ea sunt, honorabilior. » Nunc [c]) adiicitur:

a) Syllog. Theotoch. pag. 68. D.

Ⲧⲉⲟⲓ ⲛ̀ϩⲓⲕⲁⲛⲟⲥ ⲉϩⲟⲧⲉ ⲛⲓⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲧⲏⲣⲟⲩ : ⲉ̀ ⲁⲣⲉⲧⲱⲃϩ ⲉ̀ϫⲱⲛ : ⲱ ⲑⲏⲉⲑⲙⲉϩ ⲛ̀ϩⲙⲟⲧ ⳾

Ⲧⲉϭⲟⲥⲓ ⲉⲙⲁϣ ⲉϩⲟⲧⲉ ⲛⲓⲡⲁⲧⲣⲓⲁⲣⲭⲏⲥ : ⲟⲩⲟϩ ⲧⲉⲧⲁⲓⲏⲟⲩⲧ ⲉϩⲟⲧⲉ ⲛⲓⲡⲣⲟⲫⲏⲧⲏⲥ ⳾

b) Ibid. pag. 70. A.

Ⲡⲉⲱⲟⲩ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϭⲟⲥⲓ ⲉ̀ϩⲟⲧⲉ ⲧⲫⲉ : ⲧⲉⲧⲁⲓⲏⲟⲩⲧ ⲉ̀ ⲡⲕⲁϩⲓ : ⲛⲉⲙ ⲛⲏⲉⲧϣⲟⲡ ⲛ̀ϧⲏⲧⲥ ⳾

c) Ibid. pag. 106.

Ⲧⲉⲥⲙⲁⲣⲱⲟⲩⲧ ⲉⲧϫⲏⲕⲉ̀ⲃⲟⲗ : ⲱ ⲑⲏⲉⲧⲁⲣⲉϫⲉⲙ ⲭⲁⲣⲓⲥⲙⲁ ⲛⲓⲃⲉⲛ : ⲙ̀ⲡⲉⲙⲑⲟ ⲙ̀ⲡⲟⲩⲣⲟ ⲛ̀ⲧⲉⲡⲱⲟⲩ : ⲡⲉⲛⲁⲗⲏⲑⲓⲛⲟⲥ ⲛ̀ⲛⲟⲩϯ ⳾

1) Serm. in Deiparae nativit. n. 5. pag. 1020. A-C.

2) Eccli. XXIV. 29.

3) Confess. eccles. armen. pag. 43.

« Benedicta es ac perfecta, o tu quae gratiam omnem invenisti coram rege gloriae, nostroque vero Deo. Omnem meruisti honorem prae omnibus qui sunt super terram, o tu e qua Verbum carnem suscepit. » Et nunc[a]) Deipara his verbis celebratur: « Ave gratia plena, Virgo immaculata, tabernaculum non manufactum, veritatis thesaurus. Ave gratia plena, mensa spiritalis omnibus ex ea manducantibus praebens vitam. » A quibus haec seiungi minime debent quibus sacerdos [1]) penes Aethiopes Deum deprecatur: « Conserva eum in rectitudine fidei omni tempore vitae suae, et sit in caritate quae superat omnem pacem, precibus omnium sanctorum, et intercessione plenae gratia Virginis genitricis Dei Mariae, quae in omnibus est sancta. »

1121. Orientis ecclesias aemulantur latinae, quae in extollenda virgineae gratiae plenitudine nobilissimas quasque dicendi formas usurpant. Et nobilissima quidem haec [2]) est:

» Ave Virgo gratiosa,
» Stella sole clarior,
» Mater Dei speciosa,
» Favo mellis dulcior,
» Rubicunda plus quam rosa,
» Lilio candidior:
» Omnis virtus te decorat,
» Omnis sanctus te honorat,
» Iesus Christus te coronat
» In caelis sublimior.

Tum [3]) haec:

» Decus mundi, lux profundi, Domini sacrarium,
Vitae forma, morum norma, plenitudo gratiae;
» Dei templum, et exemplum totius iustitiae,
Virgo salve per quam valvae caeli patent miseris.

Sequitur [4]) in hymnis Anselmus:

» O mundo venerabilis,
» Virgo mater mirabilis,
» Maria plena gratia,
» Ora pro nobis Domina.

Ⲁⲣⲉⲉⲙⲡϣⲁ ⲛ̀ⲧⲁⲓⲟ̀ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲡⲁⲣⲁ ⲟⲩⲟⲛⲛⲓⲃⲉⲛ ⲉⲧϩⲓϫⲉⲛ ⲡⲕⲁϩⲓ : ⲉⲧⲁ ⲡⲓⲗⲟⲅⲟⲥ ⲛ̀ⲧⲉⲫⲓⲱⲧ ⲓ̀ ⲁϥϭⲓⲥⲁⲣⲝ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲛ̀ϧⲏϯ ⳾

a) Ibid. pagg. 136-137.

Ⲭⲉⲣⲉ ⲟⲛⲉⲑⲙⲉϩ ⲛ̀ϩⲙⲟⲧ : ϯ ⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ ⲛ̀ⲁⲧⲑⲱⲗⲉⲃ : ϯ ⲥⲕⲏⲛⲏ ⲛ̀ⲁⲑⲙⲟⲛⲕ ⲛ̀ϫⲓϫ ⳾ Ⲡⲓⲁⲣⲟ ⲛ̀ⲧⲉϯⲙⲉⲑⲙⲏⲓ ⳾

Ⲭⲉⲣⲉ ⲕⲉⲭⲁⲣⲓⲧⲟⲙⲉⲛⲏ : ⲱ̀ ϯⲧⲣⲁⲡⲉⲍⲁ ⲙ̀ⲡⲛⲉⲩⲙⲁⲧⲓⲕⲏ : ⲉⲥϯ ⲙ̀ⲡⲱⲛϧ ⲛ̀ⲟⲩⲟⲛⲛⲓⲃⲉⲛ : ⲉⲑⲛⲁⲟⲩⲱⲙ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲛ̀ϧⲏⲧⲥ ⳾

1) Ordo baptis. pag. 642. D. in max. pp. biblioth. T. XXVII.
2) Thesaur. hymnolog. pag. 348. T. I.
3) Thesaur. hymnolog. pag. 373. T. II.
4) Psalter. de s. Virgine, pag. 303. D.

Et [1]) rursum:

» Dei mater, o Domina,
» Sublimis tanta gratia,
» Tua, fac, exaltatio
» Sit nostra relevatio.

Ac [2]) denuo:

» Ave mater gratiarum,
» Quae peperisti Dominum:
» Ipsi misericordiam
» Cantamus et iudicium.

Hinc [3]) Bonaventura:

» Ave Virgo, quae furorem
Conditoris in amorem
Tua forma convertisti,
Votis iram extinxisti.
» Ave Virgo, quam Salvator,
Renum testis, et scrutator,
Quem non fallit nox erroris,
Laudat intus atque foris.
» Ave Virgo plena bonis
Gratiarum dives donis,
Opus Dei digitorum
Grande nimis et decorum.

1122. Sed nuspiam uberior seges quam e ditissimis Graecorum campis colligi potest. Ut enim ex innumeris pauca solum decerpam, en quae in Menaeis [a]) occurrunt: « Quo te appellabimus modo, o gratia plena? Caelum: solem namque iustitiae oriri effecisti. Paradisum: florem namque immortalitatis protulisti. Virginem: incorrupta scilicet permansisti. Innoxiam matrem: tuis enim sanctis ulnis complexa es filium omnium Deum. » Hisce similia passim [4]) alibi habentur, quibus haec adiungi [b]) debent: « Mysterium absconditum, ipsisque angelis incompertum Gabrieli archangelo committitur: et ad te iam accedet quae sola es intemerata et pulcra columba, generisque revocatio, tibique, o sanctissima, acclamabit ave, dicens: te adorna ut per verbum Deum Verbum in tuo sinu recipias. » Hinc illa, quorum [c]) auctor est Iosephus hymnographus:

a) Men. die XXIV. Decembr. ad Matut. pag. 208. col. 2. D. Τί σε καλέσωμεν, ὦ κεχαριτωμένη; οὐρανόν· ὅτι ἀνέτειλας τὸν ἥλιον τῆς δικαιοσύνης· παράδεισον· ὅτι ἐβλάστησας τὸ ἄνθος τῆς ἀφθαρσίας· παρθένον· ὅτι ἔμεινας ἄφθορος; ἁγνὴν μητέρα· ὅτι ἔσχες ταῖς ἁγίαις ἀγκάλαις υἱὸν, τὸν πάντων Θεόν.

b) Men. die XXIV. Martii ad Vesper. pag. 100. col. 2. A. Κεκρυμμένον μυστήριον, καὶ ἀγγέλοις ἀγνώριστον, Γαβριὴλ πιστεύεται ὁ ἀρχάγγελος· καὶ ἐπὶ σὲ νῦν ἐλεύσεται τὴν μόνην ἀκήρατον, καὶ καλὴν περιστερὰν, καὶ τοῦ γένους ἀνάκλησιν, καὶ βοήσει σοι, παναγία, τὸ, χαῖρε· ἑτοιμάζου διὰ λόγου Θεὸν λόγον σου ταῖς λαγόσιν εἰσδέξασθαι.

c) Men. die XXVI. Martii ad Matut. Ode α'. pag. 120. col. 1. B-C. Ἁγνήν σε πανά-

1) L. c. pag. 303. col. 2. A.

2) Ibid. pag. 306. col. 1. C.

3) Psalt. min. beatae Virginis, pag. 497. col. 1. B-D. opp. T. VI.

4) Men. die XVIII. Dec. ad Matut. pag. 140. col. 1. D., die XXIV. Martii ad Parv. Vesper. pag. 105. col. 1. C., et die XXV. ad Vesper. pag. 112. col. 2. D.

Digitized by Google

« Ut te Gabriel innocentem penitusque immaculatam vidit, splendide clamavit, ave, Domina, thori nescia, mortalium salus, angelorum gloria et exsultatio. » Hinc illa quae idem [a]) canit: « Per venerabilem tuum partum, o Virgo, erepti ex Adami et corruptionis et mundanae damnationis vinculis, tibi non sine gratiarum actione, o immaculata, inclamamus: ave o plena gratia et salutifera gratiae porta. » Atque hinc Theodori studitae praeconium quod [b]) in Triodio refertur: « Quae impassibilitatis fontem genuisti, o Virgo, me passionibus saucium sana et ab igne aeterno libera, o sola Deo gratissima. » Cui praeconium respondet [c]) Theophanis his verbis conceptum: « Cum angelis in caelo, cum hominibus in terra tibi, o Deipara, laeta voce acclamamus: ave porta caelis latior, ave sola hominum salus, ave veneranda, ave, gratia plena quae Deum incarnatum peperisti. »

1123. Iis finem facio quae [d]) in Pentecostario frequentantur: « Pulcritudinem virginitatis tuae, et eximium innocentiae tuae splendorem demiratus Gabriel, o Deipara, exclamavit: quo encomio utar te digno? Quo te nomine compellabo? Me fugit atque obstupesco. Propterea ut iussus sum, te saluto, ave gratia plena. » Et [e]) rur-

μωμον ὁ Γαβριὴλ ὡς ἑώρακε, χαῖρέ σοι δέσποινα λαμπρῶς ἐβόησεν, ἀπειρόγαμε, βροτῶν ἡ σωτηρία, ἀγγέλων τὸ καύχημα καὶ σεμνολόγημα.

a) Men. die X. Augusti Ode α'. pag. 58. col. 2. A. Ῥυσθέντες τῷ σεπτῷ τοκετῷ σου, παρθένε, τῶν τοῦ Ἀδὰμ καὶ φθορᾶς δεσμῶν, καὶ κοσμικῆς κατακρίσεως, ἄχραντε· χαῖρε κεχαριτωμένη, εὐχαρίστως βοῶμέν σοι, ἡ σωτήριος πύλη τῆς χάριτος.

b) Triod. pag. 77. col. 2. A. Ἡ τὴν πηγὴν τῆς ἀπαθείας κυήσασα, τραυματισθέντα πάθεσι, κόρη, θεράπευσον, καὶ πυρὸς αἰωνίου ἐξάρπασόν με, μόνη θεοχαρίτωτε.

c) Triod. pag. 495. col. 1. E. coll. Paraclit. pag. 437. col. 1. C-D. Μετὰ ἀγγέλων τὰ οὐράνια, μετὰ ἀνθρώπων τὰ ἐπίγεια, ἐν φωνῇ ἀγαλλιάσεως, θεοτόκε, βοῶμέν σοι· χαῖρε πύλη τῶν οὐρανῶν πλατυτέρα· χαῖρε μόνη τῶν γηγενῶν σωτηρία· χαῖρε σεμνή· χαῖρε κεχαριτωμένη, ἡ τεκοῦσα θεὸν σεσαρκωμένον.

d) Pentecostar. pag. 86. col. 2. C. coll. pag. 95. col. 1. C. et Paraclit. pag. 114. col. 2. D. Τὴν ὡραιότητα τῆς παρθενίας σου, καὶ τὸ ὑπέρλαμπρον τὸ τῆς ἁγνείας σου ὁ Γαβριὴλ καταπλαγεὶς, ἐβόα σοι, θεοτόκε· ποῖόν σοι ἐγκώμιον προσαγάγω ἐπάξιον; τί δὲ ὀνομάσω σε; ἀπορῶ καὶ ἐξίσταμαι· διὸ ὡς προσετάγην βοῶ σοι· χαῖρε ἡ κεχαριτωμένη.

e) Pentecost. pag. 248. col. 1. A-C. Χαῖρε θεοτόκε πάνσεμνε· χαῖρε πηγὴ τῆς ζωῆς, τοῖς πιστοῖς ἡ πηγάζουσα· χαῖρε πάντων δέσποινα, καὶ κυρία τῆς κτίσεως· εὐλογημένη χαῖρε πανάμωμε· δεδοξασμένη χαῖρε πανάχραντε· χαῖρε παλάτιον· χαῖρε θεῖον σκήνωμα· χαῖρε ἁγνή· χαῖρε μητροπάρθενε· χαῖρε θεόνυμφε.

Χαῖρε θεομῆτορ ἄχραντε· χαῖρε πιστῶν ἡ ἐλπίς· χαῖρε κόσμου καθάρσιον· χαῖρε πάσης θλίψεως ῥυομένη τοὺς δούλους σου· ἡ τῶν ἀνθρώπων χαῖρε παράκλησις· ἡ ζωη-

Digitized by Google

sum: « Ave Deipara undequaque veneranda: ave fons vitae qua fideles perfundis: ave omnium imperatrix et creaturae domina: ave benedicta penitus immaculata: ave gloriosa et nullius conscia labis: ave palatium: ave divinum habitaculum: ave innocens: ave Virgo-mater: ave Dei sponsa. Ave Dei mater intemerata, spes fidelium: ave mundi [1]) purgatio: ave quae ab omni afflictione servos tuos liberas: ave hominum advocata: ave praesidium vitam afferens: ave turris te invocantium: ave divinum Dei vestimentum et mons sancte. Ave Deipara domina: ave sola spes et mortalium auxilium: ave perfugium et lucerna semper fulgens: ave lampas splendidissima: ave sanctificatum palatium: ave paradise: ave divinum habitaculum: ave fons dives fluentis in eos qui ad te confugiunt. »

1124. Quare si collata Mariae gratia *in se* atque *absolute* spectetur, ea fuit *gratia plena*, *perfecta*, *ipsaque gratiae plenitudo;* adeo ut de Virgine merito affirmetur [2]) *quod omnem ipsa invenerit gratiam, omnem meruerit honorem, omnem virtutem, omnemque sanctitatem possederit,* neque aliter apparuerit ac ut *vitae forma, exemplar totius iustitiae, intus et foris coram Deo laudabilis, in omnibus sancta, eaque pulcritudinis specie insignis, qua Dei adversus homines iram in amorem benevolentiamque commutarit.* Cum hac autem consideratione *absoluta* cohaeret altera eaque *comparata*, qua Virgo propter acceptam divinitus gratiam celebratur *sole cla-*

φόρος χαῖρε ἀντίληψις· χαῖρε προπύργιον τῶν προσκαλουμένων σε· χαῖρε Θεοῦ θεῖον ἐνδιαίτημα, καὶ ὄρος ἅγιον.

Χαῖρε θεοτόκε δέσποινα· χαῖρε ἡ μόνη ἐλπίς, τῶν βροτῶν ἡ ἀντίληψις· χαῖρε καταφύγιον, καὶ λυχνία ἀείφωτος· ἠγλαϊσμένον χαῖρε λαμπάδιον· ἡγιασμένον χαῖρε παλάτιον· χαῖρε παράδεισε· χαῖρε θεῖον σκήνωμα· χαῖρε πηγὴ βρύουσα τὰ νάματα τῶν προστρεχόντων σοι.

1) Quae conferri debent cum Pauli verbis de Christo servatore Hebr. 1. 3.

2) Quo etiam pertinent formulae quibus Deipara nuncupatur sive a Georgio nicomediensi in Men. die XXI. Nov. Ode ϛ'. pag. 157. col. 1. C., οἶκος τῆς χάριτος, ἐν ᾧ οἱ θησαυροὶ ἐναπόκεινται τῆς ἀπορρήτου θεοῦ οἰκονομίας, *domus gratiae, in qua reconditi sunt thesauri ineffabilis Dei oeconomiae:* sive a Germano constantinopolitano die XXIV. Maii Ode α'. pag. 93. col. 2. B., πεποικιλμένη ποικιλίᾳ χάριτος, *variegata varietate gratiae:* sive a Theophane die XXVIII. Maii Ode ϛ'. pag. 105. col. 2. B. *millies gratiosa, mundoque iucunda*, his verbis: χαίροις μυριόχαρι, καὶ κοσμοχαρμόσυνε, Μαρία θεοτόκε· ὕμνοις σε ἀσιγήτοις μεγαλύνομεν. *Salve, o Maria Deipara, millies gratiosa, mundoque iucunda; te incessantibus hymnis celebramus.* Fuit igitur cur in Paraclit. pag. 229. col. 2. E. diceretur: Γαβριὴλ σοι τὸ χαῖρε τὸ ἐπουράνιον ἐπὶ γῆς παραδόξως ἐναπεκόμισε· τὸν γὰρ ἀγγέλων ποιητὴν ἐν σοὶ σαρκούμενον ὁρῶν, τὸ μελῴδημα χαρᾶς ἀναμέλπει σοι, σεμνὴ βροτοὺς δι' αὐτοῦ διδάσκων, ὡς σὺ μόνη χαρᾶς αἰτία πᾶσιν ἀνθρώποις πεφανέρωσαι. *Gabriel tibi caeleste ave super terram mirabiliter detulit; conditorem namque angelorum in te incarnandum videns, canticum gaudii, o veneranda, tibi accinit, mortales per illud edocens, quod tu sola gaudii caussa cunctis hominibus apparueris.*

Digitized by Google

rior, candidior lilio, altior caelo, decus mundi, ecclesiae gloria, angelorum exsultatio et Dei opus grande nimis atque decorum. Utramque excipit consideratio qua Virgo spectatur *ut caussa*, eidemque asseritur *quod sit adiutrix et gratia mundi, legis et gratiae mediatrix, nostra relevatio, revocatio generis, gratiarum mater, salutifera gratiae porta, mundi purgatio, salus et sola hominum salus, spes et sola mortalium spes.* Ex his tandem omnibus intima quadam necessitudine praeconia dimanant quibus Virgo extollitur tamquam *caelum, paradisus, lucerna semper fulgens, undequaque venerabilis, penitus inscia labis, sola Deo gratissima, sola intemerata et pulcra, eaque venustate insignis quae vel ipsos angelos in sui obsequium admirationemque rapuerit.*

1125. Viderer autem mihi tempus ludere atque operam terere, si immaculatum Virginis conceptum cum his penitissime iunctum anxie comprobarem. Tanta est enim huiusce nexus perspicuitas atque evidentia, ut dicendo illustrior reddi vix ac ne vix quidem possit. Quare satius arbitror iis absolvere, quibus Iohannes Geometra Deiparam [a]) alloquens canit: « Salve, o regina, mortalium gratia virtutum, salve intelligentium gratia, salve gratia divinorum. » Et [b]) rursum: « Salve, o regina, tu mihi decus, sol, fortitudo, spiritus, ratio, vita, robur, sapientia. Salve, o regina, et utriusque simul mundi spes invicta, et mundus inter utrumque. Salve, o regina, tu regiae quoque Trinitatis conciliatrix, siquidem velis. » Ac [c]) postremo: « Salve, o regina, ex radice penitus innocentissima; ger-

a) Hymn. IV. in Deiparam vv. 1-2. pag. 441. E. in app. ad biblioth. pp. graeco-lat. T. III.
Χαῖρέ μοι, ὦ βασίλεια, χάρις βροτέων ἀρετάων,
Χαῖρε χάρις νοερῶν, χαῖρε χάρις θείων.

b) Ibid. pag. 443. E.
Χαῖρέ μοι, ὦ βασίλεια, σύ μοι κλέος, ἥλιος, ἀλκή,
Πνεῦμα, λόγος, ζωή, ἠνορέη, σοφίη.
Χαῖρέ μοι, ὦ βασίλεια, καὶ ἀμφοτέρων ἅμα κόσμων
Ἐλπὶς ἀμαιμακέτη, κόσμος ἐπαμφότερος.
Χαῖρέ μοι, ὦ βασίλεια, σὺ καὶ τριάδος βασιλείης
Πρόξενος, εἴγε θέλεις.

c) Ibid. hymn. II. pag. 438. C-D.
Χαῖρέ μοι, ὦ βασίλεια, παναγνοτάτης ἀπὸ ῥίζης·
Ἔρνος ἔφυς χαρίτων τρίπλοον ἐκ τριπλόου.
Χαῖρέ μοι, ὦ βασίλεια, τριὰς σέο ῥίζα καὶ ἀρχή,
Οὕνεκα καὶ τριμάκαιρ' εἶνα τέκες τριάδος.

men gratiarum triplex es a trino exorta. Salve, o regina, Trias tibi radix atque principium; idcirco o beatissima unum ex Trinitate genuisti. »

ARTICULUS V.

Maiorum commentarii quibus expoliunt verba Luc. I. 28-42. benedicta tu in mulieribus: quam praeclare cum superioribus conspirent: testimonia ex monimentis liturgicis atque ecclesiasticis eodem pertinentia: uberior eius praerogativae confirmatio qua Virgini immaculatus conceptus tribuitur.

1126. Ea est vis ac ratio commentariorum, quibus maiores nostri explananda censuerunt verba, *ave gratia plena, Dominus tecum,* et, *invenisti gratiam apud Dominum,* ut pronum omnino sit non modo divinando coniicere, verum etiam intelligendo affirmare quam ipsi potestatem Gabrielis et Elisabethae [1]) praeconio, *benedicta tu in mulieribus,* subiiciendam esse existimarint. Expeditum namque est intelligere, ea tantum significatione accipi ab illis eiusmodi praeconium potuisse, qua Virgo a mulieribus prorsus omnibus secreta, super ipsas omnes quam splendidissime extolleretur. Quoniam vero non minimum commodi polliceri nobis iure possumus, si christianae antiquitatis de hoc capite sententiam paullo enucleatius compertam habuerimus; dabimus idcirco operam ut non quidem omnia, quod esset infinitum, sed potiora saltem testimonia more nostro, bonaque fide in medium proferamus.

1127. Primus itaque testis audiatur Bruno astensis, qui [2]) de verbis [3]) angeli, *benedicta tu in mulieribus,* scribit: « Merito in mulieribus benedicitur, per quam mulieribus benedictio datur, et mundus a maledictione liberatur. » Ubi vero [4]) similia expendit [5]) Elisabethae verba, ait: « Ab omnibus benedicitur, quae omni benedictione digna habetur. » Suffragatur [6]) Bernardus qui cum primum attulit verba, *benedicta tu in mulieribus,* pergit: « Libet adiungere quod Elisabeth, cuius haec verba sunt, prosequuta subiunxit: *et benedictus fructus ventris tui.* Non quia tu benedicta, ideo bene-

1) Luc. I. 28-42.
2) Comm. in Luc. §. III. pag. 151. B. opp. T. II.
3) Luc. I. 28.
4) Ibid. pag. 153. col. 1. E.
5) Luc. I. 42.
6) Hom. III. super *Missus est*, n. 5. p. 751. F. opp. T. III.

dictus fructus ventris tui; sed quia ille te praevenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Vere enim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictae sunt omnes gentes: de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum ceteris, etsi differentius a ceteris. » Et [1]) alibi: « O beata sola inter mulieres benedicta et non maledicta, sola a generali maledicto libera et a dolore parturientium aliena. » Neque aliter [2]) Petrus Damiani inquiens: « *Benedicta tu in mulieribus*. Per mulierem infusa est maledictio terrae, per mulierem redditur benedictio terrae. Per cuius manum potus mortis amarae porrigitur, per eam quoque dulcis vitae poculum exhibetur. Largissimum benedictionis novae fluentum totum detersit maledictionis antiquae contagium. »

1128. Quartus quintusve testis accedunt Paschasius Ratbertus et venerabilis Beda, quorum ille in eos gravissime [3]) invectus qui nescio quas sordes in partu Virginis comminiscebantur, scribit: « Sed absit a cordibus fidelium ut tale aliquid suspicentur de Maria Virgine, quae pro maledictione primae originis benedictionem attulit mundo. Unde et ipsa ab angelo benedicta praedicatur in mulieribus, et salutatur officiosissime ut mater Domini prae omnibus gloriosa, nec non et ab Elisabeth in spiritu prophetiae benedicta pronuntiatur, et benedictus fructus ventris eius creditur et veneratur. Ergo in qua et per quam tanta benedictio effloruit et gratia manavit, non est credendum quod eius puerperium doloribus et gemitibus more feminarum subiacuerit. Et quia beata Dei genitrix tristitiis non subiacuit et aerumnis, libera ab omni maledictionis naevo fuit, quam Spiritus sanctus adimplevit et totam Domino dedicavit. » At venerabilis Beda [4]) verbis Elisabeth hunc subiicit [5]) commentarium: « Intuendum quod eadem voce Maria ab Elisabeth qua a Gabriele benedicitur, quatenus et angelis et hominibus veneranda, et cunctis merito feminis praeferenda monstretur. » Quibus haec adamussim [6]) respondent: « Non solum benedicta inter mulieres, sed inter mulieres benedictas maiori benedictione specialiter insignis. *Benedictus fructus ventris tui*. Nec ipse generali sanctorum

1) Serm. IV. in vigil. nativ. Domini, n. 8. pag. 772. F.
2) Serm. XLVI. in Virginis nativit. pag. 115. col. 2. E. opp. T. II.
3) De partu Virginis pag. 8. apud Lucam Acherium in spicileg. T. XII.
4) Luc. I. 42.
5) Comm. in Luc. I. 42. pag. 194. E. opp. T. V.
6) Hom. in Deiparae visitat. pag. 318. col. 2. A-C. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII.

more benedictus, sed sicut Apostolus [1]) ait: *quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* » Atque haec [2]) item: « Benedicta est enim incomparabiliter, quae et divini germinis suscepit gloriam, et coronam integritatis servavit. Benedicta inter mulieres, per cuius partum virgineum a natis mulierum maledictio primae matris exclusa est. »

1129. Cuius commentarii testes quoque sunt omni exceptione maiores tum [3]) vulgatus Hildephonsus, qui propterea Virginem *inter mulieres benedictam* nuncupari scribit, *quod homines universos meritorum excellentia superarit:* tum [4]) vulgatus Augustinus qui huius praeconii caussam inde repetit, *quod una inter mulieres Virgo fuerit inculpabilis, neque secus auctrix meriti et vitae ac Eva auctrix peccati et mortis*: tum demum [5]) Petrus chrysologus, cui Virgo ideo est *inter mulieres benedicta, quia in quibus Eva fuit maledicta, in iis Maria fuit benedicta, et superni conceptus meruit gratiam, et maior caelo, fortior terra atque orbe latior apparuit.* Hinc Laurentius Iustiniani [6]) impetrare a seipso non potuit quo minus exclamaret: « Quis, oro, huius Virginis gratiam sufficit enarrare? Ab ipsa namque sui conceptione in benedictionibus est praeventa dulcedinis, atque a damnationis aliena chirographo, prius est sanctificata quam nata. »

1130. Huic autem apud Latinos solemni prorsus doctrinae ea Graeci consensione patrocinantur, qua neque plenior neque illustrior desiderari posse videtur. Et initio patrocinatur [7]) Leo Augustus qui Virginem non dicit modo ὑπερευλογημένην *superbenedictam,* sed de ipsa praeterea [a]) scribit: « Vere sola in mulieribus benedicta, quae sola primae parenti eiusque posteris opem tulit: illi quidem, quod duplicem calamitatem cuius illa sibi ac filiis auctrix fuerat exsolvit; his

a) Or. in Deip. dorm. pag. 1744. C-D. Τῷ ὄντι, μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, ἡ μόνη τῇ προμήτορι, καὶ τοῖς ἐξ αὐτῆς βοηθήσασα· τῇ μὲν, οἷς διπλοῦν οὖσαν τὴν κατήφειαν ἑαυτῇ καὶ τοῖς τέκνοις λυμηναμένῃ, διελύσατο· τοῖς δὲ, δι' ὧν τούς τε κατόχους ὄντας τῷ κακῷ, ἀπελυτρώσατο.

1) Rom. IX. 5.

2) Ibid. pag. 318. col. 2. C-D.

3) Serm. II. in Virginis assumpt. pag. 672. col. 2. B-D. apud Combefisium in biblioth. concionat. T. VII.

4) Serm. CXX. in nat. Domini IV. n. 4. p. 154. B-C. inter opp. August. T. V.

5) Serm. CXL. de Virginis annunciat. p. 201. col. 1. A. et serm. CXLIII. pag. 205. col. 1. A.

6) Serm. X. in Virginis annuntiat. pag. 42. col. 1. E. opp. T. II.

7) Orat. in Deiparae dormit. pag. 1740. A. apud Combefisium Auctar. T. I. Cf. nn. 320. seqq.

Digitized by Google

vero quod ipsos a malis quibus obnoxii tenebantur, redemit. » Patrocinatur [a]) Iohannes damascenus in haec verba erumpens: « O Virginis praerogativas humana conditione maiores! Beata es in generationibus generationum, solaque digna quae beata praediceris. » Solaque digna de qua omnes [b]) clament: « O desiderabilissima femina, terque beata! *Benedicta tu in mulieribus.* O divinum vivumque simulacrum, cuius conditor Deus pulcritudine delectatus est, quod mentem quidem divinitus gubernatam habet, Deoque soli addictam; cupiditatem vero omnem ad id quod solum expetendum est et amore dignum intentam; iram autem erga peccatum dumtaxat eiusque parentem. Vitam [1]) natura potiorem habebis. Habebis autem non tibi ipsi quippe quae non tui ipsius causa genita sis. Quocirca Deo hanc habebis, cuius gratia in mundum prodiisti; ut orbis universi saluti obsequaris, Deique antiquum consilium, nimirum incarnationis Verbi, nostraeque deificationis, per te compleatur. »

1131. Suum quoque adiiciunt calculum Germanus constantinopolitanus et Petrus siculus, e quibus alter fidei hostibus [2]) illos accenset omnes qui non profitentur τὴν ὑπερευλογημένης καὶ ἀειπαρθένου δεσποίνης ἡμῶν κυρίως καὶ ἀληθῶς Θεοτόκου Μαρίας δόξαν, *superbenedictae, semperque virginis Dominae nostrae, proprie vereque Deiparae Mariae dignitatem;* prior vero [c]) sic habet: « *Benedicta tu in mulieribus*, mystica et sata a Deo vitis: *Benedicta tu in mulieribus*, terra vere desiderabilis, de qua figulus pulveris nostri limum desumens vas

a) Orat. I. in Deiparae dormit. §. VIII. pag. 863. C-D. Ὦ παρθενικῶν αὐχημάτων τῶν ὑπὲρ ἄνθρωπον· μακαρία εἶ ἐν γενεαῖς γενεῶν, ἡ μόνη ἀξιομακάριστος.

b) Orat. I. in Deiparae nativit. §. IX. pag. 847. C-E. Ὦ θῆλυ ποθητὸν, τρισμακάριστον, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν· ὦ θεῖον ἔμψυχον ἄγαλμα, ἐφ' ᾧ ὁ δημιουργὸς εὐφράνθη θεὸς, νοῦν μὲν ἔχον θεοκυβέρνητον, καὶ μόνῳ θεῷ προσανέχοντα· ἐπιθυμίαν ἅπασαν τεταμμένην πρὸς τὸ μόνον ἐφετόν τε καὶ ἀξιέραστον· τὸν θυμὸν κατὰ μόνης τῆς ἁμαρτίας, καὶ τοῦ ταύτην κυήσαντος· ζωὴν τῆς φύσεως κρείττονα ἕξεις· ἕξεις γὰρ οὐ σαυτῇ· οὐ γὰρ σαυτῆς ἕνεκα γεγέννησο· ὅθεν ἕξεις θεῷ, δι' ὃν εἰς τὸν βίον ἐλήλυθας· δι' ὃν τῇ παγκοσμίῳ ἐξυπηρετήσεις σωτηρίᾳ, ὅπως ἡ ἀρχαία βουλὴ τοῦ θεοῦ, τῆς τοῦ λόγου σαρκώσεως, καὶ τῆς ἡμῶν θεώσεως, διὰ σοῦ πληρωθῇ.

c) Orat. in Deiparae nativit. pag. 1310. C-E. apud Combefisium Auctar. T. I. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ μυστικὴ καὶ θεοφύτευτος ἄμπελος· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ ὄντως ἐπιθυμητὴ γῆ, ἐξ ἧς τὸν πηλὸν ὁ κεραμεὺς τοῦ χώματος ἡμῶν ἀνελόμενος, τὸ συντριβὲν σκεῦος ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας ἀνενεώσατο.

1) Ac propterea §. XI. pag. 849. B-C. audit tum ἄξιον τοῦ θεοῦ καταγώγιον, *dignum Deo domicilium*, tum ἐκίλεκτος δόξα τῆς ἀνθρωπότητος, *eximium humanitatis decus.*

2) Con. Manich. serm. II. n. 1. pag. 66. apud Mai in nova pp. biblioth. T. IV. P. II.

peccato contritum reparavit. » Accedunt Andreas cretensis, vulgatusque Chrysostomus, qui praeceptam animo sententiam disertissimis verbis aperiunt. Aperit disertissimis verbis Andreas [a]) inquiens: « Tu vere benedicta, quae sola matrum creatori tuo mater praeparata. *Benedicta tu in mulieribus,* quae sola benedictionem velut hereditate [1]) es consequuta, quam Deus per Abraham gentibus promiserat. Vere tu benedicta, vitalis ligni salutis paradise spiritalis. » Aperit [b]) et Pseudo-Chrysostomus qui scribit: « *Benedicta tu in mulieribus.* Tu in mulieribus sola es, quae Evae maerorem curasti, quae sola plangentis lacrymas abstersisti, quae sola redemptionis mundi pretium tulisti. »

1132. Hisce autem qua similia, qua etiam gemina tradunt [2]) Proclus constantinopolitanus, Theodotus [3]) ancyranus, Sophronius [4]) hierosolymitanus et Methodius Tyri praesul qui Virginem extollens [c]) ait: « Benedicta tu, prorsus benedicta omnibusque desiderabilis. In benedictionibus Domini nomen tuum divina gratia plenissimum ac summe Deo gratiosum, o Dei mater, quaeque tuo ipsa splendore fidelibus lumen praeferas. » Superius vero [d]) scripserat: Tremendum enim revera, o mater virgo, sedes spiritalis, glorificata, Deoque digna, tuum illud sacramentum. Beata tu in mulierum generationibus, a Deo beatissima. » Ac vere a Deo beatissima, quam [5]) Ephraemus invocat uti παντευλόγητον *undequaque benedictam,*

a) Orat. in Deiparae annunt. pag. 103. B-E. apud Gallandium T. XIII. Σὺ ἀληθῶς εὐλογημένη, ἡ μόνη πασῶν μητέρων προετοιμασθεῖσα μήτηρ τοῦ κτίστου σου· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ μόνη τὴν εὐλογίαν κληρωσαμένη, ἣν εἰς τὰ ἔθνη διὰ τοῦ Ἀβραὰμ ὁ Θεὸς ἐπηγγείλατο· σὺ ἀληθῶς εὐλογημένη, ὁ νοητὸς τοῦ ζωηροῦ ξύλου τῆς σωτηρίας παράδεισος.

b) Orat. in Deiparam, pag. 237. C-D. inter opp. Chrysostomi T. VIII. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, ἡ μόνη τῆς Εὔας θεραπεύσασα τὴν λύπην, ἡ μόνη τῆς στεναζούσης ἀπομάξασα δάκρυα, ἡ μόνη τὸ κοσμικὸν βαστάσασα λύτρον.

c) De Symeone et Anna §. X. pag. 815. B. apud Gallandium T. III. Εὐλογημένη σὺ παντευλόγητε καὶ πᾶσι ποθητέ· ἐπ' εὐλογίαις κυρίου τὸ θεοχαριτώτατόν σου ὄνομα θεογεννήτωρ καὶ διαδοῦχε τῶν πιστῶν.

d) Ibid. §. V. pag. 809. B-C. Φρικτὸν γὰρ ὄντως τὸ περὶ σὲ μυστήριον, μῆτερ παρθένε, καὶ νοητὲ θρόνε, δεδοξασμένε καὶ θεοῦ ἐπάξιε· μακαρία σὺ ἐν γενεαῖς γυναικῶν θεομακάριστε.

1) Ceteri namque mortales nonnisi maledictum haereditate consequuntur.

2) Orat. V. in Deiparam §. III. p. 631. C. apud Gallandium T. IX.

3) Orat. in Dei genitricem et Christi nat. §. XII. pag. 476. A-D. apud Gallandium T. IX.

4) Serm. ad Paulam et Eustoch. de Virginis assumpt. pagg. 97. F. et 98. A-B. inter opp. Hieronymi T. XI.

5) Orat. ad Deiparam pag. 539. B. opp. graecolat. T. III.

Digitized by Google

et de qua [a]) ait: « Tu paradisi claustra aperuisti, tu adscensum ad caelos praeparasti, tu filio tuo et Deo adoptasti. Per te omnis gloria, honor et sanctitas ab ipso primo Adamo et usque ad consummationem saeculi, apostolis, prophetis, iustis et humilibus corde, sola immaculatissima, derivata est, derivatur ac derivabitur, atque in te gaudet gratia plena, omnis creatura. »

1133. Venio ad ecclesiastica et liturgica monimenta, et ad Menaea primum, quibus [1]) cum alia, tum [b]) haec, auctore Theophane, continentur: « Benedictus benedicti tui ventris fructus, quem caelorum virtutes mortaliumque coetus benedicunt, qui nos, o benedicta, ab antiquo maledicto redemit. » Alibi [2]) similia scribit Theophanes, cum quo in eamdem conspirans mentem Andreas hierosolymitanus [c]) canit: « Magnus spiritalium ordinum dux ad civitatem Nazareth subito accedens, tibi, o intemerata, regem seculorum ac Dominum annunciat dicens: salve, o benedicta Maria, incomprehensibile et inexplicabile portentum, hominumque restitutio. » Celebratas ab utroque [3]) Virginis laudes repetunt atque ingeminant Iosephus hymnographus et Georgius nicomediensis, e quibus ille [d]) exclamat: « Salve sanctificatum Altissimi divinum tabernaculum: per te enim, o Deipara, locupletantur [4]) gaudio clamantes: bene-

a) Or. ad Deip. p. 532. B-D. Σὺ τὰ τοῦ παραδείσου κλεῖθρα διήνοιξας· σὺ βαίνειν πρὸς οὐρανοὺς παρεσκεύασας· σὺ τῷ υἱῷ σου καὶ θεῷ προσῳκείωσας· διὰ σοῦ πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ ἁγιωσύνη ἀπ' αὐτοῦ τοῦ πρώτου Ἀδὰμ καὶ ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, ἀποστόλοις, προφήταις, μάρτυσιν, δικαίοις καὶ ταπεινοῖς τῇ καρδίᾳ, μόνη πανάχραντε, καὶ ἐγένετο καὶ γίνεται καὶ γενήσεται, καὶ ἐπὶ σοὶ χαίρει, κεχαριτωμένη, πᾶσα ἡ κτίσις.

b) Men. die XV. Octob. Ode ζ'. pag. 94. col. 2. D. Εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς εὐλογημένης γαστρός σου, ὃν εὐλογοῦσιν οὐρανῶν αἱ δυνάμεις, βροτῶν τε συστήματα, ὁ ἡμᾶς λυτρωσάμενος τῆς κατάρας τῆς ἀρχαίας, εὐλογημένη.

c) Men. die XXIV. Martii ad Vesp. Ech. δ'. pag. 105. col. 1. B., et die XXV. ad Matut. Ech. α'. pag. 113. col. 2. C. Ὁ μέγας στρατηγὸς τῶν ἀΰλων ταγμάτων εἰς πόλιν Ναζαρὲτ ἐπιστὰς βασιλέα μηνύει σοι, ἄχραντε, τῶν αἰώνων καὶ κύριον· χαῖρε, λέγων σοι, εὐλογημένη Μαρία, ἀκατάληπτον καὶ ἀνερμήνευτον θαῦμα, βροτῶν ἡ ἀνάκλησις.

d) Men. die XII. April. Ode ζ'. pag. 48. col. 1. D., et die XIII. Ode ζ'. pag. 92. B. Τὸ τοῦ ὑψίσου ἡγιασμένον θεῖον σκήνωμα, χαῖρε· διὰ σοῦ γὰρ δέδοται ἡ χαρὰ, θεοτόκε, τοῖς κραυγάζουσιν· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν ὑπάρχεις, παναμώμε.

1) Men. die XXVI. Decembr. Ode ζ'. pag. 236. col. 2. C.

2) Men. die XI. Novembr. Ode ζ'. pag. 182. col. 2. E. et die VI. Octobr. Ode ζ'. pag. 36. col. 2. A.

3) Videsis Men. die XXVII. Martii Ode ζ'. pag. 126. col. 2. A., die XX. April. Ode ζ'. pag. 83. col. 1. A., et die VII. Septembr. Ode ζ'. pag. 52. col. 2. C.

4) Haec recurrunt in Pentecostario pag. 9. col. 2. E.

Digitized by Google

dicta tu es inter mulieres, o penitus immaculata.» Georgius vero [a]) scribit: « Hodie animatum templum gloriae sanctae, Christi Dei nostri, sola inter mulieres benedicta, innocens offertur in legali templo ut in sanctis habitet: cum ipsa autem in spiritu gaudent Ioachim et Anna, virginumque chori Dominum exaltant psalmos canentes, eiusque matrem honorantes.»

1134. Quemadmodum Georgius, ita [1]) Gregorius pariter hymnographus et Leo magister Deiparam salutant *veluti solam e mulieribus benedictam.* En [b]) Leonis verba: « Hodie Virgo omni ex parte immaculata ad templum adducitur, ut habitaculum sit omnipotentis Dei nostraeque vitae altoris. Hodie purissima victima, ceu triennis bucula in sancta sanctorum infertur. Huic, non secus ac angelus, acclamemus: ave sola in mulieribus benedicta. » Eiusdem praeconii testis est non minus locuples quam [2]) frequens Iosephus, qui [c]) scribit: « Quum Christum quem peperit, splendidissime ex mortuis in omnium salutem excitatum videret hodie innocens illa, pulcra, immaculata et in mulieribus speciosa, eum cum apostolis gaudio plena glorificavit.» Illustriora habet Sophronius [d]) inquiens: « Ave thori expers et undequaque benedicta, tu maledicti solutio per quam mundus e lapsu surrexit et resurrectionem illius celebrat qui vitam impertit. Sola ante alias mulieres te, o Christe, ex monumento

a) Men. die XXI. Novembr. ad Magn. Vesp. Ech. α'. pag. 151. col. 1. D-E. Σήμερον ναὸς ὁ ἔμψυχος τῆς ἁγίας δόξης, Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν, ἡ μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη, ἁγνὴ προσφέρεται τῷ ναῷ τῷ νομικῷ, κατοικεῖν εἰς τὰ ἅγια· καὶ χαίρουσι σὺν αὐτῇ Ἰωακεὶμ καὶ ἡ Ἄννα τῷ πνεύματι· καὶ παρθενικαὶ χορεῖαι τῷ κυρίῳ ᾄδουσι ψαλμικῶς μελῳδοῦσαι, καὶ τιμῶσαι τὴν μητέρα αὐτοῦ.

b) Men. die XXI. Novemb. Ech. α'. pag. 161. col. 1. E. Σήμερον τῷ ναῷ προσάγεται ἡ πανάμωμος παρθένος εἰς κατοικητήριον τοῦ παντάνακτος θεοῦ, καὶ πάσης τῆς ζωῆς ἡμῶν τροφοῦ· σήμερον τὸ καθαρώτατον ἁγίασμα, ὡς τριετίζουσα δάμαλις, εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων εἰσάγεται· ταύτῃ ἐκβοήσωμεν, ὡς ὁ ἄγγελος, χαῖρε μόνη ἐν γυναιξὶν εὐλογημένη.

c) Pentecostar. pag. 152. col. 1. E. Ὃν ἀπεκύησας Χριστὸν ὡραιοτάτως ἐκ νεκρῶν λάμψαντα, ἁγνὴ, καθορῶσα, ἡ καλὴ καὶ ἄμωμος ἐν γυναιξὶν ὡραῖά τε, σήμερον εἰς πάντων σωτηρίαν, σὺν ἀποστόλοις αὐτὸν χαίρουσα, ἐδόξαζε.

d) Triod. pag. 183. A-C. apud Mai in spicileg. rom. T. IV. Χαίροις ἀπειρόγαμε καὶ παντευλόγητε, κατάρας λύσις, δι' ἧς ὁ κόσμος ἀνέστη τοῦ πτώματος, καὶ τοῦ ζωοδότου δοξάζει τὴν ἀνάστασιν, μόνη πρὸ τῶν ἄλλων σε γυναικῶν τεθέαται, Χριστὲ, ἐκ τοῦ μνήματος ὡραίως ἀστράψαντα, ἡ μόνη παναγία ἐπακούσασα τὸ χαῖρε.

1) Men. die XXIII. Novembr. Ode η'. p. 176. col. 2. C-D.

2) Pentecostar. pagg. 58. col. 1. D-E. et 124. col. 1. B-C.

splendide fulgurantem vidit, sola illa sanctissima quae audivit, *ave.* » Ad quam normam non pauca reperiuntur expressa tam [1]) in Paraclitico, quam [a]) in Anthologio e quo haec deprompta referimus: « O sola benedicta Deoque carissima, quae in hominum genus benedictiones gratiosa effundis, Christum, o illibata, cum divinis apostolis deprecare ut nostri misereatur. »

1135. Ex ecclesiasticis autem Latinorum libris speciminis loco haberi possunt quae [2]) subdimus:

» Dominus plasmavit,
» Adam qui peccavit
» Malum dum piavit
» Quando te vocavit
» Et in utero beatificavit.
» Benedicta sola
» De superna schola,
» Deitatis stola.
» Inter mulieres
» Tu sola adhaeres
» Deo velut haeres.

Tum [3]) haec:

» Angelus [4]) apparuit
» Lucidus qui docuit
» Exaudita vota:
» Regis summi gratia
» Ut his detur filia
» Gratiosa tota.
» In utero consecrata,
» Miro modo generata,
» Gignet mirabilius.
» Benedicta Virgo nata
» Templo trina praesentata
» Erecta velox ascendit.

1136. Neque desunt quae ex Armeniorum ecclesia proferantur, cuiusmodi ista [5]) sunt: « Deipara sancta Virgo, thori expers, quae benedicta es in mulieribus. Te semper benedicimus, quae digna es, magnificamus. Tu gloria hominum, tu laetitia angelorum, tu tollens maledictionem. » Concinunt solemnes apud Coptos hymni, in quibus [b]) legimus: « Benedicta es prae caelo, venerabilior terra,

a) Antholog. in Acoluthia totius hebdomadae pag. 98. col. 2. A. Μόνη εὐλογημένη θεοχαρίτωτε, εὐλογίας ἀνθρώπων τὸ γένος χαριτώσασα, Χριστὸν καθικέτευε σὺν τοῖς θείοις, ἄχραντε, ἀποστόλοις ἐλεηθῆναι ἡμᾶς.

b) Syllog. theotochior. pag. 122.

Ⲧⲉⲙⲁⲣⲱⲟⲩⲧ ⲉ̀ϩⲟⲧⲉ ⲧⲫⲉ ⲧⲉⲧⲁⲓⲏⲟⲩⲧ ⲉ̀ϩⲟⲧⲉ ⲡⲕⲁϩⲓ : ⲧⲉⲥⲁⲛϣⲱⲓ ⲙ̀ⲙⲉⲧⲓ̀ ⲛⲓⲃⲉⲛ : ⲛⲓⲙ ⲡⲉⲑⲛⲁϣⲥⲁϫⲓ ⲉ̀ ⲡⲉⲧⲁⲓⲟ̀ ⳾

Ⲙⲙⲟⲛ ⲡⲉⲧⲉⲛⲟⲱⲛⲧ ⲉ̀ⲣⲟ : ⲱ̀ Ⲙⲁⲣⲓⲁ ϯⲡⲁⲣⲑⲉⲛⲟⲥ : ⲛⲓⲁⲅⲅⲉⲗⲟⲥ ⲥⲉⲧⲁⲓⲟ̀ ⲙ̀ⲙⲟ : ⲛⲓⲥⲉⲣⲁⲫⲓⲙ ⲥⲉϯⲱⲟⲩ ⲛⲉ ⳾

1) Paraclit. pagg. 20. col. 1. A. et 27. col. 2. A.

2) Thesaur. hymnolog. T. I. pag. 346.

3) Thesaur. hymnolog. T. II. pag. 209-210.

4) Ioachimo videlicet et Annae a Deo sobolem postulantibus.

5) Confess. eccles. arm. pag. 41.

Digitized by Google

omnemque cogitationem superas. Quis gloriam tuam enarret? Non est qui similis sit tibi, o Maria Virgo: te honorant angeli, et te seraphim glorificant. » Concinunt et Syri qui modo Virginem dicunt [1]) κατ' ἐξοχήν *benedictam*, modo *benedictae* appositum cum aliis cumulantes ita [a]) deprecantur: « Sanctam, laudabilem, benedictam, impollutam Dominam nostram beatam semper Virginem Mariam Dei genitricem commemoramus. » Et modo, praeeunte sancto Iacobo sarugensi, illius laudes [b]) hoc hymno dodecasyllabo frequentant: « Virgo sanctissima me hodie vocavit, ut ipsi loquerer. Purificemus auditum nostrum ad magnum sermonem, ne simus immundi. Caelum secundum, in cuius sinu Dominus altissimus habitavit, atque ex illa ortus est, et tenebras ex orbe fugavit. *Benedicta inter mulieres*, per quam terrae maledictio exstirpata est, et sententia damnationis [2]) per ipsam in hac solutionem accepit. Pura, humilis et plena virtutibus ac sanctitate, cuius gesta ut enarrem, mihi impar est lingua. Filia pauperis facta est mater Domini dominantium, egenoque mundo opulentiam contulit, e qua viveret. Navis, quae bona et thesauros e patris domo portavit, et ideo venit ut divitias suas impertiret regioni nostrae sterili et afflictae. »

1137. Interrogentur itaque maiores nostri, atque ab illis germana quaeratur significatio quam verba, *benedicta tu in mulieribus*,

a) Cod. liturg. eccl. univers. T. VIII. P. II. pag. 37.
ܠܩܕܝܫܬܐ ܘܡܫܒܚܬܐ ܘܡܒܪܟܬܐ ܘܠܐ ܡܟܬܡܬܐ܆ ܡܪܬܢ ܕܟܠ ܛܘܒܢܝܬܐ ܘܒܬܘܠܬܐ
ܒܟܠܙܒܢ ܡܪܝܡ ܝܠܕܬ ܐܠܗܐ ܡܥܗܕܝܢܢ܀

b) Offic. Sabbathi ad prim. noctur. pag. 457.
ܒܬܘܠܬܐ ܩܕܝܫܬܐ ܩܪܬܢܝ ܝܘܡܢ ܕܐܡܠܠ ܥܠܝܗ̇. ܢܕܟܐ ܫܡܥܢ ܠܡܠܬܐ ܪܒܬܐ ܕܠܐ
ܢܬܛܢܦ. ܫܡܝܐ ܬܪܝܢܐ ܕܡܪܐ ܡܪܝܡܐ ܒܥܘܒܗ̇ ܫܪܐ. ܘܕܢܚ ܡܢܗ̇ ܘܛܪܕ ܚܫܘܟܐ ܡܢ ܬܒܝܠ܀
ܒܪܝܟܬܐ ܕܒܢܫ̈ܐ ܕܒܗ̇ ܐܬܥܩܪܬ ܠܘܛܬܐ ܕܐܪܥܐ. ܘܦܣܩ ܕܝܢܐ ܡܢܗ̇ ܠܟܐ ܫܘܪܝܐ ܩܒܠ.
ܢܟܦܬܐ ܡܟܝܟܬܐ ܘܡܠܝܐ ܚܝܠܐ ܘܩܕܝܫܘܬܐ. ܕܐܡܠܠ ܥܠ ܣܘܥܪܢܝܗ̇ ܙܥܘܪ ܠܫܢܐ
ܕܡܣܟܢܐ. ܒܪܬ ܡܣܟܢܐ ܗܘܬ ܐܡܐ ܠܡܪܐ ܡܪ̈ܘܬܐ. ܘܥܘܬܪܐ ܐܝܬܝܬ ܠܥܠܡܐ ܡܣܟܢܐ ܕܢܚܐ
ܒܗ. ܐܠܦܐ ܕܛܥܢܬ ܛܒ̈ܬܐ ܘܣܝ̈ܡܬܐ ܡܢ ܒܝܬ ܐܒܐ. ܘܐܬܬ ܕܬܦܠܓ ܥܘܬܪܗ̇ ܠܐܬܪܢ ܚܣܝܪܐ
ܘܡܟܝܟ ܗܘܐ܀

1) Cod. liturg. eccles. univ. T. III. pag. 197.

2) Syriace est ܡܢܗ̇ ܠܟܐ proprie *illinc hinc*, *ab illa huc*: id est ab illa Virgine ceu e termino *a quo* huc vel in hanc terram ceu terminum *ad quem* solutio maledicti dimanavit. Quae profecto intelligi vix possent, si ipsa etiam Virgo maledicto fuisset obstricta.

Digitized by Google

complectuntur. Illis si fidem adiungimus, ea I. *absolute* significant, *Virginem fuisse benedictam, vere benedictam, prorsus benedictam, undequaque benedictam, totam benedictam, κατ' ἐξοχὴν benedictam, superbenedictam, atque adeo omni benedictione et Deo dignam, penitusque Domino dedicatam.* Tum II. comparate significant, *accepisse utique Virginem de plenitudine benedictionis Christi, sed differentius a ceteris, ac propterea maiori benedictione specialiter eminuisse, prae humana conditione fuisse benedictam, benedictam prae caelo et omnibus praeferendam.* Ad haec III. *negative* significant, *Virginem non subiacuisse maledicto, et ab omni maledictionis vinculo fuisse solutam.* Porro IV. *exclusive* significant, *solam Virginem fuisse benedictam, solam vere benedictam, solam a generali maledicto liberam, solam inculpabilem, solam quae benedictionem veluti hereditate obtinuerit, solam quae Deo uti heres adhaeserit, solam quae Evae maerorem curarit, solam sanctissimam, pulcram, innocentem ac dignam quae beata praedicetur.* Denique V. *caussaliter* significant, eo modo eaque benedictionis ubertate Virginem fuisse ditatam, *ut per ipsam profligata sit maledictio, per ipsam benedictio terrae restituta, per ipsam auxilium protoparentibus allatum, per ipsam exhibitum dulcis vitae poculum, et per ipsam in omnes honor, gloria et sanctitas perenniter derivata.* Quaenam vero est ex hisce significationibus, quae Virginem supra universum hominum genus non extollat, quae illam in proprio veluti ordine non collocet, quae ab universali maledictione non eximat, quaeque illam semper integram, semper illibatam, semperque benedictam non demonstret? Nulla plane. Tum igitur maiores nostri immaculatum Virginis conceptum unanimi suffragatione docuerunt, quum verba, *benedicta tu in mulieribus,* suis commentariis explanarunt.

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Vindiciae interpretationis qua christiana antiquitas angelicam salutationem explanavit: verissimum est constare illam verbis sententiisque tum splendidis ac magnificis tum inusitatis ac novis: verissimum deinde est spectari illam non secus oportere ac uti expletionem vaticinii quod tertio Geneseos capite memoratur: consectaria atque illud prae ceteris quo Virginis origines immaculatae ostenduntur: accuratius singulorum examen, consertumque cum eo argumentum quo praerogativa immaculati conceptus divinis comprehensa litteris efficitur.

1138. Piaculum omnino foret ab ea angelicae salutationis enarratione dissidere, quam concordi maiorum suffragio probatam vidimus, et qua cum alia eximia ornamenta, tum immaculatas quoque origines sanctumque conceptum Deiparae tributum novimus. Quae enim tanta christiani nominis consensione firmantur, ea interpreti catholico rata fixaque sint oportet, utpote ab eo profecta magisterio, cui [1]) veritatis Spiritus semper adest, quodque Christus [2]) omnibus diebus moderatur suoque numine regit. Hoc tamen nullatenus impedit, quominus quae auctoritate maiorum indubitanter accepimus, eadem propriis ductisque ex humana eruditione argumentis expoliantur, ac vero etiam pro opportunitate vindicentur. Immo aegre mihi persuadeo utiliorem operam ea suscipi, qua auctoritas confirmatur ratione, et qua iis etiam qui christianae antiquitati vel nihil vel minus tribuunt quam deceret, perspicua inductione ostenditur nihil a maioribus Scripturas exponentibus uno ore unaque mente tradi, quod ad ipsam Scripturarum veritatem non sit perfectissime expressum. Quare hoc ipsum in praesentia adgrediar, contendamque pro viribus ut omnes intelligant, quod si nobis, ut Gregorius nyssenus [3]) loquitur, *ad nostri dogmatis probationem sat est quod venientem ad nos a maioribus traditionem habeamus;* neque rationibus tamen destituimur, neque argumentorum caritate laboramus.

1139. Principio itaque recolendum est quod a patribus scriptoribusque ecclesiasticis scite sollerterque notatum [4]) animadvertimus, *angelicam salutationem iis verbis iisque constare sententiis, quae non*

1) Ioh. XIV. 16.
2) Matth. XXVIII. 20.
3) In altero contra Eunomium libro.
4) nn. 1075. seqq.

Digitized by Google

splendida tantum ac magnifica sed nova prorsus et inusitata iure quam qui optimo censeantur. Et re sane vera evolvantur utriusque foederis libri, et multiplices insignesque angelorum sive apparitiones sive alloquutiones ad viros licet nobilissimos atque sanctissimos considerentur. Non pauca quidem in illis occurrunt illustria, neque pauca habentur eximia atque praeclara; sed omnia tamen ab his [a]) maxime distant quibus Gabriel Mariam compellavit inquiens: *ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quid igitur ex tam magnifica novitate et inusitato plane verborum sententiarumque splendore deducemus? Nimirum deducemus, *multos Deo fuisse caros, sed neminem cum Virgine conferri potuisse: multos innocentia et sanctitate fuisse insignes, sed neminem ad eum innocentiae sanctitatisque apicem pervenisse, quo Virgo eminuit: multos tandem donis inclaruisse divinae gratiae supernaeque benedictionis, sed neminem Mariae divitias exaequasse et a maledicto fuisse remotiorem.* Sunt haec perspicua, et cum iis quae praevertunt necessario cohaerentia. Sed haberi ne quoque debent cum immaculato Virginis conceptu non dissimili necessitatis vinculo copulata? Ausim id citra quamvis animi haesitationem affirmare, si alterum doctrinae caput in ecclesiasticis monimentis solemne idemque verissimum consideretur.

1140. Itaque, quod maiores nostri [1]) saepissime inculcarunt, cavendum diligenter est ne dum sinceram quaerimus angelicae salutationis potestatem, illam spectemus *seorsum et a reliquis divinis manifestationibus divisam ac seiunctam;* sed danda potius est opera *ut cum his illam copulemus, et ad ea quae narrantur tertio Geneseos capite non secus illam referamus, ac fructus ad semen, et impletio ad promissionem ac vaticinium referuntur.* Enimvero quemadmodum in textu [2]) Geneseos pollicetur Deus se mulierem alteram excitaturum, quae perpetuas cum satana inimicitias exerceret, damnumque primae mulieris culpa illatum abunde repararet; ita iis quae apud Lucam occurrunt sepositis, nuspiam divinae promissionis eventus, et nuspiam editi vaticinii expletio reperitur. *Coniectura est igitur minime improbabilis, ea penes Lucam effecta narrari quae divinitus promissa a Moyse recensentur.* Atque haec coniectura vim inde sumit maximam et characterem induit hermeneuticae pro-

a) Luc. I. 28. Χαῖρε, κεχαριτωμένη· ὁ κύριος μετὰ σοῦ· εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν.

1) nn. 1081. seqq.

2. Gen. III. 15.

bationis, quod quae a Luca memorantur, iis omnino respondent quae de altera muliere ac secunda Eva in oraculo Moysis leguntur. Haec enim infensa satanae esse semper debuit, nulli obnoxia maledicto, sed semper benedicta et benedictionis fons atque origo. At vero hae neque aliae sunt notae, quibus in angelica salutatione Virgo distinguitur: dicitur enim plena gratia: dicitur cum Deo coniuncta: et una dicitur prae omnibus mulieribus benedicta. Reliquum est igitur, ut I. quae narrantur a Luca tamquam *proto-evangelii expletio* habeantur: et ut II. Maria censeatur illa ipsa mulier quam Deus illatae ruinae restitutricem spopondit. Quae quum ita sint, plane liquet III. Mariam sic dici plenam gratia, ut gratia numquam ipsa caruerit: sic dici cum Deo coniunctam, ut ab eo numquam fuerit propter peccatum divisa: et sic dici benedictam, ut in maledictum numquam incurrerit, proindeque integra et immaculata in lucem venerit.

1141. Ceterum probe video ad rem totam uberius illustrandam fore inprimis opportunissimum, si singula quaeque salutationis verba accuratiori examini subiiciantur. Itaque adveniente temporum plenitudine, quum in id Deus esset intentus ut antiquum misericordiae consilium et magnum pietatis sacramentum opere expleret; e supremo caelo non quemvis sed ex archangelis nobilissimum Gabrielem misit ad Mariam, ad filiam Davidis, ad virgam de radice Iesse, ad mulierem virginem nulli subiectam viro, et de qua dici idcirco non [1]) posset, *sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Accessit supernus nuntius atque orsus [2]) sic est: χαῖρε *ave,* nihil enim tibi commune est cum luctu, nihil cum poena, sed tuum prorsus est avere atque salvere. Tu namque es κεχαριτωμένη, *plena gratia.* Cuius magnificae atque [3]) inusitatae appellationis ut vis ac germana potestas rite teneatur, tria quoad eius fieri brevissime poterit, expendi debent ac definiri: *et initio quidem quae sit verbi* χαριτόω *significatio: tum quae vis competat participio perfecto* κεχαριτωμένη, *ac postremo quo eiusdem usus absolutus et antonomasticus pertineat.*

1142. Itaque [4]) haec est verborum ratio quae *a substantivis* derivata formam praeferunt desinentem in οω vel ουμαι, ut *active no-*

1) Gen. III. 16. coll. I. Cor. XIV. 34.
2) Luc. I. 28.
3) Non illam dico inusitatam, ac si ea nuspiam in Bibliis occurreret: habetur enim Siracidis IX. 8. et XVIII. 17.: sed quod ea nulli umquam viro, nullique mulieri fuerit tributa.
4) Cf. Butmanni gramm. graec. §§. 104-119.

tent obducere, tegere, ornare, passive autem *obduci, tegi, eaque re ornari quae substantivo effertur,* neque ea utcumque ornari ac tegi, verum ita, ut *subiectum* ea plenum sit, eiusque faciem speciemque repraesentet. Quum [1]) igitur χαριτόω sit ἀπὸ τῆς χάριτος, sua ipsa derivatione ac forma exprimit *aliquem gratia afficere, instruere, ornare et eo usque locupletare ut gratiosus ipse sit, gratiaque repletus.* Quare proprietati omnino studuit vulgatus interpres, qui κεχαριτωμένη reddidit *gratia plena;* et iniuria [2]) plerique omnes e protestantium sectis hanc explicationem carpendam improbandamque censuerunt. Quam eo etiam nomine vereri summopere debebant, quod sua illam auctoritate tueantur [3]) antiqua itala versio, interpres Syrus [4]), latini patres [5]) scriptoresque universi, et [6]) ipsi etiam graeci, quemadmodum crebrae penes eosdem periphrases demonstrant.

1) Nomen ἡ χάρις, unde verbum χαριτόω, descendit, heic respondet Hebraeorum nomini חֵן, quod est *gratia, favor.* Subdit enim continuo Gabriel, εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ θεῷ, ubi τὸ εὗρες χάριν nihil praeterea significat quam מָצָאת חֵן, quod in Bibliis toties recurrit. Egregie ad h. l. Theophylactus: ὅπερ δὲ ἄνω εἶπε, κεχαριτωμένη, ὥσπερ ἑρμηνεύων φησίν· εὗρες γὰρ χάριν ἐνώπιον τοῦ θεοῦ· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ κεχαριτῶσθαι, τὸ εὑρεῖν χάριν παρὰ τῷ θεῷ, τουτέστιν, ἀρέσαι θεῷ. *Quod vero supra dixit,* κεχαριτωμένη, *interpretatione veluti adhibita sic explicat:* Invenisti enim gratiam coram Deo. Κεχαριτῶσθαι *enim nihil aliud est, quam invenire gratiam apud Deum, hoc est, placere Deo.* Quare si Theophylacto credimus, non aliter accipitur χάρις in participio κεχαριτωμένη, quam in sequente hebraica loquendi forma, εὗρες χάριν. Ergo ut χάρις est חֵן *gratia et favor*, sic χαριτόω erit *gratiosum amabilemque facio*, χαριτόομαι *gratiosus atque amabilis fio,* κεχαριτωμένος *gratiosus et amabilis factus*, et κεχαριτωμένη *gratiosa et amabilis facta, hoc est, gratia plena.* Qua significatione Clemens alexandrinus hoc participio utitur scribens lib. I. stromatum: ἡ μὲν τῶν δέ μοι τῶν ὑπομνημάτων γραφή, ἀσθενὴς μέν, εὖ οἶδ', ὅτι παραβαλλομένη πρὸς τὸ πνεῦμα ἐκεῖνο τὸ κεχαριτωμένον, οὗ κατηξιώθημεν ὑπακοῦσαι. *Horum vero commentariorum meorum scriptura scio quam sit imbecilla, si conferatur cum eo spiritu gratia pleno, quem ut audiremus digni sumus habiti.*

2) In hos autem non modo graviter animadvertunt Maldonatus, Cottonus et passim catholici interpretes; verum etiam ex ipsis novatoribus Boisius, Beausobrius, et omnium praeclarissime Valckenarius, qui in scholiis ad Luc. I. 28., relatis improbatisque recentiorum enarrationibus, pergit: « Omnino melior est vetus interpretatio. Ad quas voces hebraeas Lucas respexerit, docebunt interpretes. Nobis satis erit vim verbi spectasse. A χάρις, χάριτος, χαριτόω, *gratia aliquem cumulo.* Inde κεχαριτωμένη est *gratia cumulata* sive *plena.* Quod multo plus dicit, quam si Lucas scripsisset χαρίεσσα, vel εὔχαρις, vel ἐπίχαρις, quae *formosarum* sunt mulierum apud poetas graecos epitheta. Χαριτῶσαι est *gratia mactare* vel *cumulare.* Hac potestate Paulus Ephes. I. 6. *Deus*, inquit, ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, *gratia nos cumulavit in filio suo dilecto.* Neque utitur Lucas, quod Beza putabat, verbo novo; quippe quod Sirachides iam adhibuerit XVIII. 17., ubi *vir gratia plenus* ἀνὴρ dicitur κεχαριτωμένος. Si praeter hunc nostrum locum nullus daretur, in quo verbum hoc reperiretur; ex ipsa eius forma intelligeremus vim significandi: quidquid enim est huius formae verborum, omnia significant *cumulare* vel *plenum reddere.* Αἱματόω significat *cruentare*, θαυματόω *stupore implere*, σποδόω *cinere obruere. Sopore obrui* graece est καρωῦσθαι, quod habet Antoninus cap. XII. *Vinum soporiferum* οἶνον vocant medici καρωτικόν. Qui totus fertur fuisse *oculeus* Argus poetis est ὀμματωμένος. A μουσόω ductum μεμουσωμένος significat *artibus musicis bene imbutum.* In epist. Iacobi V. 3. aurum et argentum κατιῶται, *aerugine vitiatum* sive *plenum* est. »

3) Apud Sabatierum.

4) De quo videsis Hackspanium in sylloge pag. 385. et Lucam brugensem in comm. ad Luc. I. 28. Enimvero quod graece est κεχαριτωμένη, syriace redditur ܡܠܝܬ ܛܝܒܘܬܐ, *plena refertaque gratia.*

5) Ambrosius in Luc. I. 28, et de Spiritu sancto lib. I. cap. VII., Hieronymus in epistolis ad Principiam et ad Eustochium, Augustinus in Enchirid. cap. XXXVI., Beda in Luc. I. 28., aliique omnino plurimi.

6) nn. 1092. seqq.

1143. Porro ut de altero dicam e tribus quae proposui, *participiis perfectis,* cuiusmodi est κεχαριτωμένη, nativum hoc est [1]) *ut non minus factum illudque praeteritum significent, quam eius continuationem adsignificent.* Quum ergo angelus Virginem compellans ait, χαῖρε κεχαριτωμένη, eiusdem sermo huc redit: *ave tu quae gratia referta donisque supernis divinisque charismatis ornata sic fuisti, ut gratiosa porro sis, et gratiae plenitudine redundes.* E quibus sua sponte consequitur: I. eam gratiae copiam Virgini *comparate* deferri, quam nemo alius acceperit: II. eidem *negative* adscribi, quod gratia numquam caruerit: et III. de ipsa *positive* affirmari, quod semper plenitudine ac perfectione gratiae insignis extiterit. Haec autem neque cum originali inimicitia, neque cum labe originalis praevaricationis cohaerere ullo modo possunt.

1144. Quod sane dissidium longe acrius mentis oculos perstringet, si oraculum supremi iudicis tertio Geneseos capite descriptum cum angeli salutatione componatur. Sicut enim eo oraculo edocemur, *primo* quidem non Evam modo sed universam quoque mulierum posteritatem tum e divina gratia excidisse, tum in multiplices gravissimasque poenas incidisse: *deinde* vero extituram tandem aliquando alteram mulierem quae expers malorum Evae, omnia in integrum restitueret; ita angeli salutatio eo pertinet, ut haec altera mulier non alia quam Virgo censeatur. Virgo, cui propterea annunciatur χαῖρε, *ave,* quod inscia fuerit *poenarum* Evae: et Virgo quae propterea [2]) *absolute* et κατ' ἐξοχὴν salutatur κεχαριτωμένη, *gratia plena,* quod inscia fuerit peccati Evae. Quare Gabrielis verba hac vel simili periphrasi aptissime comprehenduntur: *Ave tu quae fuisti ac es gratia plena, ave tu gratiosa illa quondam promissa mulier, numquam luce gratiae destituta, numquam in tenebris versata sed gratiae copiis aucta semper ac referta.*

1) Cf. Winari gramm. N. T. de usu verbi, cap. IV. §. 46. de participio pag. 407.

2) Comprobata *plenitudinis* significatione quae inest participio κεχαριτωμένη, subdit Brugensis: « Quamvis autem huiusmodi copia atque excellentia vi vocis illius κεχαριτωμένη heic non significaretur, quod hactenus docuimus; vel eo tamen significaretur quod ea vox ἀντονομαστικῶς heic usurpatur ab angelo, loco nominis proprii. Non enim dicit, χαῖρε Μαριὰμ κεχαριτωμένη *ave Maria gratia plena,* sed χαῖρε κεχαριτωμένη, *ave gratia plena,* tamquam κεχαριτωμένη seu *gratia plena,* quod est nomen appellativum, sit nomen ipsius proprium. Qui modus loquendi locum non habet, nisi ubi quis ita excellit in eo genere rei quae ipsi tribuitur, ut sit singularis et solus propemodum habendus huiusmodi: quemadmodum cum *iustus* dicitur pro Christo, et *sapiens* pro Salomone. Sic igitur et Virgo heic singulariter κεχαριτωμένη vocatur, tamquam sola sit, nullaque ipsi conferenda quod ad gratiae excellentiam, dignitatem et copiam, ut certe non mulieres solum sed et creaturas omnes superabat. Profecto magno illam honore afficere mens angeli, immo Dei fuit, dum suppresso nativo nomine, nomen illi dedit a gratia, tamquam quae sola polleret omnis generis gratia, solaque digna esset quae Deo placeret. »

Digitized by Google

1145. Quibus non contentus Gabriel, continuo adiecit: ὁ κύριος μετὰ σοῦ, *Dominus tecum*. Cuius incisi neque impedita est significatio, neque obscurus nexus quo cum superiore vincitur. Cum eo namque vincitur [1]) nexu quo ἐξήγησις cum re illustrata, et quo [2]) expolitionis membra mutuo cohaerent. Ad significationem vero quod attinet, e re fuerit animadvertisse, hinc quidem formulae, *Dominus tecum, Dominus cum illo* vel *cum illis*, usum esse [3]) in Scripturis frequentissimum; inde vero [4]) ea constanter efferri, *Deum sua sapientia, suoque numine sic illis opitulari quibuscum esse perhibetur, ut hi neque timere sibi debeant, neque illud sint frustra suscepturi quod ipsis Deus praecepit, et ad quod patrandum explendumque ipsos delegit*. Quum igitur Virgini annunciatur, ὁ κύριος μετὰ σοῦ, *Dominus tecum*, duo perspicue declarantur. Declaratur enim illi adesse Deum, tum declaratur iis adesse gratiarum praesidiis, quibus fulta Virgo impositas sibi partes commode sustineret. Verum *cuiusmodi praesentia Numinis* declaratur? Talis ne quae fuerit *tempore* circumscripta, quamque absentia per peccatum inducta praeverterit? Nihil profecto minus, sed praesentia declaratur [5]) *absoluta, incircumscripta*, Dominus tecum, non solum *nunc*, neque solum *paullo ante, sed simpliciter*, Dominus tecum. Sane nullum adhibetur verbum, quo praesentia divini numinis certo constricta tempore declaretur: quae autem *praecedunt* quaeque *sequuntur*, tempus universum a quo Virgo exstitit, comprehendunt. Comprehendunt *praecedentia*, χαῖρε κεχαριτωμένη, *ave gratia plena*, quibus *infinite* exprimitur tempus omne praeteritum, ipsumque praesens tempus innuitur: et comprehendunt *sequentia*, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν, *benedicta tu in mulieribus*, quibus Virgo prae omnibus omnino mulieribus Deo carissima, et cum ipso propterea coniunctissima demonstratur. Incisum ergo, ὁ κύριος μετὰ σοῦ, *Dominus tecum*, eo suapte vi pro ratione contextus spectat, ut Virginis cum Deo societatem perpetuam et nullo umquam interpellatam tempore patefaciat. Sed ea fuisset aliquo interpellata tempore, et separationi plane successisset, si ipsa quoque Virgo originis labem contraxisset et *irae filia* primum exstitisset.

1) Cf. Grotium ad Luc. I. 28.

2) Eo autem pertinet expolitio, ut idem alio schemate, aliaque forma exhibeatur.

3) Iud. VI. 12, Ruth. II. 4., Act. XVIII. 10., etc.

4) Huic significationi perfecta locorum inductio evidenter patrocinatur.

5) Scite Bellarminus in catechismo, ubi discipulo interroganti quid significet, *Dominus tecum*, respondet: « Haec altera singularis est laus beatae Virginis, qua significatur Dominum nostrum ab initio conceptionis suae assistendo illi, gubernando illam, instruendo et defendendo perpetuo cum ea fuisse. »

Verbis igitur, *Dominus tecum*, quibus Virgo eximie cum Deo coniuncta celebratur iisdem nescia originalis contagii praeclarissime edicitur.

1146. Quod alio etiam nomine edici facile perspiciemus, si animum *ad charismata* advertamus Virginis *propria*, quae eadem loquutione, *Dominus tecum*, efferuntur. Haec enim *gradu ac proportione* respondere debent tum *muneri* Virgini imposito, tum *dignitati* quae illi divinitus collata fuit. Sed munus est plane divinum, est enim munus τῆς θεοτόκου *Dei genitricis*, quod Gabriel [1]) declarat inquiens: *ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur*. Dignitas vero tanta est, quanta illi tribuatur oportet, quae proprio veluti titulo nuncupatur κεχαριτωμένη, *gratia plena*, quaeque caelitus selecta fuit ut tamquam secunda Eva appareret, et damna per priorem Evam illata non modo non subiret, sed contra abunde compensaret. Iamvero aut nihil nativa fulget evidentia, aut evidentissimum censeri profecto debet fore ut charismata Virgini tributa neque eius muneri neque eius dignitati responderent, nisi illam ab universali corruptela praeservassent.

1147. Cuius praeservationis ultimum idemque splendidissimum argumentum ex verbis petitur, quibus archangelus salutationem absolvens [2]) ait: εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν, *benedicta tu in mulieribus*. Sunt enim haec cum superioribus *appositione* cohaerentia, eoque pertinent ut praecedentes sententiae uberius expoliantur. Sane I. de Virgine ab angelo δεικτικῶς dicitur, εὐλογημένη σύ, *benedicta tu*. Neque II. benedicta dumtaxat, sed ἐν γυναιξίν, *in mulieribus*, nimirum pro hebraica loquendi consuetudine, *benedicta tu inter mulieres*, adeoque summo maximoque gradu benedicta. Quibus III. Virgo mulieribus universim omnibus *comparate* antefertur: *absolute* benedicta κατ' ἐξοχήν celebratur: et παραλλήλως ostenditur, Virginem esse mulierem illam benedictam, quam Deus se [3]) excitaturum spopondit, ut spem protoparentum erigeret, ut illam Evae maledictae opponeret, ut ex ipsa ceu virgine terra fructus salutis germinaret, atque ut ex ipsa et per ipsam in universum genus hominum maledictum superna benedictio revocaretur. Quis vero mentis eo usque sit impos, ut haec omnia et singula *cum maledicto* componi posse arbitretur,

1) Luc. I. 31-32.
2) Ibid. v. 28.
3) Gen. III. 15.

Digitized by Google

quod ipsam quoque Virginem *prae mulieribus omnibus benedictam, summa benedictionis ubertate benedictam*, κατ' ἐξοχὴν *benedictam, oppositam Evae maledictae, et verissimam universalis benedictionis caussam ferierit?* Feriisset autem, si repetere et ipsa [1]) debuisset: *ecce enim in iniquitatibus concepta sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Illius ergo origines fuerunt purae, et illius conceptus fuit immaculatus.

1148. Ad quam consequutionem ulterius persuadendam e re fuerit animadvertisse: I. εὐλογεῖν *benedicere*, et εὐλογίαν *benedictionem* ex sese atque ex usu [2]) Scripturarum opponi τῇ κατάρᾳ *maledicto:* porro II. τὴν κατάραν *maledictum*, quod a Deo supremo iudice dimanat, tam effectum quam poenam [3]) esse peccati: hinc III. quemadmodum unum est peccatum κατ' ἐξοχὴν in universam posteritatem ex protoparentibus diffusum, et de quo legimus [4]), *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, ac [5]) rursum, *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* ita unum pariter est maledictum κατ' ἐξοχὴν, cui omnes ex Adamo seminaliter geniti subiiciuntur, et propter quod *irae filii* in lucem veniunt. Si quis igitur IV. κατ' ἐξοχὴν εὐλογημένος *benedictus* sit dicaturque, is a maledicto κατ' ἐξοχὴν immunis solutusque credatur necesse est. Eiusmodi vero V. est diciturque Deipara, quam angelus compellavit inquiens, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν, *benedicta tu in mulieribus.* Ea igitur VI. integra censeri debet a maledicto κατ' ἐξοχὴν, atque ab ipsa adeo illius caussa quae originis peccato continetur.

1149. Quam doctrinam ex divinis litteris tanta perspicuitate collectam insigniter tuetur egregia cum aliis Scripturarum capitibus conspiratio. Atque in primis conspiratio tuetur cum sententia a Deo in serpentem [6]) lata, ἐπικατάρατος σύ, *maledictus tu prae omnibus bestiis terrae.* Huic enim opponitur angelica salutatio, *benedicta tu inter mulieres.* Quemadmodum igitur ad serpentem quod attinet, maledictio effectus fuit ac poena peccati et doli; ita Virginis benedictio repetenda ex eo est, quod ipsa nullum culpae reatum umquam contraxerit: et quemadmodum peccati auctor maledicto plectitur; ita mediatrix salutis benedictione coronatur. Tuc-

1) Ps. L.
2) Matth. V. 44, Luc. VI. 28., Rom. XII. 14., Iacob. III. 10.
3) Gal. III. 10-13., Hebr. VI. 8., II. Petr. II. 14.
4) Ioh. I. 29.
5) Rom. V. 12.
6) Gen. III. 14.

Digitized by Google

tur deinde conspiratio cum vaticiniis, quibus [1]) Abrahami et patrum fidem Deus sustentavit, quaeque omnia eo referuntur, ut per ipsorum semen maledictio abolenda et benedictio in universas hominum familias refundenda praenuncietur. Nihil enim cum veritate consertum magis, quam omnis maledicti expertem eam arbitrari, quae benedicta κατ' ἐξοχὴν audit, et per quam maledictionis regnum subversum iacet. Tuetur denique conspiratio [2]) cum verbis Elisabeth, quibus angelicae salutationis pars ita repetitur, ut Virgo, ea qua decet proportione incolumi, dicatur εὐλογημένη *benedicta*, sicut unigenitus illius filius idemque filius Patris εὐλογημένος *benedictus* praedicatur: *benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* Haec enim benedictionis societas, qua planta cum suo fructu copulatur, ad evidentiam usque patefacit, Virginem a quovis maledicti reatu numquam non fuisse remotissimam. Quare nullum est incisum angelicae salutationis, e quo rite ac uti par est expenso, singularis praestantia Deiparae, eiusque immaculatus conceptus luculentissime non adprobetur. Adprobatur enim [3]) inciso, χαῖρε κεχαριτωμένη, *ave gratia plena,* quo *formalis prope caussa* eximiae sanctitatis et omnimodae puritatis effertur. Adprobatur inciso, ὁ κύριος μετὰ σοῦ, *Dominus tecum,* quo *caussa effectrix et princeps origo* tantae sanctitatis, tantaeque puritatis exprimitur. Et adprobatur inciso, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν, *benedicta tu in mulieribus,* quo duplex fructus tam formalis quam effectricis caussae aperitur, fructus omnimodae praeservationis a maledicto, et fructus cumulatissimae benedictionis.

1) Gen. XII. 3., XVIII. 18., XXII. 18., XXVI. 4., XXVIII. 14.

2) Luc. I. 42.

3) Errarent manifeste vel praeceptae animo hypothesi servirent, qui haec ex iis enarranda esse contenderent quae occurrunt Actt. VI. 8.: *Stephanus autem* plenus gratia *et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo.* Ut enim reliqua silentio praeteream quae mentem facile subeunt, atque ut haec inter silentia praeteream in vulgatis graecis editionibus legi, Στέφανος δὲ πλήρης πίστεως καὶ δυνάμεως, *Stephanus autem* plenus fide *et fortitudine;* paucis adnotabo: I. desiderari verbalem utriusque loci parallelismum: II. desiderari parallelismum realem: III. desiderari eamdem formam loquendi, quae Luc. I. 28. est antonomastica: IV. desiderari similem orationis contextum: V. desiderari aliorum locorum συναφείαν: proindeque VI. effata haec esse quae conferri mutuo, nisi omnibus spretis interpretandi legibus, minime possunt. Multo autem fuerit opportunius quae de Deipara usurpantur Luc. I. 28., cum iis, ea qua decet ratione componere, quibus eiusdem Unigenitus Ioh. I. 14. audit πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, *plenus gratiae et veritatis.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google